BIBLIOTHECA
FF. PRÆDICATORUM,
BENITIÆ.
No. 264
D
232
8

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/novacollectiocon0000ddma

NOVA COLLECTIO

BENEDICTIONUM.

NOVA COLLECTIO

CONTINENS

FORMAS BENEDICTIONUM FREQUENTIORES

ET AD USUM MAGIS NECESSARIAS, NECNON MODUM APPLICANDI INDULGENTIAS, QUIBUS FIDELIUM PIETATI SATISFIERI POSSIT.

OPUS

PAROCHIS CÆTERISQUE SACERDOTIBUS PERUTILE,

COORDINATUM

Á

D. D. MARIANNO PUIGLLAT,

SEMINARII TRIDENTINI VICENSIS RECTORE.

EDITIO SECUNDA RECOGNITA, AUCTA ET CORRECTA.

SUPERIORUM PERMISSU.

BARCINONE:
EX TYPOGRAPHIA PAULI RIERA,
1853.

Opus hoc est proprietas editoris D. Pauli Riera, typographi.

AD LECTOREM.

Recens hæc Benedictionum Collectio quæ in lucem prodit, benevole lector, eo est animo elaborata, ut in promptu et veluti ad manum habeant Parochi ceterique Sacerdotes formulas benedictionum, quibus fidelium pietati valeant satisfacere, sicut à nonnullis jamdiu fuit ita desideratum. Compilationem hanc præcedit perutilis doctrina circa rectam benedictionis intelligentiam, circa ipsius essentiam, divisionem et originem, ex qua doctrina satis cuilibet inferre licebit, quænam benedictiones fieri queant à simplici Sacerdote, quænam vero minime. Tum ad majus commodum, tum ad majorem hujus collectionis coordinationem in novem est distributa titulos cum duabus appendicibus de visitatione et cura infirmorum, et de exorcismis. In his tibi erit reperire benedictionum

4249

formulas super res, pro quibus benedicendis fideles ad Sacerdotes solent accedere, formas ad scapularia diversa, necnon coronas deprecatorias et paramenta Ecclesiastica benedicenda, formas etiam applicandi Indulgentias in articulo mortis constitutis, quinimo, si quando contingat, ut proprius et singularis pro re aliqua benedictionis ritus desit, generales etiam in universam rem formulas in titulo V invenies designatas.

Cum enim decretis ecclesiasticis sapientissime interdictus sit usus quorumdam libellorum, in quibus de ritibus sacris minus recte agebatur, res ista satis ex se gravis apparet, ut in illa caute procedatur, ne ulla ponatur benedictionis forma quæ ab Ecclesia non sit approbata. Ne igitur de istius benedictionum collectionis integritate et firmitate videaris aliquantulum hæsitare, in antecessum animadverte et unum tibi pro certo habe, quod in ea conficienda et coordinanda habita sunt pro scopo Missale et Rituale Romanum, quamplures libri rituales approbati, institutiones Ecclesiasticæ Benedicti XIV et P. Pouget, collectio Patris Sannig, libellus cui titulus *Praxis S. Alphon. Mar. de Ligorio,* denique libri rituales, quibus utuntur Ordines Religiosi, à quibus nec minimum,

ut aiunt, unguem recessimus ex illis fideliter transcribendo omnes benedictionum formas in hac compilatione contentas. Quod autem initio cujusque ex novem titulis adnotatur, scilicet quænam benedictiones fieri valeant à simplici Sacerdote, quænam vero non, doctrina est P. Gavanti, Biblioth. Ferraris, et P. Pouget.

Habes ergo, amice lector, sat ostensam causam et finem intentum in hujusce collectionis editione, unde procedunt benedictionum formulæ in ipsa contentæ; proindeque absque timore et hæsitatione eis uti posse videtur. Illud restat ut pro humanitate sua tum Reverendissimi Parochi, tum admodum Reverendi Sacerdotes æqui bonique faciant opellam hanc, quam opto, ut per vos, Sacerdotes, qui usuri estis, ad proximum sicut nos ipsos Dei causa diligendum transferatis, atque opem divinam, per quam in plurimos Dei Optimi Maximi beneficia amplissima conferetis, mihi etiam impetrare non renuatis. Valete.

DOCTRINA

DE BENEDICTIONIBUS.

Quanta sit virtus, et utilitas et necessitas sacrarum benedictionum facile quis videre potest in sacra pagina, in Martino *del Rio*, et præcipue in Canon. Instit. Bened. XIV. Non est ergo cur in hac re ostendenda immoremur, sed tantum licebit passim notare, quid benedictionis nomine intelligatur? Benedicere, juxta D. Thomam, trifariam potest evenire, scilicet enuntiative, optative et imperative.

Benedictio enuntiativa, quæ fit laudando, est quam Deo tribuimus, cum toties ipsum benedicimus et laudamus, secundum illud Psalmi XXXIII: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo.*

Benedictio optativa, quæ fit aliquod bonum optando et precando, secundum illud Psalmi CXXVII: *Benedicat tibi Dominus ex Sion, et videas bona*, etc., est quam homo homini dare solet non laudando solum, sed aliquod etiam bonum adprecando.

Benedictio imperativa, quæ fit imperando et operando effectus intentos, est quam dat solus Deus per se, vel per Ministros suos, et operatur prædictos effectus. Hanc quandoque Deus dedit per seipsum, ut patet Gen. *c.* I, *v.* 28: *Benedixitque illis Deus et ait*, etc.: quandoque vero per suos servos, ut Josue, *c.* XXIV, *v.* 10: *Per illum benedixi vobis, et liberavi vos;* et ita pluries benedixisse liquet ex sacris litteris, et hodie Deus in Ecclesia benedicit per Pontifices

et Sacerdotes. Hujus autem generis sunt benedictiones in hac compilatione annotatæ.

Hæc Benedictio, quæ à Deo datur per Ministros suos, etiam duplex est, una scilicet, quæ datur à puro homine propter meritum sanctitatis, in quo Christus per gratiam inhabitat, sicuti est illa, quæ à sanctis viris peti consuevit; et alia quæ datur propter meritum Christi alicui instrumentaliter applicatum, et in hac danda requiritur Ordo sacer, non autem sanctitas necessario; quæ quidem potest esse vel personarum, ex. gr. Abbatum, Virginum, Sponsorum, Militum, populi etiam, etc., vel rerum seu locorum, ex. gr. Aquæ, Vini, Olei, Ceræ, Cinerum, Palmarum, Vestium, Vasorum, Altarium, Ecclesiarum, Domorum, Agrorum, et hujusmodi.

His prælibatis dicendum est, Benedictionem istam sumi hic pro prece, qua ecclesiastico more rebus ipsis specialis sanctitas impertitur, ita ut in usus profanos illæ deinde transferri non possint; et dicitur constitutiva, cum per ipsam sive res sive personæ divino cultui destinantur, cujusmodi sunt benedictiones *Aquæ*, *Vestium Sacerdotalium*, *Mapparum Altaris*, *Corporalium*, *Vasculi pro sacrosancta Eucharistia*, etc.; dicitur tandem et est invocativa, cum per ipsam à Deo vel rebus vel personis imploratur divinum auxilium, et ejusmodi sunt benedictiones *Agni in Paschate*, *ovorum*, *panis*, *novorum fructuum*, *cujuscumque comestibilis*, *candelarum*, *loci*, *domus*, etc.

His precibus flagitat à Deo Ecclesia, ne dæmones vel homines rebus ad gloriam Dei et usum hominis conditis abutantur. Eo sensu benedicit Ecclesia domos, naves, aquam maris, fluminum et fontium, agros, vineas, thalamum nuptialem, pannos quibus infantes involvuntur, arma et vexilla bellica, vestes, baculos peregrinorum, omne ciborum genus, etc. His benedictionibus precatur Ecclesia, ut iis omnibus utantur homines ad Dei gloriam, suamque salutem, nec dæmonum fraudibus circumveniantur et deludantur.

Precibus his et ritibus sacris Ecclesia applicat homines alicui officio, vel ad aliquam evehit dignitatem, datque iis solemni ritu officii ejus vel dignitatis insignia, precaturque Deum, ut ad ipsius Dei laudem, suamque et proximi salutem electus suo munere fungatur. Eo sensu benedicit Ecclesia Abbates, Abbatissas, Virgines, Milites, etc. Huc referri quoque potest coronatio imperatorum, regum et reginarum.

His precibus et ritibus sacris Ecclesia res quasdam ab usu profano ad usum sacrum transfert. Eo sensu benedicuntur Ecclesiæ, Oratoria, Cœmeteria, Cruces, Campanæ, Altaria, Vasa, Ornamenta, Linteamina, Vestes, Aqua, Sal, Oleum, quidquid denique in usum sacrum assumitur. Si autem ad has benedictiones Sacrum Chrisma, vel oleum adhibeatur, benedictio hæc *consecratio* appellatur: proinde Ecclesiæ, Altaria, Calices, Patenæ Deo dicuntur consecrari. Homines Baptismo, Confirmatione, Ordinatione Deo consecrantur.

His precibus et ritibus aliquando petit Ecclesia, ut Deus virtutem Sancti Spiritus effundat in res inanimas, ut per eas effectus aliqui divini præter naturæ ordinem producantur. Hoc petit in benedictione aquæ baptismalis, sacri olei, et chrismatis, quæ sunt materia Sacramentorum. Hoc petit etiam in benedictione salis et aquæ, quibus constat aqua lustralis, quæ benedicitur singulis Dominicis diebus. Hoc petit Summus Pontifex quotannis in benedictione agnorum cereorum. Hoc quotidie petitur in benedictione rosariorum, scapularium, numismatum, aliorumque hujusmodi, quorum benedictione satisfit piæ populorum devotioni. Ejusmodi tandem benedictionibus petit à Deo Ecclesia, ut qui his rebus pie et fideliter usi fuerint, effectum Ecclesiæ precibus designatum consequantur.

Timendum ne est aliquid superstitionis inesse in usu benedicendi res insensibiles ad producendos per eas effectus aliquos præter naturæ ordinem? Siquis putaret absque virtute et potentia divina fieri posse, ut res istæ tales

effectus producant, tunc superstitiosa foret ejusmodi cogitatio. Nihil autem est quod superstitionem sapiat, si existimemus cum Ecclesia his rebus non propria virtute, sed virtute et potentia Dei posse aliquid præter naturæ ordinem effici. Fide credimus virtutem hanc divinitus inesse illis rebus, quæ sunt materia Sacramentorum, si forma materiæ applicetur. De ceteris rebus hoc unum credit Ecclesia, nimirum posse Deum illis vim divinam infundere, ad remunerandam fidem eorum qui iis utuntur cum debita reverentia his rebus, quas Ecclesia suis orationibus benedixit et consecravit.

Origo harum benedictionum, quæ fiunt per verba Sacerdotis, addito signo Crucis, absque ullo dubio ab Apostolis est; neque desunt, qui hanc causam illud Apost. Pauli explicant ep. II, ad Tim. *c.* II, *v.* 13: *Formam habe sanorum verborum, quæ à me audisti:* sanorum, hoc est, quæ sanare possunt creaturas sive insensibiles sive sensibiles. Hoc clarius habetur ex his verbis ejusdem Apost. I, ad Tim. *c.* IV, *v.* 4 et 5: *Omnis creatura Dei bona est, et nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur: sanctificatur enim per verbum Dei et orationem.* Hic loquitur de cibis, aitque nullum ex iis esse rejiciendum ut natura sua malum, omnis enim Dei creatura natura sua bona est: at quoniam peccato factum est, ut dæmones vel homines creaturis abutantur ad malum, ideo eas verbo Dei et oratione sanctificari, id est, precibus et benedictionibus effici, ut illæ Dei gloriæ serviant secundum intentionem Creatoris.

Erat ergo temporibus Apostolicis hoc in usu positum, ut orationes funderentur super res omnes hominum usui servientes. Orationes autem illas benedictiones appellamus, quarum perpetuum usum probant et omnium sæculorum scripta, et Euchologia seu libri rituales omnium omnino Ecclesiarum tam Orientis quam Occidentis.

Licet harum benedictionum Presbyteri ex potestate sui Ordinis sint adæquati Ministri, ut ex dictis constat et ex *c. Perlectis ad Presb. dist. 25*, ubi dicitur, *ad Presbyterum*

pertinet benedicere dona Dei; tamen non omnes res possunt benedicere. Quædam enim sunt benedictiones Sacerdotibus permissæ, quædam vero Episcopis reservatæ.

Sunt equidem benedictiones, quæ fieri possunt à quolibet Presbytero sine speciali Episcopi licentia; qualis est benedictio aquæ lustralis, domorum, navium, ignis, seminis, ciborum, cinerum, cereorum, ramorum, agrorum, ceterorumque hujusmodi.

Sunt benedictiones quædam de jure mere parochiali, quæ privative ad Parochos spectant, quæque proinde fieri non possunt à quolibet Sacerdote nisi de ipsorum vel Ordinarii licentia; qualis est benedictio fontis baptismalis, nubentium, et aspersio salis et aquæ per domos in hebdomada Sancta.

Sunt benedictiones et consecrationes quædam solis Episcopis reservatæ ex institutione Christi, qualis est ordinatio Presbyterorum et Episcoporum, et administratio ordinaria Sacramenti Confirmationis.

Sunt quædam quæ ex traditione Apostolica multis firmata Conciliorum canonibus solis etiam competunt Episcopis; qualis est benedictio SS. oleorum et Chrismatis.

Sunt quædam quæ ex institutione Ecclesiæ solis quoque reservantur Episcopis ob eminentiam pontificiæ dignitatis et honoris, vel jurisdictionis, vel solemnitatis causa; qualis est dedicatio Ecclesiæ, consecratio altarium, calicum, patenarum; benedictio Abbatum, Abbatissarum, Regum; consecratio Virginum; benedictio novorum militum, armorum, et vexillorum bellicorum, etc., quæ tamen concedi possunt Presbyteris ex indulto et privilegio Ecclesiæ.

Denique ad disciplinæ ecclesiasticæ custodiam, ne quid fiat inordinatum, ne abusus irrepant, reservantur Episcopis benedictiones quædam, quas, licet minus solemnes, fieri tamen non expedit nisi vel ab Episcopo, vel à Sacerdote delegato. quales sunt benedictio minus solemnis Ecclesiæ, benedictio oratorii, cœmeterii, campanæ, Sacerdotalium indumentorum, linteaminum sacri altaris, cor-

poralium, sacrorum vasorum, tabernaculi seu vasculi pro servanda sacrosancta Eucharistia, novæ Crucis quæ palam exponenda est, imaginum quæ publico item cultui exponuntur, et ceterorum id genus. Ne quid ergo benedicatur in usum Ecclesiæ contra canones, quod parum deceat, quod non sit recte dispositum, quod non sit suis omnibus numeris absolutum, reservat Ecclesia benedictiones istas Episcopis, qui singulis mature perspectis et cognitis, vel per se, vel per delegatos Sacerdotes, quorum notam habent probitatem et in illis rebus peritiam, res benedicendas benedicunt, non benedicendas respuunt.

In controversiam hic posset revocari, an Episcopus pro Sacerdotalium indumentorum benedictione, licet sacrum Chrisma non adhibeatur, simplici Sacerdoti facultatem committere possit? quam nonnulli à Summo tantum Pontifice, alii vero etiam ab Episcopo tradi posse concedunt. Ad hujus solutionem, en verba Bened. XIV, instit. 21, num 10: «Ut omnem dubitationem exuamus; et cum amplius viginti annis Sac. Rit. Congreg. interfuerimus, ac «supplices Episcoporum libellos audiverimus, ut simplices Sacerdotes pro hujusmodi vestium benedictione deligere sibi fas esset, die 17 Januarii hujus anni, Nos quoque ad ipsam confugimus, ac delegandi facultatem satis «amplam obtinuimus, quæ ad quinquennium protrahitur, «novoque privilegio diutius prorogari potest.» In sequenti num. 11 sic prosequitur: «Quamobrem juxta acceptam facultatem eorum benedictionem et consecrationem Nobis «reservamus quæ sacram unctionem exigunt, uti præcipit «Sacr. Congregatio, quæ facultatem tantum elargita est subrogandi alium Sacerdotem pro benedictione illius supellectilis, quæ sacro Chrismate non oblinitur.» Et num. 14 sic concludit: «Itaque cum illud certum teneamus, jussu Sedis Apostolicæ benedictionem vestium, et vasorum «consecrationem simplici Sacerdoti committi non posse...» Revera cum Sedes Apost. Magistra Rituum appellanda sit, Summusque Pontifex caput sit et universalis Ecclesiæ pas-

tor, benedictiones potest reservare, et Sacerdotibus facultatem pro illis impertiri.

Ad hæc elucidanda operæ pretium erit apponere hic in fine aliqua circa benedictiones STATUTA ET

DECRETA SCITU DIGNA.

Benedictio in qua intervenire debet sacra unctio est Ordinis Episcop.; ideoque simplici Sacerdoti committi non potest. Sic declaravit *Sac. Congreg. in Brixiens. 9 Octob. 1610, et in Imolen. 14 Nov. 1615.*

Paramenta Ecclesiastica et ornamenta omnia tam Ministrorum quam altaris sunt per Episcopum benedicenda. *C. Vestimenta 42 de consecr. dist. 1,* ita ut simplices Sacerdotes illa benedicere non possint neque ex delegatione, et permissione Episcopi, nisi ad hoc habeatur speciale privilegium Sedis Apostolicæ. *Sac. Cong. Rit. 9 Oct. 1610, in Brixiens., in Tridentina 7 Aug. 16, 21, et in Caputaquens 20 Julii 1630.*

Vestes et paramenta sacra debent esse munda, honesta et benedicta: et sine ipsis celebrare regulariter et sine justa causa est peccatum mortale. *Can. Vestimenta 42.*

Paramenta ecclesiastica et sacra execrantur, et benedictionem amittunt, ac nova indigent, quando ita franguntur, et in eo statu ponuntur, ut non possint amplius decenter inservire usui sacro, cui fuerant deputata aut non amplius priorem figuram retineant. Hinc stola facta de planeta benedicta debet iterum benedici. *Barbosa lib. 3 Jur. Eccles. Univers. cap. 2, num. 36, et Bened. XIV, inst. eccl. 21, n. 12.*

Benedicere Pyxides possunt singuli, quibus est concessum posse benedicere paramenta et ornamenta ecclesiastica, quia in eorum benedictione Sacrum Chrisma non exigitur. *Rub. Pontif. Rom. de bened. Vascul. pro conserv. SS. Eucharist.*

Simplex Sacerdos, tantum ex privilegio Sedis Aposto-

licæ, potest Ecclesiam ab Episcopo consecratam reconciliare: Et tunc debet uti ritu in pontificali præscripto, et cum aqua ab Episcopo ad hunc usum rite benedicta. *Ritual. Rom., et Sac. Rit. Cong. in Placentina 19 Maii 1607, in respon. ad 10 dubium.*

Ex præcepto Pontificalis Romani Campanæ Ecclesiarum benedici debent, antequam in campanili collocentur. *Bened. XIV, inst. eccles. 47, num. 38.*

Solus Episcopus jus habet campanas benedicendi cum adhibenda sit sacra unctio, et ideo inferioribus Episcopo committi non potest nisi ex speciali Indulto Papæ. *Bened. XIV, loco cit. et Sac. Rit. Congreg. in Majoricen. 19 Aprilis 1687.*

Verum simplex seu minus solemnis Ecclesiæ, Cœmeterii et Campanæ benedictio, in qua non fit talis unctio, fieri potest à quolibet Sacerdote ex delegatione seu de licentia Ordinarii vel Vicarii Generalis. Ita ex Rituali Romano et aliis, et etiam *Sac. Rit. Cong. in Camaracens. 9 Februarii 1608.*

Trina benedictio ab Episcopis et Archiep. dumtaxat dari potest in locis sibi subjectis. *Bened. XIV, tom. 2, Const. 48, incip. Exemplis.*

Benedictio nubentium fieri debet à proprio Parocho, non autem ab alio Sacerdote, nisi de ipsius Parochi, vel Ordinarii licentia. *Concil. Trident. sess. 24, cap 1 de reformat.*

Parochi alieni, et alii Sacerdotes, sive sæculares, sive regulares, benedicentes in nuptiis alienos sponsos sine licentia Parochi, vel Ordinarii incurrunt suspensionem. *Id. Concil. loc. cit.*

An benedictiones et distributiones Candelarum, cinerum et Palmarum sint de juribus mere parochialibus? Et responsum fuit: Negative. *Sac. Rit. Cong. 10 Decem. 1703, Urbis et Orbis.*

An benedictiones mulierum post partum, fontis baptismalis, ignis, seminis, ovorum et similium sint de juribus mere parochialibus? Et responsum fuit: Negative; sed

benedictiones mulierum, et fontis baptismalis fieri debere à Parochis. S. R. C. *10 Decem. 1705.*

Aspersiones domorum in Sabbato sancto Paschæ Resurrectionis spectant ad Parochos privative quoad Ecclesiæ Clericos. Sic Barbosa *de off. et potest. Parochi, cap. 12, n. 11 et 12*, ubi refert, Sac. Cong. Conc. sub die 23 Nov. 1616 decrevisse Regulares non posse in Sabbato sancto benedicere domos.

An functiones omnes Hebdomadæ Sanctæ sint de juribus mere parochialibus? Et responsum fuit: Negative prout jacet S. R. C. *10 Decem. 1705, Urbis et Orbis.*

Benedictiones animalium in die festo S. Antonii Abb. dare, et oblationes recipere ab aliis Capellanis et Rectoribus aliarum Ecclesiarum intra fines Parochiæ existentium, nec prohibere, nec impedire valet Parochus, quia inter functiones parochiales ista benedictio non connumeratur. *Sac. Conc. Episc. et Regul. in Fulginat. 25 Maii 1685, et in Tudertina 18 Nov. 1695, et Sac. Cong. Concil. in Ravennaten. 12 Nov. 1695.*

Benedictio Crucum, Altarium et Processionum potest fieri private non solemniter à quolibet simplici Sacerdote, et tales cruces non sunt benedicendæ de præcepto. *Sac. Rit. Cong. 12 Julii 1704.*

Benedictiones cum Reliquiis non esse improbandas, quidquid dicant nonnulli, ex praxi etiam Romæ recepta probatur. *Bened. XIV, inst. eccles. 47, n. 26.*

Confraternitates, Congregationes, vel Sodalitates SS. Rosarii, Cordigerorum, Corrigiatorum S. Augustini, Scapularis S. Mariæ de Carmelo, et aliæ aliis Regularibus concessæ erigi et institui debent à suis respective Superioribus; et ad ipsos spectat habitus tradere, ac scapularia et coronas benedicere, non vero ad quemlibet Sacerdotem nisi ex eorum concessione seu licentia. Ita ex variis Const. Apost. et præcipue *Clementis VIII, incip. Quæcumque; Pauli V, incip. Nuper; Sixti V, Divinæ Charitatis; Clementis X, Dum felicis, et Innocentii XI, Exponi Nobis.*

Benedictiones præter eas, quæ in Ecclesia receptæ sunt, in sacris ritibus non admittantur. *Bened. XIV, tom. I, Const. 89, incipit, Inter Omnigenas, § 18.*

Ex omnibus hucusque dictis satis habemus, venerande Sacerdos, Benedictionis esse, divisionem, Ministrum, et originem, pariterque ex illis inferre possumus quam prudenter, quam recte et reverenter benedictiones à nobis sint faciendæ.

REGULÆ GENERALES,

PRÆ OCULIS HABENDÆ IN BENEDICTIONIBUS FACIENDIS.

1. Noverit Sacerdos, quarum rerum benedictiones ad ipsum, et quæ ad Episcopum suo jure pertineant, et pro quibus superioris facultate indigeat, ne majoris dignitatis munera temere aut imperite umquam usurpet propria auctoritate.

2. Caveat, ne benedictionis causa ponat aliquid indecens super Altare, veluti esculenta; sed quod ejusmodi est, ponatur super mensam commodo loco decenter paratam.

3. Cum Sacerdos aliquid benedicturus est, habeat ministrum adstantem cum vase aquæ benedictæ et aspergillo, cum hoc libello, seu alio, et duobus cereis accensis.

4. In omni benedictione extra Missam, Sacerdos saltem superpelliceo, et stola regulariter alba, aliquando violacea utatur; nam color albus designat puritatem communicandam rebus benedicendis; violaceus autem adhibetur congrue in benedictione conjuncta cum exorcismis ad effugandos dæmones, unde ad aquam benedicendam eo colore utimur. Potest tamen adhiberi stola coloris tempori convenientis; ut dicitur *in Rubricis Ritualis Romani*.

5. Stando semper benedicat Sacerdos, aperto capite manibusque junctis, ni cum ipsis liber sit tenendus.

6. In principio cujusque benedictionis dicat: ℣. *Ad-*

jutorium nostrum in nomine Domini. ℟. *Qui fecit cœlum et terram.* ✠. *Domine, exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ✠. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo,* et attente, reverenter ac devote legat benedictionis verba.

7. Deinde dicatur oratio propria, una, vel plures, prout suo loco notatum fuerit; manuque formetur Crucis signum, ubi est nota hæc ✠.

8. Postea aqua benedicta rem aspergat in fine ter, hoc est in medio, à dextris, et à sinistris; et ubi notatum fuerit, pariter incenset, nihil dicendo.

TITULUS I.

DE VARIIS BENEDICTIONIBUS RERUM NON RATIONABILIUM.

Benedictiones quæ in hoc titulo I continentur fieri possunt à quolibet simplici Sacerdote.

ORDO AD FACIENDAM AQUAM BENEDICTAM.

(Ex Missali Rom.).

Diebus Dominicis, et quomodocumque opus fuerit, præparato sale et Aqua munda benedicenda in ecclesia, vel in sacristia, Sacerdos superpelliceo et stola violacea indutus, primo dicit:

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.

Deinde absolute incipit exorcismus salis.

Exorcizo te, creatura salis, per Deum ✠ vivum, per Deum ✠ verum, per Deum ✠ sanctum: per Deum, qui te per Eliseum Prophetam in aquam mitti jussit, ut sanaretur sterilitas aquæ: ut efficiaris sal exorcizatum in salutem credentium, et sis omnibus sumentibus te sanitas animæ et corporis: et effugiat atque discedat à loco, in quo aspersum fueris, omnis phantasia et ne-

quitia, vel versutia diabolicæ fraudis, omnisque spiritus immundus adjuratus per eum, qui venturus est judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem. ℟. Amen.

OREMUS.

Immensam clementiam tuam, Omnipotens æterne Deus, humiliter imploramus: ut hanc creaturam salis, quam in usum generis humani tribuisti, bene ✠ dicere, et sanc ✠ tificare tua pietate digneris: ut sit omnibus sumentibus salus mentis et corporis; et quidquid ex eo tactum, vel respersum fuerit, careat omni immunditia, omnique impugnatione spiritalis nequitiæ. Per Dominum nostrum, etc. ℟. Amen.

Exorcismus aquæ et dicitur absolute:

Exorcizo te, creatura aquæ, in nomine Dei ✠ Patris Omnipotentis, et in nomine Jesu ✠ Christi Filii ejus, Domini nostri, et in virtute Spiritus ✠ Sancti; ut fias aqua exorcizata ad effugandam omnem potestatem inimici, et ipsum inimicum eradicare et explantare valeas cum angelis suis apostaticis; per virtutem ejusdem Domini nostri Jesu-Christi, qui venturus est judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem. ℟. Amen.

OREMUS.

Deus, qui ad salutem humani generis maxima quæque sacramenta in aquarum substantia condidisti: adesto propitius invocationibus nostris; et elemento huic multimodis purificationibus præparato, virtutem tuæ

bene ✠ dictionis infunde : ut creatura tua ministeriis tuis serviens, ad abigendos dæmones, morbosque pellendos, divinæ gratiæ sumat effectum : ut quidquid in domibus, vel in locis fidelium hæc unda resperserit, careat omni immunditia, liberetur à noxa : non illic resideat spiritus pestilens, non aura corrumpens : discedant omnes insidiæ latentis inimici ; et si quid est, quod aut incolumitati habitantium invidet, aut quieti, aspersione hujus aquæ effugiat : ut salubritas per invocationem sancti tui nominis expetita, ab omnibus sit impugnationibus defensa. Per Dominum nostrum Jesum-Christum, etc. ℟. Amen.

Hic ter mittat sal in aquam in modum Crucis, dicendo semel :

Commixtio salis et aquæ pariter fiat, in nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus ✠Sancti. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

OREMUS.

Deus invictæ virtutis auctor, et insuperabilis imperii Rex, ac semper magnificus triumphator : qui adversæ dominationis vires reprimis ; qui inimici rugientis sævitiam superas ; qui hostiles nequitias potenter expugnas : te, Domine, trementes, ac supplices deprecamur, ac petimus ; ut hanc creaturam salis et aquæ dignanter aspicias, benignus illustres, pietatis rore sanctifices : ut ubicumque fuerit aspersa, per invocationem sancti

nominis tui, omnis infestatio immundi spiritus abigatur; terrorque venenosi serpentis procul pellatur; et præsentia Sancti Spiritus nobis misericordiam tuam poscentibus, ubique adesse dignetur. Per Dominum nostrum in unitate ejusdem Spiritus Sancti. ℟. Amen.

ASPERSIO AQUÆ BENEDICTÆ SUPER POPULUM PER ANNUM FACIENDA.

(Ex Rituali Vicen.).

Aqua sic benedicta, Sacerdos celebraturus, pluviali (si adsit) officio convenienti indutus, aut alba, ac stola, accedat ad altare, et ibi genuflectens cum ministris (si aderint) accipiet à Diacono aspersorium, et primo ter aspergat altare, deinde se, et Ministros, postea populum, intonando hanc Antiphonam, nisi dicenda sit, quæ inferius assignatur.

Antiph. Asperges me, Domine, hyssopo, et mundabor, lavabis me, et super nivem dealbabor.

Psalm. Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam. ℣. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto. ℟. Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

Antiph. Asperges me, etc.

Prædicta Antiphona dicitur per annum; in Dominica vero Passionis, et Palmarum non dicitur Gloria Patri; *sed absolute finito Psalmo:* Miserere, *repetitur ipsa Antiphona.*

Tempore vero paschali cantatur Antiphona sequens:

Antiph. Vidi aquam egredientem de templo à latere

dextro; alleluia : et omnes, ad quos pervenit aqua ista, salvi facti sunt, et dicent alleluia, alleluia.

Psalm. Confitemini Domino quoniam bonus : quoniam in sæculum misericordia ejus. ℣. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto. ℟. Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

Et repetitur Antiphona : Vidi aquam.

In diebus autem Sabbati Sancti, et Pentecostes, fit aspersio aqua recenter benedicta ; ante tamen olei sancti, et chrismatis infusionem.

Finita autem Antiphona, et reverso celebrante ad gradus altaris, ibi stans, dicat :

℣. Ostende nobis Domine misericordiam tuam. *Tempore paschali addatur Alleluia, etiam in responsorio.*

℟. Et salutare tuum da nobis.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Exaudi nos, Domine Sancte, Pater Omnipotens, Æterne Deus : et mittere digneris sanctum Angelum tuum de cœlis, qui custodiat, foveat, protegat, visitet, atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Prædicta Aspersio aquæ benedictæ super populum *fieri debet ante Missam omnibus diebus Dominicis anni (licet non fiat officium de Dominica) finita tertia, ubi erit consuetudo hanc recitandi.*

BENEDICTIO ET ASPERSIO SALIS ET AQUÆ PER DOMOS IN HEBDOMADA SANCTA, VULGO *Sal-pas*.

(Ex Rituali Vicen. et Urg.).

Hæc privative attinet ad Parochum, et de ipsius licentia fieri potest à simplici Sacerdote.

Parochus, aut Sacerdos, indutus superpelliceo, et stola violacei coloris, in Ecclesia salem et aquam benedicet modo supra dicto pag. 21. Facta benedictione Sacerdos eodem modo indutus cum Ministro salem et aquam benedictam deferente ibit per parochianorum domos, et antequam egrediatur ab Ecclesia, dicat se muniendo signo crucis:

Per signum ✠ Crucis, de inimicis ✠ nostris libera nos ✠ Domine Deus noster. In nomine Patris ✠ et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

Benedicta sit sancta, et individua Trinitas nunc, et semper per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Dum egreditur è templo, dicat: Vias tuas, Domine, demonstra mihi, et semitas tuas edoce me. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, etc.

Et cum pervenerit ante januam cujusque domus, cum aspersorio ponat aquam benedictam in limine, vel in ipsa janua, deinde paululum salis, et dicat:

Signum salutis pone, Domine, in domibus istis, et non permittas introire in illas Angelum percutientem.

Vel dicat:

De cœlo pone signum tuum, Domine, in domibus

istis, et protege omnes habitantes in illis, et non erit in eis plaga nocens.

Posito sale in vestibulis foraneis (quin sit necesse illud ponere intra domum nec in fenestris) dicet ante principalem januam domus:

℣. Ostende nobis Domine misericordiam tuam.
℟. Et salutare tuum da nobis.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Exaudi nos, Domine Sancte, Pater Omnipotens, Æterne Deus, et sicut domos Hebræorum in exitu de Ægypto agni sanguine linitas (quod Pascha nostrum, in quo immolatus est Christus, figurabat) ab Angelo percutiente custodisti: ita mittere digneris sanctum Angelum tuum de cœlis, qui custodiat, foveat, protegat, visitet, atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

BENEDICTIO DOMORUM IN SABBATO SANCTO PASCHÆ.

(Ex Rit. Rom. Pauli V).

Parochus, seu alius Sacerdos, superpelliceo et stola alba indutus, cum ministro deferente vas aquæ ex benedictione Fontium ante profusionem Chrismatis acceptæ, visitat domos suæ Parochiæ aspergens eas aqua benedicta.

Ingrediens domum dicit :

Pax huic domui, et omnibus habitantibus in ea.

Deinde aspergens loca præcipua domus, et eos qui habitant in ea, dicit Antiphonam :

Vidi aquam egredientem de templo à latere dextro, alleluia : et omnes ad quos pervenit aqua ista, salvi facti sunt, alleluia, alleluia.

Psalm. Confitemini Domino, quoniam bonus : quoniam in sæculum misericordia ejus.

℣. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, etc.

Repetitur Antiphona : Vidi aquam, etc. ; *deinde dicit :*

℣. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam, alleluia.

℟. Et salutare tuum da nobis, alleluia.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Exaudi nos, Domine Sancte, Pater Omnipotens, Æterne Deus, ut sicut domos Hebræorum in exitu de Ægypto, agni sanguine linitas (quod Pascha nostrum, in quo immolatus est Christus, figurabat) ab Angelo percutiente custodisti : ita mittere digneris sanctum Angelum tuum de cœlis, qui custodiat, foveat, protegat, visitet, atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

ALIA BENEDICTIO DOMORUM ALIO TEMPORE, SEU INTRA ANNUM FACIENDA CUM ASPERSIONE AQUÆ BENEDICTÆ.

(Ex Rit. Rom. et Vicen.).

Parochus, seu alii Sacerdotes volentes aliquam particularem domum, vel generaliter domos fidelium alio tempore infra annum aspergere aqua benedicta, ingredientes domum dicant:

Pax huic domui, et omnibus habitantibus in ea.

Deinde loca aspergendo, dicant Antiphonam:

Asperges me, Domine, hyssopo, et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor.

Psalm. Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam.

℣. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, etc.

Et repetitur Antiphona: Asperges me, etc.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Exaudi nos, Domine Sancte, Pater Omnipotens, Æterne Deus: et mittere digneris sanctum Angelum tuum de cœlis, qui custodiat, foveat, protegat, visitet atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde aspergat aqua benedicta.

BENEDICTIO TERMINI IN DIE SANCTÆ CRUCIS MENSIS MAII.

(Ex Rit. Vicen. et Urg.).

In die sanctæ Crucis, quæ est tertia Maii, fit Processio ab Ecclesia ad locum (vulgo lo Padró*), ubi benedictio termini fieri solita est: ad quam benedictionem quatuor Diaconi, aut Sacerdotes (si commode fieri potest) disponentur dalmaticis induti, aut saltem superpelliceis, et stolis, ut quatuor Evangelia inferius posita decantent.*

Ad Processionem Sacerdos indutus amictu, alba, aut superpelliceo, stola, et pluviali rubri coloris, genuflectet coram Altari Majori, medius inter Diaconum, et Subdiaconum. In Altari vero erit lignum Crucis, si adest, aut alia Crux, ante quam omnes genuflectent dempto Crucifero: et Præcentores, aut duo Cantores intonabunt litanias Sanctorum, ut infra: pag. 40, et cum ab ipsis dictum fuerit: Sancta Maria, *surgent omnes, et Sacerdos ascendet ad Altare Majus, et genuflectione facta, manibus lignum Crucis aut Crucem accipiet, quam cooperiet extremitatibus veli, de ipsius humeris pendentis, quam in Processione summa decentia et devotione afferet, et Cantores litanias prosequentur.*

Cum Processio pervenerit ad locum, ubi benedictio est facienda, cessabunt litaniæ, et unus à Diaconis ante Crucem, seu lignum Crucis genuflexus dicet: Munda cor meum, etc.; *et si Sacerdos solus sit ad Evangelia cantanda, semel tantum dicat:* Munda cor meum, etc.

Dicto à Diacono: Munda cor meum, *et accepta benedictione à Sacerdote, canet Evangelium Sancti Joan-*

nis versus Orientem, Sacerdote etiam versus Orientem stante, dicens :

℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.
℣. Initium Sancti Evangelii secundum Joannem.
℟. Gloria tibi Domine.

Et interim accepto thuribulo incensat librum Evangelii.

In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt : et sine ipso factum est nihil. Quod factum est, in ipso vita erat : et vita erat lux hominum, et lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt. Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Joannes. Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit : in propria venit, et sui eum non receperunt. Quodquod autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus : qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt *(hic genuflectitur)*. Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis : et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti à Patre plenum gratiæ, et veritatis.

Evangelio decantato, Sacerdos, tenens in manibus lig-

num sanctæ Crucis, vadit ad locum ubi cantatum fuit, et cum Diacono intonat sequentem Antiphonam, Clero illam prosequente:

Ecce Crucem Domini, fugite partes adversæ, vicit leo de tribu Juda, radix David. Alleluia.

Finita Antiphona Sacerdos dicet:

℣. Per signum Crucis de inimicis nostris. Alleluia.
℟. Libera nos Deus noster. Alleluia.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine Sancte, Pater Omnipotens, Sempiterne Deus; bene ✠ dicere dignare terminum istum, quem nos indigni famuli tui, per invocationem Filii tui Domini nostri Jesu-Christi benedicere præsumimus: et eum clementissima tua benedic ✠ tione sanctifica, et ad profectum, atque illuminationem sanctæ tuæ Ecclesiæ provenire concede. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Finita oratione, alius Diaconus, dicto: Munda cor meum, etc., *et accepta benedictione à Sacerdote versa facie ad Occidentem dicet:*

℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

℣. Sequentia Sancti Evangelii secundum Marcum.
℟. Gloria tibi Domine.

Et interim incensat librum Evangelii.

In illo tempore : Recumbentibus undecim discipulis, apparuit illis Jesus, et exprobravit incredulitatem eorum, et duritiam cordis : quia his, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt. Et dixit eis, euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit, et baptizatus fuerit salvus erit. Qui vero non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur. In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent, et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit : super ægros manus imponent, et bene habebunt. Et Dominus quidem Jesus, postquam locutus est eis, assumptus est in cœlum, et sedet à dextris Dei. Illi autem profecti, prædicaverunt ubique ; Domino cooperante, et sermonem confirmante, sequentibus signis.

Finito Evangelio, Sacerdos tenens manibus lignum sanctæ Crucis, vadit ad locum ubi cantatum fuit, et cum Diacono intonat supradictam Antiphonam : Ecce Crucem Domini, etc. ; *et ea finita, dicet :*

℣. Hoc signum Crucis erit in Cœlo. Alleluia.
℟. Cum Dominus ad judicandum venerit. Alleluia.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Omnipotens Sempiterne Deus, ædificator et custos Hierusalem Civitatis supernæ, ædifica, et custodi civitatem, et terminum nostrum cum habitatoribus suis: ut perpetim sit in eis domicilium incolumitatis, et pacis. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Finita hac oratione, alius Diaconus, dicto etiam: Munda cor meum, etc., *et accepta à Sacerdote benedictione, versa facie ad Meridiem, dicet:*

℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.
℣. Sequentia Sancti Evangelii secundum Lucam.
℟. Gloria tibi Domine.

Et interim incensat librum Evangelii.

In illo tempore: Missus est Gabriel Angelus à Deo in Civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph de domo David, et nomen Virginis Maria. Et ingressus Angelus ad eam dixit: Ave gratia plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus. Quæ cum audisset, turbata est in sermone ejus; et cogitabat, qualis esset ista salutatio. Et ait Angelus ei: Ne timeas Maria: invenisti enim gratiam apud Deum. Ecce concipies in utero, et paries Filium: et vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit Magnus, et Filius Altissimi vocabitur. Et dabit illi Dominus Deus sedem David Patris ejus, et regnabit in æternum, et regni ejus non erit finis. Dixit autem Maria ad

Angelum : Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco ? Et respondens Angelus, dixit ei : Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque, et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei. Et ecce Elisabeth cognata tua, et ipsa concepit filium in senectute sua, et hic mensis sextus est illi, quæ vocatur sterilis : quia non erit impossibile apud Deum omne verbum. Dixit autem Maria : Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.

Dicto Evangelio, Sacerdos tenens manibus lignum sanctæ Crucis vadit ad locum ubi fuit cantatum, et cum Diacono intonat Antiphonam : Ecce Crucem, etc. ; *et ea finita, dicit :*

℣. Nos autem gloriari oportet. Alleluia.
℟. In Cruce Domini nostri Jesu-Christi. Alleluia.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Creator omnium, Deus, qui semina subtus terram posita multiplicare, et fructificare facis, et in usus nostros misericorditer concedis, intercedente Beata Dei Genitrice Maria, supplicationes nostras placatus intende : ut hæc seminum genera bene ✠ dicere, et sanctificare tua pietate digneris. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Finita hac oratione, alius Diaconus, dicto etiam : Mun-

da cor meum, etc.; *et accepta benedictione à Sacerdote, versa facie ad Aquilonem, dicit :*

℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.
℣. Sequentia Sancti Evangelii secundum Matthæum.
℟. Gloria tibi Domine.

Et interim incensat librum Evangelii.

In illo tempore : Dixit Jesus discipulis suis : Sicut fulgur exit ab Oriente, et paret usque in Occidentem, ita erit adventus filii hominis. Ubicumque fuerit corpus, illic congregabuntur, et Aquilæ. Statim autem post tribulationem dierum illorum Sol obscurabitur, et Luna non dabit lumen suum, et stellæ cadent de cœlo, et virtutes cœlorum commovebuntur. Et tunc apparebit signum filii hominis in cœlo, et tunc plangent omnes tribus terræ. Et videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa, et majestate. Et mittet Angelos suos cum tuba, et voce magna, et congregabunt electos ejus à quatuor ventis, à summis cœlorum usque ad terminos eorum. Ab arbore autem fici discite parabolam. Cum jam ramus ejus tener fuerit, et folia nata, scitis, quia prope est æstas. Ita et vos cum videritis hæc omnia, scitote, quia prope est in januis. Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant, cœlum, et terra transibunt : verba autem mea non præteribunt.

Dicto Evangelio, Sacerdos tenens manibus lignum sanctæ Crucis vadit ad locum, ubi fuit cantatum, et cum

Diacono intonat Antiphonam: Ecce Crucem, etc.; *et ea finita dicit:*

℣. Mihi autem absit gloriari. Alleluia.
℟. Nisi in Cruce Domini nostri Jesu-Christi. Alleluia.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

A Domo tua, quæsumus Domine, spirituales nequitiæ repellantur, et aerearum discedat malignitas tempestatum, et fulgurum: et nos famulos tuos ab omni adversitate custodi, et fructus terræ dare, et conservare digneris. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Tum Sacerdos, circumeundo Altare ad benedictionem paratum, vel locum (vulgo lo Padró*) cum cruce in manibus quatuor termini partes benedicet, et versus Orientem dicet:* Bene ✠ dictio Dei Omnipotentis. *Versus Occidentem.* Pa ✠ tris. *Versus Meridiem.* Et Fi ✠ lii. *Versus Aquilonem.* Et Spiritus ✠ Sancti, descendat super nos, et maneat super hunc terminum nostrum. ℟. Amen.

Et statim Sacerdos ponet lignum sanctæ Crucis in Altari, et accepto aspersorio, quatuor partes termini aqua benedicta asperget.

His finitis, revertatur Processio ad Ecclesiam canendo Hymnum: Te Deum laudamus; *et si iter sit longum, repetetur ita, ut finiatur eo tempore, quo perveniat Sa-*

cerdos ad altare majus Ecclesiæ; ibique flexis genibus, voce intelligibili dicet:

℣. Benedicamus Patrem, et Filium cum Sancto Spiritu. Alleluia.

℟. Laudemus, et superexaltemus eum in sæcula. Alleluia.

℣. Gaude, et lætare Virgo Maria. Alleluia.

℟. Quia surrexit Dominus vere. Alleluia.

Hic dici poterunt versiculi Orationis Sancti titularis Ecclesiæ, et postea:

℣. A fulgure et tempestate. Alleluia.

℟. Libera nos Deus noster. Alleluia.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Et Sacerdos surgens:

OREMUS.

Omnipotens Sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione veræ fidei, æternæ Trinitatis gloriam agnoscere, et in potentia majestatis adorare unitatem: quæsumus, ut ejusdem fidei firmitate, ab omnibus semper muniamur adversis.

Deus qui per resurrectionem Filii tui Domini nostri Jesu-Christi mundum lætificare dignatus es: presta quæsumus, ut per ejus Genitricem Virginem Mariam, perpetuæ capiamus gaudia vitæ.

Hic dicetur Oratio Sancti Titularis Ecclesiæ, et postea :

A Domo tua, quæsumus Domine, spirituales nequitiæ repellantur, et aerearum discedat malignitas tempestatum, et fulgurum, et nos famulos tuos ab omni adversitate custodi, et fructus terræ dare, et conservare digneris. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Extra tempus paschale non dicitur Alleluia, *nec versiculus* Gaudæ, et lætare, *sed pro eo :*

℣. Ora pro nobis Sancta Dei Genitrix. ℟. Ut digni efficiamur promisionibus Christi. *Et loco Orationis :* Deus qui per resurrectionem, *dicenda est quæ sequitur :*

ORATIO.

Omnipotens Sempiterne Deus, qui gloriosæ Virginis Matris Mariæ corpus, et animam, ut dignum Filii tui habitaculum effici mereretur, Spiritu Sancto cooperante, præparasti : da, ut cujus commemoratione lætamur, ejus pia intercessione ab instantibus malis et à morte perpetua liberemur.

Prædicta forma observanda erit semper ac facienda erit Benedictio Termini, in diebus Dominicis occurrentibus à die Sanctæ Crucis Maii ad diem Sanctæ Crucis Septembris, extra id tempus, seu quocumque tempore quo conveniens videatur ut fiat ; et semper addendum est Alleluia *in fine Antiphonæ :* Ecce Crucem.

LITANIÆ MAJORES.

(Ex Rit. Rom.).

Ponuntur hic litaniæ pro majori commoditate in præcedenti benedictione et sequentibus faciendis.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Christe audi nos. Christe exaudi nos.

Pater de Cœlis Deus, miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis.
Spiritus Sancte Deus, miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis.
Sancta Maria, ora pro nobis.
Sancta Dei Genitrix, ora.
Sancta Virgo Virginum, ora.
Sancte Michael, ora.
Sancte Gabriel, ora.
Sancte Raphael, ora.
Omnes sancti Angeli et Archangeli, orate pro nobis.
Omnes sancti beatorum spirituum ordines, orate.
Sancte Joannes Baptista, ora.
Sancte Joseph, ora.
Omnes sancti Patriarchæ, et Prophetæ, orate.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andrea, ora.
Sancte Jacobe, ora.
Sancte Joannes, ora.
Sancte Thoma, ora.

Sancte Jacobe, ora.
Sancte Philippe, ora.
Sancte Bartholomæe, ora.
Sancte Matthæe, ora.
Sancte Simon, ora.
Sancte Thaddæe, ora.
Sancte Mathia, ora.
Sancte Barnaba, ora.
Sancte Luca, ora.
Sancte Marce, ora.
Omnes sancti Apostoli, et Evangelistæ, orate.
Omnes sancti Discipuli Domini, orate.
Omnes sancti Innocentes, orate.
Sancte Stephane, ora.
Sancte Laurenti, ora.
Sancte Vincenti, ora.
Sancti Fabiane, et Sebastiane, orate.
Sancti Joannes, et Paule, orate.
Sancti Cosma, et Damiane, orate.
Sancti Gervasi, et Protasi, orate.
Omnes sancti Martyres, orate.
Sancte Sylvester, ora.
Sancte Gregori, ora.
Sancte Ambrosi, ora.
Sancte Augustine, ora.
Sancte Hieronime, ora.
Sancte Martine, ora.
Sancte Nicolae, ora.
Omnes sancti Pontifices et Confessores, orate.
Omnes sancti Doctores, orate.

Sancte Antoni, ora.
Sancte Benedicte, ora.
Sancte Bernarde, ora.
Sancte Dominice, ora.
Sancte Francisce, ora.
Omnes sancti Sacerdotes et Levitæ, orate.
Omnes sancti Monachi et Eremitæ, orate.
Sancta Maria Magdalena, ora.
Sancta Agatha, ora.
Sancta Lucia, ora.
Sancta Agnes, ora.
Sancta Cæcilia, ora.
Sancta Catharina, ora.
Sancta Anastasia, ora.
Omnes sanctæ Virgines et Viduæ, orate.
Omnes Sancti, et Sanctæ Dei, intercedite pro nobis.
Propitius esto, parce nobis Domine.
Propitius esto, exaudi nos Domine.
Ab omni malo, libera nos Domine.
Ab omni peccato, libera.
Ab ira tua, libera.
A subitanea et improvisa morte, libera.
A flagello terræmotus, libera.
Ab insidiis diaboli, libera.
Ab ira, et odio, et omni mala voluntate, libera.
A spiritu fornicationis, libera.
A fulgure et tempestate, libera.
A morte perpetua, libera.
Per mysterium Sanctæ Incarnationis tuæ, libera.
Per Adventum tuum, libera.

Per Nativitatem tuam, libera.
Per Baptismum et sanctum jejunium tuum, libera.
Per Crucem et passionem tuam, libera.
Per mortem et sepulturam tuam, libera.
Per sanctam Resurrectionem tuam, libera.
Per admirabilem Ascensionem tuam, libera.
Per adventum Spiritus Sancti Paracliti, libera.
In die judicii, libera.
Peccatores, te rogamus audi nos.
Ut nobis parcas, te rogamus audi nos.
Ut nobis indulgeas, te rogamus audi nos.
Ut ad veram pœnitentiam nos perducere digneris, te.
Ut Ecclesiam tuam sanctam regere, et conservare digneris, te rogamus audi nos.
Ut domnum apostolicum, et omnes Ecclesiasticos ordines in sancta religione conservare digneris, te.
Ut inimicos sanctæ Ecclesiæ humiliare digneris, te.
Ut Regibus et Principibus Christianis pacem et veram concordiam donare digneris, te rogamus audi nos.
Un cuncto populo Christiano pacem et unitatem largiri digneris, te rogamus audi nos.
Ut nos metipsos in tuo sancto servitio confortare et conservare digneris, te rogamus audi nos.
Ut mentes nostras ad cœlestia desideria erigas, te.
Ut omnibus benefactoribus nostris sempiterna bona retribuas, te rogamus audi nos.
Ut animas nostras, fratrum, propinquorum, et benefactorum nostrorum ab æterna damnatione eripias, te rogamus audi nos.
Ut fructus terræ dare et conservare digneris, te.

Ut omnibus fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris, te rogamus audi nos.

Ut nos exaudire digneris, te rogamus audi nos.

Fili Dei, te rogamus audi nos.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi, parce nobis Domine.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi, exaudi nos Domine.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi, miserere nobis.

Christe audi nos. Christe exaudi nos. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster. *Secreto.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos à malo.

PSALMUS LXIX.

Deus, in adjutorium meum intende: * Domine ad adjuvandum me festina.

Confundantur, et revereantur, * qui quærunt animam meam.

Avertantur retrorsum, et erubescant, * qui volunt mihi mala.

Avertantur statim erubescentes, * qui dicunt mihi: Euge, euge.

Exultent, et lætentur in te omnes qui quærunt te, * et dicant semper: Magnificetur Dominus; qui diligunt salutare tuum.

Ego vero egenus et pauper sum: * Deus, adjuva me.

Adjutor meus, et liberator meus es tu: * Domine, ne moreris. Gloria Patri, etc.

℣. Salvos fac servos tuos.

℟. Deus meus, sperantes in te.

℣. Esto nobis, Domine, turris fortitudinis.

℟. A facie inimici.

℣. Nihil proficiat inimicus in nobis.

℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.

℣. Domine, non secundum peccata nostra facias nobis.

℟. Neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis.

℣. Oremus pro Pontifice nostro N.

℟. Dominus conservet eum, et vivificet eum, et beatum faciat eum in terra, et non tradat eum in animam inimicorum ejus [1].

℣. Oremus pro benefactoribus nostris.

℟. Retribuere dignare, Domine, omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum vitam æternam. Amen.

℣. Oremus pro fidelibus defunctis.

℟. Requiem æternam dona eis, Domine, et lux perpetua luceat eis.

℣. Requiescant in pace.

℟. Amen.

℣. Pro fratribus nostris absentibus.

℟. Salvos fac servos tuos, Deus meus, sperantes in te.

℣. Mitte eis, Domine, auxilium de sancto.

℟. Et de Sion tuere eos.

[1] *Sede Papali vacante, omittatur, et statim dicatur:* Oremus pro benefactoribus nostris, etc.

℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus, cui proprium est misereri semper et parcere, suscipe deprecationem nostram : ut nos, et omnes famulos tuos, quos delictorum catena constringit, miseratio tuæ pietatis clementer absolvat.

Exaudi, quæsumus Domine, supplicum preces, et confitentium tibi parce peccatis : ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus et pacem.

Ineffabilem nobis, Domine, misericordiam tuam clementer ostende : ut simul nos et à peccatis omnibus exuas, et à pœnis, quas pro his meremur, eripias.

Deus, qui culpa offenderis, pœnitentia placaris, preces populi tui supplicantis propitius respice : et flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis nostris meremur, averte.

Omnipotens, Sempiterne Deus, miserere famulo tuo Pontifici nostro N. [1], et dirigi eum secundum tuam clementiam in viam salutis æternæ : ut te donante tibi placita cupiat, et tota virtute perficiat.

Deus, à quo sancta desideria, recta consilia, et justa sunt opera, da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem : ut et corda nostra mandatis tuis

[1] *Sede Papali vacante, omittatur, et statim dicatur Oratio sequens :* Deus, à quo sancta desideria, etc.

dedita, et hostium sublata formidine, tempora sint tua protectione tranquilla.

Ure igne Sancti Spiritus renes nostros, et cor nostrum, Domine: ut tibi casto corpore serviamus, et mundo corde placeamus.

Fidelium, Deus, omnium Conditor et Redemptor, animabus famulorum, famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum: ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur.

Actiones nostras, quæsumus Domine, aspirando præveni, et adjuvando prosequere: ut cuncta nostra oratio, et operatio à te semper incipiat, et per te cœpta finiatur.

Omnipotens, Sempiterne Deus, qui vivorum dominaris simul et mortuorum, omniumque misereris, quos tuos fide et opere futuros esse prænoscis: te supplices exoramus, ut pro quibus effundere preces decrevimus, quosque vel præsens sæculum adhuc in carne retinet, vel futurum jam exutos corpore suscepit, intercedentibus omnibus Sanctis tuis, pietatis tuæ clementia, omnium delictorum suorum veniam consequantur. Per Dominum nostrum Jesum-Christum filium tuum: qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

℣. Exaudiat nos omnipotens et misericors Dominus.

℟. Amen.

℣. Et fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace. ℟. Amen.

BENEDICTIO AERIS AD PETENDAM PLUVIAM.

(Ex Rit. Vicen. Barcin. et Col. P. Sannig.).

Potest fieri cum Processione publica, ex Parochia, vel privatim ante valvas Ecclesiæ, vel domi. Primo dicuntur Litaniæ omnium Sanctorum usque ad finem, ut supra pag. 40; et ante versum: Ut fructus terræ dare, etc., *bis dicatur:*

Ut congruentem pluviam fidelibus tuis concedere digneris, te rogamus audi nos.

In fine postea dicitur: Pater noster, *secreto.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos à malo.

PSALMUS CXLVI.

Laudate Dominum quoniam bonus est psalmus: * Deo nostro sit jucunda, decoraque laudatio.

Ædificans Jerusalem Dominus: * dispersiones Israelis congregabit.

Qui sanat contritos corde: * et alligat contritiones eorum.

Qui numerat multitudinem stellarum: * et omnibus eis nomina vocat.

Magnus Dominus noster, et magna virtus ejus: * et sapientiæ ejus non est numerus.

Suscipiens mansuetos Dominus: * humilians autem peccatores usque ad terram.

Præcinite Domino in confessione: * psallite Deo nostro in cithara.

Qui operit cœlum nubibus : * et parat terræ pluviam.
Qui producit in montibus fœnum : * et herbam servituti hominum.
Qui dat jumentis escam ipsorum : * et pullis corvorum invocantibus eum.
Non in fortitudine equi voluntatem habebit : * nec in tibiis viri beneplacitum erit ei.
Beneplacitum est Domino super timentes eum : * et in eis qui sperant super misericordia ejus.
Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, etc.

Quo finito dicantur preces sequentes :

℣. Operi Domine cœlum nubibus.
℟. Et para terræ pluviam.
℣. Ut producat in montibus fœnum.
℟. Et herbam servituti hominum.
℣. Riga montes de superioribus tuis.
℟. Et de fructu operum tuorum satiabitur terra.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus, in quo vivimus, movemur, et sumus : pluviam nobis tribue congruentem ; ut præsentibus auxiliis sufficienter adjuti, sempiterna fiducialius appetamus.

Oratio.

Præsta, quæsumus omnipotens Deus : ut qui in afflic-

tione nostra de tua pietate confidimus, contra adversa omnia, tua semper protectione muniamur.

Oratio.

Da nobis, quæsumus Domine, pluviam salutarem, et aridam terræ faciem fluentis cœlestibus dignanter infunde. Per Dominum nostrum Jesum-Christum, etc.

℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.
℣. Benedicamus Domino.
℟. Deo gratias.
℣. Exaudiat nos omnipotens et misericors Dominus.
℟. Amen.
℣. Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace. ℟. Amen.

BENEDICTIO PRO AERIS SERENITATE.

(Ex Rit. Vicen. et Barcin. et Col. P. Sannig).

Quæ potest etiam fieri post publicam cum populo supplicationem; vel privatim ante Ecclesiam, aut domi à Sacerdote. Primo dicuntur Litaniæ ut supra pag. 40, et ante versum: Ut fructus terræ, etc., *bis dicatur:*

Ut fidelibus tuis aeris serenitatem concedere digneris, te rogamus audi nos.

In fine obsecrationum dicitur: Pater noster, etc.
℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos à malo.

PSALMUS LXVI.

Deus misereatur nostri, et benedicat nobis: * illuminet vultum suum super nos, et misereatur nostri.
Ut cognoscamus in terra viam tuam: * in omnibus gentibus salutare tuum.
Confiteantur tibi populi Deus: * confiteantur tibi populi omnes.
Lætentur et exultent Gentes: * quoniam judicas populos in æquitate, et Gentes in terra dirigis.
Confiteantur tibi populi Deus: confiteantur tibi populi omnes: * terra dedit fructum suum.
Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus: * et metuant eum omnes fines terræ.
Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, etc.

℣. Adduxisti Domine spiritum tuum super terram.
℟. Et prohibitæ sunt pluviæ de cœlo.
℣. Cum obduxero nubibus cœlum.
℟. Apparebit arcus meus, et recordabor fœderis mei.
℣. Illustra faciem tuam Domine super servos tuos.
℟. Et benedic sperantes in te.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus, qui culpa offenderis, pœnitentia placaris: preces populi tui supplicantis propitius respice: et flagel-

la tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis nostris meremur, averte.

Oratio.

Ad te nos, Domine, clamantes exaudi : et aeris serenitatem nobis tribue supplicantibus ; ut qui juste pro peccatis nostris affligimur, misericordia tua præveniente, clementiam sentiamus.

Oratio.

Quæsumus omnipotens Deus clementiam tuam : ut inundantiam coerceas imbrium, et hilaritatem vultus tui nobis impertiri digneris. Per Dominum nostrum, etc. ℟. Amen.

BENEDICTIO PULVERIS TORMENTARII, SEU JACULATORII. ITEM GLOBORUM PLUMBEORUM, VEL FERREORUM CUM EXORCISMO.

(Ex Col. P. Sannig).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Exorcismus.

Exorcizo vos, creatura pulveris tormentarii *(globorum plumbeorum, vel ferreorum)* per Deum ✠ vivum, per Deum ✠ verum, per Deum ✠ sanctum, et per

Smam. Trinitatem Pa✠trem, et Fi✠lium, et Spiritum ✠Sanctum, et per Deum, qui omnia creavit ex nihilo, qui rebelles Angelos de cœlo ad inferos præcipitavit: et per Jesum-Christum Filium ejus, Dominum nostrum, qui daturus est prædestinatis feliciter Regnum æternum, et reprobis damnationem, et per omnia nomina Sancta Dei, vos conjuro, et exorcizo, et per omnia modo dicta, ut sint in defensionem nostram, et Ecclesiæ Christi; ac dissolutionem omnium præstigiorum, maleficiorum, et superstitiosarum illusionum corporis humani, ita ut nihil impedire valeant, quominus per has creaturas Dei, inimici nostri, et catholicæ fidei hostes offendi, penetrari, et superari valeant. Per eum qui venturus est judicare vivos, et mortuos, et sæculum per ignem. Amen.

OREMUS.

Ineffabilem clementiam tuam, omnipotens æterne Deus, humiliter imploramus, ut sicut tu es Unus in essentia, et trinus in personis, Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus: ita per eamdem immensam clementiam, et pietatem tuam, bene✠dicere digneris has tuas creaturas pulveris tormentarii *(globorum plumbeorum, et ferreorum, etc.)* ut sin omnibus christianis fidelibus ad defensionem, justa eas usurpantibus protectio, et defensio perpetua contra omnes spiritus malignos, incantationes, præstigia, et maleficia: sintque perpetua malignorum spirituum, et maleficiorum expulsio, annihilatio, eorumque ac omnium præstigiorum, ac superstitiosarum illusionum dissolutio, et dissipatio; ut quem-

cumque locum humani corporis ac hostilis tetigerint, nulla spirituum malignorum potestas eorum vim retundere, vel debilitare possit, ut pro fidei catholicæ, ac fidelium servorum tuorum defensione, vel propugnatione, iniquorum hostium fines penetrare, in fugam propellere, et superare possint: idque, benignissime Deus, pro tua misericordia præstare digneris, per virtutem sanctissimæ Cru✠cis Domini ac Salvatoris Jesu-Christi, qui tecum vivit, et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Aspergantur aqua benedicta, dicendo:

In nomine Patris, ✠ et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

BENEDICTIO CANDELARUM EXTRA DIEM PURIFICATIONIS B. V. MARIÆ.

(Ex Miss. Rom. et Rit. R. V. B. Ur. et Ger.).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine Jesu-Christe, Fili Dei vivi, bene✠dic candelas istas supplicationibus nostris: infunde eis, per virtutem sanctæ Cru✠cis benedictionem cœlestem, qui eas ad repellendas tenebras humano generi tribuisti: talemque benedictionem signaculo sanctæ Cru✠cis ac-

cipiant: ut quibuscumque locis accensæ, sive positæ fuerint, discedant principes tenebrarum, et contremiscant, et fugiant pavidi cum omnibus ministris suis ab habitationibus illis; nec præsumant amplius inquietare, aut molestare servientes tibi omnipotenti Deo. Qui vivis, et regnas in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Postmodum aspergantur aqua benedicta ad modum Crucis.

BENEDICTIO CANDELARUM IN FESTO S. BLASII EPISC. ET MAR.

(Ex Col. P. Sannig).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Omnipotens et mitissime Deus, qui omnium mundi rerum diversitates solo verbo creasti, et ad hominum reformationem, illud idem Verbum per quod facta sunt omnia, incarnari voluisti, qui magnus es, et immensus, terribilis, atque laudabilis, ac faciens mirabilia: pro cujus fide, et confessione, gloriosus martyr et pontifex Blasius, diversorum tormentorum genera non pavescens, martyrii palmam est adeptus; quique eidem inter cæteras gratias, hanc prærogativam contulisti, ut quoscumque gutturis morbo tua virtute curaret: Majestatem tuam suppliciter exoramus, ut, non inspectu

reatus nostri, sed ejus placatus meritis et precibus, hanc ceræ creaturam bene ✠ dicere, ac sancti ✠ ficare, tua venerabili pietate digneris, tuam gratiam infundendo, ut omnes, quorum colla per eam ex bona fide tacta fuerint, à quocumque gutturis morbo, ipsius passionis meritis liberentur, et in Ecclesia sancta tua, sani, et hilares, tibi gratiarum referant actiones, laudentque nomen tuum gloriosum, quod est benedictum in sæcula sæculorum. Per eumdem Dominum nostrum, etc.

Aspergantur aqua benedicta.

ALIA BENEDICTIO CANDELARUM ET CEREORUM.

(Ex Rit. Vicen. ord. per Illm. Ep. D. de Tocco).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus, à quo omne bonum sumit initium, et semper ad potiora progrediens percipit incrementum : concede, quæsumus supplicationibus nostris, ut quod ad laudem nominis tui inchoare aggredimur, æterno tuæ paternæ sapientiæ munere perducatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

OREMUS.

Domine Jesu-Christe, lux vera, quæ illuminas om-

nem hominem venientem in hunc mundum, effunde bene✠dictionem tuam super hos cereos et super has candelas, et sanctifica eas lumine tuæ gratiæ, et concede propitius, ut sicut hæc luminaria igni visibili accensa nocturnas depellunt tenebras : ita corda nostra invisibili igne, id est, Spiritus Sancti splendore illustrata omnium vitiorum cæcitate careant, ut pro muro mentis oculo cernere semper possimus, quæ tibi sunt placita et nostræ saluti utilia, quatenus post hujus sæculi caliginosa discrimina, ad lucem indeficientem pervenire mereamur. Per Dominum nostrum, etc.

Aspergantur aqua benedicta.

BENEDICTIO CRUCUM.

(Ex Rit. Vicen. ord. per. Illm. Ep. D. de Tocco).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus, à quo omne bonum, *ut supra pag. 56.*

OREMUS.

Bene✠dic, Domine, has cruces, per quas mundum à potestate dæmonum eripuisti, et passione tua suggestorem peccati superasti, qui gaudebat in prævaricatione primi hominis per ligni vetiti præsumptionem : Sanc✠tifica, Domine, istud signaculum passionis tuæ, ut

sit inimicis nostris obstaculum, et credentibus in te perpetuum salvationis vexillum. Qui cum Deo Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas Deus per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Aspergantur aqua benedicta.

ALIA BENEDICTIO CRUCUM.

(Ex cod. Rit. Vicen. ord. per Illm. Ep. D. de Tocco).

Omnia ut supra, pag. 56.

OREMUS.

Rogamus te, Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, ut digneris bene ✠ dicere hoc lignum crucis, ut sit remedium singulare generi humano, sit soliditas fidei, profectio bonorum, redemptio animarum, perfectio ad tutelam contra sæva inimicorum jacula. Per Dominum nostrum, etc.

Aspergantur aqua benedicta.

BENEDICTIO LOCI VEL DOMUS.

(Ex Rit. et Miss. R.).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Bene ✠ dic Domine Deus omnipotens locum istum (vel domum istam) ut sit in eo (vel in ea) sanitas, cas-

titas, victoria, virtus, humilitas, bonitas, et mansuetudo, plenitudo legis, et gratiarum actio Deo Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, et hæc benedictio maneat super hunc locum, et super habitantes in eo nunc et semper. ℟. Amen.

Et aspergat aqua benedicta.

BENEDICTIO DOMUS NOVÆ.

(Ex Rit. et Miss. R.).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Te Deum Patrem omnipotentem suppliciter exoramus pro hac domo, et habitatoribus ejus, ac rebus : ut eam bene ✠ dicere, et sanc ✠ tificare, ac bonis omnibus ampliare digneris : tribue eis Domine de rore cœli abundantiam, et de pinguedine terræ vitæ substantiam, et desideria voti eorum ad effectum tuæ miserationis perducas. Ad introitum ergo nostrum bene ✠ dicere, et sancti ✠ ficare digneris hanc domum, sicut benedicere dignatus es domum Abraham, Isaac, et Jacob : et intra parietes domus istius Angeli tuæ lucis inhabitent, eamque et ejus habitatores custodiant. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde aspergat aqua benedicta.

BENEDICTIO THALAMI SEU CAMERÆ.

(Ex Rit. et Miss. R.).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Bene✠dic, Domine, thalamum hunc: ut omnes habitantes in eo, in tua pace consistant, et in tua voluntate permaneant, et senescant, et multiplicentur in longitudine dierum, et ad regna cœlorum perveniant. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Postea aspergat thalamum aqua benedicta.

BENEDICTIO MARIS.

(Ex Rit. Gerun.).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℣. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine Jesu-Christe, qui Apostolis tuis, ad ostendendam tuam potentiam, copiosissimam piscationem

tribuere voluisti, concede propitius omnibus, et singulis in hoc mari piscantibus; ut laxantes retia in nomine tuo abundantem piscium captionem pro eorum victu, tuoque servitio, ad laudem, et gloriam nominis tui, benigniter consequantur. Qui vivis, et regnas in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

OREMUS.

Benedictio Dei omnipotentis Patris ✠ et Filii, et Spiritus Sancti descendat super hoc mare, et super omnes piscantes in eo, ut de copiosa piscatione lætabundi, de tuis, Domine, donis et datis, in grati animi obsequium, et supremi tui dominii protestationem, templo sancto tuo valeant frequenter afferre. Qui vivis et regnas Deus in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Aspergat aqua benedicta.

BENEDICTIO NOVÆ NAVIS.

(Ex Rit. et Miss. R.).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Propitiare, Domine, supplicationibus nostris, et bene ✠ dic navem istam dextera tua sancta, et omnes qui in ea vehentur, sicut dignatus es benedicere arcam Noe

ambulantem in diluvio : porrige ei, Domine, dexteram tuam, sicut porrexisti beato Petro ambulanti supra mare : et mitte sanctum Angelum tuum de cœlis, qui liberet et custodiat eam semper à periculis universis, cum omnibus quæ in ea erunt : et famulos tuos, repulsis adversitatibus, portu semper optabili cursuque tranquillo tuearis, transactisque ac recte perfectis negotiis omnibus, iterato tempore ad propria cum omni gaudio revocare digneris. Qui vivis, et regnas, etc.

Aspergat navim aqua benedicta.

ALIA BENEDICTIO NOVÆ NAVIS.

(Ex Rit. Gerun. et Barcin.).

Stans Sacerdos in puppi navis, dicat psalm. seq.

PSALMUS CVI.

Confitemini Domino quoniam bonus : * quoniam in sæculum misericordia ejus.

Dicant qui redempti sunt à Domino, quos redemit de manu inimici : * et de regionibus congregavit eos.

A solis ortu, et occasu : * ab Aquilone, et mari.

Erraverunt in solitudine in inaquoso : * viam civitatis habitaculi non invenerunt.

Esurientes et sitientes : * anima eorum in ipsis defecit.

Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur : * et de necessitatibus eorum eripuit eos.

Et deduxit eos in viam rectam : * ut irent in civitatem habitationis.

Confiteantur Domino misericordiæ ejus : * et mirabilia ejus filiis hominum.

Quia satiavit animam inanem : * et animam esurientem satiavit bonis.

Sedentes in tenebris, et umbra mortis : * vinctos in mendicitate et ferro.

Quia exacerbaverunt eloquia Dei : * et consilium Altissimi irritaverunt.

Et humiliatum est in laboribus cor eorum : * infirmati sunt, nec fuit qui adjuvaret.

Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur : * et de necessitatibus eorum liberavit eos.

Et eduxit eos de tenebris, et umbra mortis : * et vincula eorum disrupit.

Confiteantur Domino misericordiæ ejus : * et mirabilia ejus filiis hominum.

Quia contrivit portas æreas : * et vectes ferreos confregit.

Suscepit eos de via iniquitatis eorum : * propter injustitias enim suas humiliati sunt.

Omnem escam abominata est anima eorum : * et appropinquaverunt usque ad portas mortis.

Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur : * et de necessitatibus eorum liberavit eos.

Misit verbum suum et sanavit eos : * et eripuit eos de interitionibus eorum.

Confiteantur Domino misericordiæ ejus : * et mirabilia ejus filiis hominum.

Et sacrificent sacrificium laudis : * et annuntient opera ejus in exultatione.

Qui descendunt mare in navibus : * facientes operationem in aquis multis.

Ipsi viderunt opera Domini : * et mirabilia ejus in profundo.

Dixit, et stetit spiritus procellæ : * et exaltati sunt fluctus ejus.

Ascendunt usque ad cœlos, et descendunt usque ad abyssos : * anima eorum in malis tabescebat.

Turbati sunt, et moti sunt sicut ebrius : * et omnis sapientia eorum devorata est.

Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur : * et de necessitatibus eorum eduxit eos.

Et statuit procellam ejus in auram : * et siluerunt fluctus ejus.

Et lætati sunt quia siluerunt : * et deduxit eos in portum voluntatis eorum.

Confiteantur Domino misericordiæ ejus : * et mirabilia ejus filiis hominum.

Et exaltent eum in Ecclesia plebis : * et in cathedra seniorum laudent eum.

Posuit flumina in desertum : * et exitus aquarum in sitim.

Terram fructiferam in salsuginem : * à malitia inhabitantium in ea.

Posuit desertum in stagna aquarum : * et terram sine aqua in exitus aquarum.

Et collocavit illic esurientes : * et constituerunt civitatem habitationis.

Et seminaverunt agros, et plantaverunt vineas : * et fecerunt fructum nativitatis.

Et benedixit eis, et multiplicati sunt nimis : * et jumenta eorum non minoravit.

Et pauci facti sunt : * et vexati sunt à tribulatione malorum, et dolore.

Effusa est contemptio super principes : * et errare fecit eos in invio, et non in via.

Et adjuvit pauperem de inopia : * et posuit sicut oves familias.

Videbunt recti, et lætabuntur : * et omnis iniquitas oppilabit os suum.

Quis sapiens, et custodiet hæc : * et intelliget misericordias Domini?

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, etc.

Finito Psalmo, dicat :

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum et terram.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Respice in nos omnipotens Deus de cœlo sancto tuo, et dignare benedictione cœlesti huic bene✠dicere navi ; in qua, sancto comitante Angelo tuo, ambulantes itinere recto, et prospero, dirigere, et ab omni tristitia, et infortunio eripere digneris : ut ad patriam, et ad portum salutis reversi, te cum alacritate mentis exultantes, laudent Creatorem universorum. Qui cum Filio tuo benedicto Domino nostro vivis et regnas, Deus in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.
℣. Sequentia sancti Evangelii secundum Marcum.
℟. Gloria tibi Domine.

Marci, IV.

In illo tempore: Una die, cum sero esset factum, dixit Jesus Discipulis suis: Transeamus contra. Et dimittentes turbam, assumunt eum, ita ut erat in navi, et aliæ naves erant cum illo. Et facta est procella magna venti, et fluctus mittebat in navim, ita ut implerétur navis. Et erat ipse in puppi, super cervical dormiens: et excitant eum, et dicunt illi: Magister, non ad te pertinet, quia perimus? Et exurgens comminatus est vento, et dixit mari: Tace, obmutesce. Et cessavit ventus: et facta est tranquillitas magna. Et ait illis: quid timidi estis, necdum habetis fidem? Et timuerunt timore magno, et dicebant ad alterutrum: Quis putas est iste, quia ventus, et mare obediunt ei?

OREMUS.

Bene✠dic Domine hanc navim, sicut benedixisti filiis Israel de Ægypto per manum Moysi exeuntibus, et per mare Rubrum transeuntibus: sic navim istam, et famulos tuos in ea navigantes bene✠dicere, et ad destinatum locum perducere digneris. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Postea dicat Psalm. sequen. et interim aspergat puppim aqua benedicta.

PSALMUS XXVIII.

Afferte Domino filii Dei: * afferte Domino filios arietum.

Afferte Domino gloriam et honorem, afferte Domino gloriam nomini ejus: * adorate Dominum in atrio sancto ejus.

Vox Domini super aquas, Deus majestatis intonuit: * Dominus super aquas multas.

Vox Domini in virtute: * vox Domini in magnificentia.

Vox Domini confringentis cedros: * et confringet Dominus cedros Libani.

Et comminuet eas tanquam vitulum Libani: * et dilectus quemadmodum filius unicornium.

Vox Domini intercidentis flammam ignis: * vox Domini concutientis desertum: et commovebit Dominus desertum Cades.

Vox Domini præparantis cervos et revelabit condensa: * et in templo ejus omnes dicent gloriam.

Dominus diluvium inhabitare facit: * et sedebit Dominus Rex in æternum.

Dominus virtutem populo suo dabit: * Dominus benedicet populo suo in pace.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, etc.

Deinde stans in medio navis dicat:

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

℣. Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum.

℟. Gloria tibi Domine.

Matth. XIV.

In illo tempore : Jussit Jesus Discipulos suos ascendere in naviculam, et præcedere eum trans fretum, donec dimitteret turbas. Et dimissa turba ascendit in montem solus orare ; vespere autem facto, solus erat ibi : navicula autem in medio mari jactabatur fluctibus : erat enim contrarius ventus. Quarta autem vigilia noctis venit ad eos, ambulans super mare. Et videntes eum super mare ambulantem, turbati sunt, dicentes : Quia phantasma est : et præ timore clamaverunt. Statimque Jesus locutus est eis, dicens : Habete fiduciam, ego sum, nolite timere. Respondens autem Petrus dixit : Domine, si tu es, jube me ad te venire super aquas. At ipse ait : Veni. Et descendens Petrus de navicula ambulabat super aquam, ut veniret ad Jesum. Videns vero ventum validum timuit. Et cum cœpisset mergi, clamavit dicens : Domine salvum me fac. Et continuo Jesus extendens manum, apprehendit eum, et ait illi : Modicæ fidei quare dubitasti ? Et cum ascendisset in naviculam, cessavit ventus. Qui autem in navicula erant venerunt, et adoraverunt eum dicentes : Vere filius Dei es.

OREMUS.

Domine Deus noster, qui gubernasti Noe super undas diluvii, et manum Petro extendisti : porrige dexteram tuam super hanc navim, et super Nauclerum, et nautas ejus ; et dona ipsis famulis tuis sanitatem animæ, et corporis, et ad portum salutis eos perducere

digneris illæsos. Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum, etc.

Postea dicat Psalmum sequentem:

PSALMUS LXXVI.

Voce mea ad Dominum clamavi: * voce mea ad Deum, et intendit mihi.

In die tribulationis meæ Deum exquisivi, manibus meis nocte contra eum: * et non sum deceptus.

Renuit consolari anima mea: * memor fui Dei, et delectatus sum, et exercitatus sum: et defecit spiritus meus.

Anticipaverunt vigilias oculi mei: * turbatus sum, et non sum locutus.

Cogitavi dies antiquos: * et annos æternos in mente habui.

Et meditatus sum nocte cum corde meo: * et exercitabar, et scopebam spiritum meum.

Numquid in æternum projiciet Deus? * aut non apponet ut complacitior sit adhuc?

Aut in finem misericordiam suam abscindet: * à generatione in generationem?

Aut obliviscetur misereri Deus? * aut continebit in ira sua misericordias suas?

Et dixi, Nunc cœpi: * hæc mutatio dexteræ Excelsi.

Memor fui operum Domini: * quia memor ero ab initio mirabilium tuorum.

Et meditabor in omnibus operibus tuis: * et in adinventionibus tuis exercebor.

Deus in sancto via tua : quis Deus magnus sicut Deus noster ? * tu es Deus, qui facis mirabilia.

Notam fecisti in populis virtutem tuam : * redemisti in brachio tuo populum tuum, filios Jacob et Joseph.

Viderunt te aquæ Deus, viderunt te aquæ : * et timuerunt, et turbatæ sunt abyssi.

Multitudo sonitus aquarum : * vocem dederunt nubes.

Etenim sagittæ tuæ transeunt : * vox tonitrui tui in rota.

Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ : * commota est, et contremuit terra.

In mari via tua, et semitæ tuæ in aquis multis : * et vestigia tua non cognoscentur.

Deduxisti sicut oves populum tuum : * in manu Moysi et Aaron.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, etc.

Et interim aspergat medium navis aqua benedicta.

Deinde in prora navis dicat :

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

℣. Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

℟. Gloria tibi Domine.

Lucæ, v.

In illo tempore : Cum turbæ irruerent in Jesum, ut audirent verbum Dei, et ipse stabat secus stagnum Genesareth. Et vidit duas naves stantes secus stagnum : piscatores autem descenderant, et lavabant retia. Ascendens autem in unam navim, quæ erat Simonis, rogavit eum à terra reducere pusillum. Et sedens doce-

bat de navicula turbas. Ut cessavit autem loqui, dixit ad Simonem : Duc in altum, et laxate retia vestra in capturam. Et respondens Simon, dixit illi : Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus, in verbo autem tuo laxabo rete. Et cum hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem copiosam ; rumpebatur autem rete eorum : et annuerunt sociis, qui erant in alia navi, ut venirent, et adjuvarent eos. Et venerunt, et impleverunt ambas naviculas.

OREMUS.

Domine Jesu-Christe, qui in similitudinem navis Ecclesiæ, Noe arcam fieri voluisti, ut inundante diluvio, soli qui in ea inventi essent, salvarentur : suppliciter exoramus clementiam tuam, ut huic navi saluberrimum profectionis cursum passim, jugiterque concedas. Qui vivis, et regnas, etc.

Postea dicat Psalmum sequentem :

PSALMUS XLV.

Deus noster refugium et virtus : * adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis.

Propterea non timebimus dum turbabitur terra : * et transferentur montes in cor maris.

Sonuerunt, et turbatæ sunt aquæ eorum : * conturbati sunt montes in fortitudine ejus.

Fluminis impetus lætificat civitatem Dei : * sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.

Deus in medio ejus, non commovebitur : * adjuvabit eam Deus mane diluculo.

Conturbatæ sunt gentes, et inclinata sunt regna : * dedit vocem suam, mota est terra.

Dominus virtutum nobiscum : * susceptor noster Deus Jacob.

Venite, et videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram : * auferens bella usque ad finem terræ.

Arcum conteret, et confringet arma : * et scuta comburet igni.

Vacate, et videte quoniam ego sum Deus : * exaltabor in gentibus, et exaltabor in terra.

Dominus virtutum nobiscum : * susceptor noster Deus Jacob.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, etc.

Et interim proram navis aspergat aqua benedicta.

Postea revertitur in medium navis et ibi dicat :

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

℣. Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem.

℟. Gloria tibi Domine.

Joan. VI.

In illo tempore : Cum cognovisset Jesus, quia venturi essent, ut raperent eum, et facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus. Ut autem sero factum est, descenderunt Discipuli ejus ad mare. Et cum ascendisset navim, venerunt trans mare in Capharnaum : et tenebræ jam factæ erant, et non venerat ad eos Jesus. Mare autem, vento magno flante, exurgebat. Cum remigassent ergo quasi stadia viginti quin-

que, aut triginta, viderunt Jesum ambulantem supra mare, et proximum navi fieri : et timuerunt. Ille autem dicit eis : Ego sum, nolite timere. Voluerunt ergo accipere eum in navim, et statim navis fuit ad terram, in quam ibant.

OREMUS.

Deus, cujus in mari viæ, et semitæ in aquis multis, intende supplicantium preces : et famulos tuos, in hac navi constitutos, maris semitas peragrantes, quos sacramentorum tuorum perfundit gratia, potentiæ tuæ dextera protector regas, et in fluctibus gubernes, adversus omnes formidines atque infortunia, omnibusque in hac navi contentis substantiis, atque impositis bene✠dicas, eorumque lucra multiplices : ac contra cunctarum terrarum, et maris discrimina eos propitius defensare digneris. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Postea dicat :

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster, etc. Ave Maria, etc. Credo in Deum, etc.

Et interim aspergat totam navim aqua benedicta. Et finito Credo, *fiat commemoratio Sancti, sub cujus invocatione fuit benedicta navis. Qua finita dicat Sacerdos :*

℣. In mari viæ tuæ, et semitæ tuæ in aquis multis : et vestigia non cognoscentur.

℟. Deduxisti sicut oves populum tuum, in manu Moysi, et Aaron.

℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Exaudi nos, Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus : et mittere digneris sanctum Angelum tuum de cœlis, qui custodiat, foveat, protegat, visitet atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo.

Omnipotens sempiterne Deus, qui beatum Petrum Apostolum tuum, super mare ambulantem ad te venire jussisti, et coapostolum ejus Paulum tertio naufragantem de profundo pelagi liberasti, bene ✠ dicere digneris hanc navim ; et famulis tuis in ea navigantibus, in tua misericordia confidentibus adesse digneris, ut ope misericordiæ tuæ adjuti, ad loca destinata, et ad portum salutis, sine impedimento, sani, et incolumes valeant pervenire. Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. ℟. Amen. Et benedictio Dei omnipotentis Patris, ✠ et Filii, et Spiritus Sancti descendat super hanc navim, et navigantes in ea, et maneat semper. ℟. Amen.

Salve Regina, *cum oratione* Concede nos famulos tuos, etc.

BENEDICTIO NAVIS, RETIUM, ET RELIQUI APPARATUS AD PISCANDUM.

(Ex Rit. Barcin. et Ord. Seraph. S. Fran.).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.

℣. Domine, exaudi orationem meam

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Per virtutem Sanctissimæ Cru✠cis, defendat vos Deus ab omnibus malis et periculis : et ego in nomine ipsius absolvo vos ab omnibus maleficiis, et operationibus diaboli et ministrorum ejus. ℟. Amen.

Ańa. Asperges me. *Asperget aqua benedicta omnia supradicta.*

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Exaudi nos, Domine Sancte Pater : et mittere digneris Sanctum Angelum tuum de cœlis, qui custodiat, foveat, protegat, visitet, atque defendat homines istos, navim, remos et retia. Per Christum, etc.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

℣. Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

℟. Gloria tibi Domine.

Lucæ, V.

In illo tempore : Cum turbæ irruerent in Jesum, ut audirent verbum Dei, et ipse stabat secus stagnum Genesareth. Et vidit duas naves stantes secus stagnum : piscatores autem descenderant, et lavabant retia. Ascendens autem in unam navim, quæ erat Simonis, rogavit eum à terra reducere pusillum. Et sedens doce-

bat de navicula turbas. Ut cessavit autem loqui, dixit ad Simonem : Duc in altum, et laxate retia vestra in capturam. Et respondens Simon, dixit illi : Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus; in verbo autem tuo laxabo rete. Et cum hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem copiosam; rumpebatur autem rete eorum. Et annuerunt sociis, qui erant in alia navi, ut venirent, et adjuvarent eos : Et venerunt, et impleverunt ambas naviculas.

Per Evangelica dicta ducat et reducat vos Dominus in pace, et abundantia piscium. Amen.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Protector in te sperantium Deus, qui pisces et creaturas omnes ad servitutem hominis creasti, infunde benedictionem tuam cœlestem super hos famulos tuos, et super navim, remos ac retia : et sicut sanctis Apostolis tuis, per totam noctem laborantibus, solo præcepti tui verbo multitudinem piscium contulisti; ita facias cum servis tuis, donandó eis tranquillitatem temporum, incolumitatem corporum, abundantiamque piscium. Per te Salvator, qui cum Patre, et Spiritu Sancto vivis et regnas in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

OREMUS.

Domine Deus omnipotens, omnium rerum creator et conservator : concede famulis tuis; ut meritis et intercessione Beatissimæ et gloriosissimæ, semperque Virginis Mariæ, et omnium sanctorum Apostolorum, Mar-

tyrum, Confessorum, Virginum, et Viduarum, navigationem suam feliciter faciant, et piscationem. Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

OREMUS.

Bene ✠ dic, Domine, retia ista ad piscandum. Bene ✠ dic navigium et funes. Bene ✠ dic remos et universam sarcinam, ad piscium captionem necessariam : et præsta ; ut reptilia maris ad tuam sanctam bene ✠ dictionem veniant, et in usum hominum capiantur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Hæc est clavis David *(dicendo hæc verba efformabit signum crucis super puppim, proram, et super duo latera naviculæ ex parte externa)*, quæ claudit, et nemo aperit : aperit, et nemo claudit. Frænum vobis pono, dæmones, malefici et maleficæ ; ut ad istam naviculam et retia accedere non possitis ; nec laborantibus cum eis malum aliquod inferre ; nec fructus maris impedire : imo confringantur vires vestræ, et destruantur à potentissima manu Dei, qui in Trinitate perfecta vivit et regnat in sæcula sæculorum. ℟. Amen. Ite in pace. Amen.

BENEDICTIO RETIS.

(Ex Col. P. Sannig).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Quæsumus, Pater Omnipotens, æterne Deus, ut mittere digneris bene ✠ dictionem tuam sanctam in istud rete, quod benedicimus in sancto tuo Nomine, et Filii tui Domini nostri Jesu-Christi, et Spiritus Sancti, quemadmodum benedicere dignatus es Sanctorum Apostolorum tuorum rete, cum dixisti eis : mittite in dexteram navigii rete, et invenietis, impletumque est multitudine piscium; ita nos non propter nostra merita, sed propter tuam clementiam, adjuvare digneris tua gratia, ut de tuis donis tibi semper gratias agamus, qui es benedictus in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Aspergatur aqua benedicta.

BENEDICTIO IGNIS.

(Ex Rit. Vicen. ord. ab Illmo. E. D. de Toc. et ex Rit. FF. ord. B. V. M. de Mont. Car.).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine Jesu-Christe, Deus omnipotens, lumen indeficiens, exaudi nos famulos tuos, et bene ✠ dic hunc ignem, qui tua sanc ✠ tificatione, atque bene ✠ dictione consecretur. Tu qui illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, illumina tenebras cordis nos-

tri, et conscientias nostras igne tuæ charitatis : ut tuo lumine igniti, et illuminati, expulsis à cordibus nostris peccatorum tenebris, ad vitam, te illustrante, pervenire mereamur æternam. Qui vivis, et regnas, etc.

Aspergatur aqua benedicta.

BENEDICTIO IGNIS IN FORNACE LATERUM, VEL CALCIS ARDENTIS.

(Ex Rituali Gerundensi).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus, qui filios Israel in operibus luti, et lateris amaritudine perductos misericorditer aspexisti : bene✠dicere, et sancti✠ficare digneris hunc ignem pro coctione istorum lapidum, vel laterum à fidelibus tuis præparatum : ut in eo diu, noctuque laborantes semper in gratiarum actione maneant; et fideles tui in domibus ex ipsis fabricandis, te semper diligere et laudare valeant. Per Christum, etc.

Aspergatur aqua benedicta.

BENEDICTIO INCENSI.

(Ex Rit. Tarr. Barc. Urg. Gerun. et Col. P. Sannig).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.

℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Tua, quæsumus omnipotens sempiterne Deus, immensæ Majestatis dextera, hanc creaturam Incensi bene ✠ dicere, et sancti ✠ ficare digneris : ut in virtute sancti Nominis tui omnes immundorum spirituum phantasticos incursus effugare, omnes morbos, reddita sanitate, expellere, ubicumque fumus ejus afflaverit, mirabiliter possit : atque tibi omnipotenti Deo odorem fragrantissimum perpetua suavitate reddere. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Aspergatur aqua benedicta.

BENEDICTIO AURI, THURIS, ET MYRRHÆ IN EPIPHANIA DOMINI.

(Ex Col. P. Sannig).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Suscipe, sancte Pater, à me indigno famulo tuo hæc munera, quæ in honorem nominis tui sancti, et in ti-

tulum Omnipotentis tuæ Majestatis humiliter tibi offero, sicut suscepisti Sacrificium Abel justi, et sicut eadem munera tribus Magis tibi quondam offerentibus suscepisti. Exorcizo te Creatura Auri, Myrrhæ, et Thuris per Patrem ✠ Omnipotentem, per Jesum ✠ Christum Filium ejus Unigenitum, per Spiritum Sanctum ✠ Paraclitum, ut à te discedat omnis fraus, dolus, et nequitia diaboli, et sit remedium salutare humano generi contra insidias inimici : ut quicumque divino freti auxilio te in suis loculis, domibus, aut circa se habuerint, per virtutem et merita Salvatoris nostri, ac intercessionem ejus Sanctissimæ Genitricis, et Virginis Mariæ, ac eorum, qui hodie similibus muneribus Christum Dominum venerati sunt, omniumque Sanctorum, ac omnibus periculis animæ, et corporis liberentur, et bonis omnibus perfrui mereamur. ℟. Amen.

Deus invisibilis, et indeterminabilis, pietatem tuam, per sanctum et tremendum Filii tui nomen, suppliciter deprecamur, ut in hanc Creaturam Auri, Thuris, et Myrrhæ bene✠dictionem, ac operationem tuæ virtutis infundas; ut qui ea penes se habuerint, ab omni ægritudinis, et læsionis incursu tuti sint, et omnes morbos corporis, et animæ effugiant, nullum dominetur eis periculum, et læti, ac incolumes tibi in Ecclesia tua deserviant. Qui in Trinitate perfecta vivis et regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Postea aspergantur aqua benedicta.

Et benedictio Dei omnipotentis Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spi✠ritus Sancti descendat super hanc Creaturam Auri, Thuris, et Myrrhæ et maneat semper. ℟. Amen.

BENEDICTIO SEPULTURÆ NOVÆ.

(Ex Rituali FF. Ord. B. V. M. de Monte Carmelo).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Sanc ✠ tificetur habitaculum istud, Domine Deus, per nostram supplicationem : ut ab eo omnes conatus immundorum spirituum mentes fidelium excitentur ad veniam impetrandam peccatorum, sive pœnarum pro defunctis in eo quiescentibus : ut cito à pœnis omnibus animæ liberentur ; et in die judicii cum corpore gloriosa felicitate fruantur. Per Christum, etc.

Aspergatur aqua benedicta.

BENEDICTIO MUNERIS SEU VOTI QUOD OFFERTUR ECCLESIÆ.

(Ex Rit. Vicen. et Urgel.).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus, cujus verbo, et potentia facta sunt omnia, et cujus dono percipimus, quæ ad vitæ remedium possi-

demus; te supplices obnixis precibus rogamus: ut de sede Majestatis tuæ huic oblationi fidelium sanctificator accedas; suscipe de manu famulorum tuorum munus oblatum, quod à tua clementia benedictum in usus hujus sanctuarii maneat consecratum. Sint hæc in conspectu tuo libenter accepta, sicut quondam Abel alumni tui, vel Melchisedech tibi munera placuerunt oblata. Et quia ad honorem tui amoris Ecclesiam tuam summis nituntur decorare obsequiis: tu eis, Domine, magna pro parvis recompensa, et devotionem eorum accipias, peccata dimittas, fide eos repleas, indulgentia foveas, misericordia protegas, adversa destruas, prospera concedas, habeant in hoc sæculo actionis bonæ documentum, charitatis studium, sancti amoris affectum, et in futuro cum sanctis Angelis adipiscantur perpetuum regnum. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Aspergantur munera aqua benedicta.

BENEDICTIO ANNULI ORDINARIA.

(Ex Col. P. Sannig).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Creator et Conservator humani generis, dator gra-

tiæ spiritualis, conditor æternæ salutis: tu Domine emittere digneris Spiritum S. tuum Paraclitum de cœlis, et tuam sanctam benedic ✠ tionem super annulum hunc, ut sit armatura potens contra omnes virtutes diabolicas. Et ego in tuo nomine eum bene ✠ dico, et sancti ✠ fico. In nomine Patris ✠, et Filii, et Spiritus Sancti. ℟. Amen.

Aspergatur, etc.

BENEDICTIO TINTINNABULI SEU CAMPANÆ.

(Ex Rit. Seraph. S. Fran.).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Bene ✠ dic, quæsumus omnipotens Deus, benedictione tua cœlesti cimbalum hoc, et sistat super eum virtus Spiritus Sancti; ut ubicumque postmodum sonuerit ejus tinnitus, procul recedat virtus insidiarum, umbra phantasmatum, incursio turbinum, percussio fulminum, læsio tonitruorum, calamitas tempestatum, et omnis spiritus procellarum. Qui vivis, etc.

Aspergatur aqua benedicta.

BENEDICTIO NOVI PUTEI.

(Ex Rituali Vicen. Tarrac. Barcin. et Urg.).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine Deus omnipotens, qui hujus putei altitudinem per crepidinem fistularum copiam aquarum manare jussisti, præsta: ut te juvante, atque bene ✠ dicente, per nostræ officium functionis, repulsis hinc phantasmaticis collusionibus, atque diabolicis insidiis, purificatus, atque emundatus semper hic puteus perseveret. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Aspergatur, etc.

BENEDICTIO BAPTISTERII.

(Ex Rit. Vicen. Tarr. et Barc.).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, Baptisterium hoc salutis æternæ cœlesti visitatione dedicatum, Spiritus

tui illustratione sancti ✠ fica : ut quotiescumque in fonte isto lavandi trina ablutione fuerint aspersi, purgationem, et omnium delictorum suorum indulgentiam consequantur. Per Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

OREMUS.

Multiplica, Domine, bene ✠ dictionem tuam, et Spiritus Sancti munere fidem nostram corrobora : ut qui in hæc fluenta descenderint, in libro vitæ adscribi mereantur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Aspergatur, etc.

BENEDICTIO SALIS IN OS BAPTIZANDI IMPONENDI.

(Ex Rit. Rom. Vicen. Tarr. et aliis).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum et terram.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Exorcizo te, creatura salis, in nomine Dei Patris ✠ omnipotentis, et in charitate Domini nostri Jesu ✠ Christi, et in virtute Spiritus ✠ Sancti. Exorcizo te per Deum vivum ✠, per Deum verum ✠, per Deum sanctum ✠, per Deum ✠, qui te ad tutelam humani generis procreavit, et populo venienti ad credulitatem per servos tuos consecrari præcepit, ut in nomine sanctæ Trinitatis efficiaris salutare Sacramentum ad effugandum inimicum. Proinde rogamus te, Domine

Deus noster, ut hanc creaturam salis sanctificando sanctifices ✠, et benedicendo benedicas ✠, ut fiat omnibus accipientibus perfecta medicina, permanens in visceribus eorum, in nomine ejusdem Domini nostri Jesu-Christi qui venturus est judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem. ℟. Amen.

BENEDICTIO FONTIS BAPTISMI EXTRA SABBATUM PASCHÆ ET PENTECOSTES, CUM AQUA CONSECRATA NON HABETUR.

(Ex Rit. Rom. Vicen. et aliis).

Hæc benedictio privative attinet ad Parochos cum sit de jure mere parochiali.

Primum lavatur, et mundatur vas Baptisterii, deinde limpida aqua repletur. Tum Sacerdos cum suis Clericis, vel etiam aliis Presbyteris, Cruce et duobus cereis præcedentibus, ac thuribulo et incenso, et cum vasculis Chrismatis, et Olei Catechumenorum descendit ad Fontem, et ibi, vel ante Altare Baptisterii dicit Litaniam ordinariam, prout habetur supra, pag 40. Et ante ℣. Ut nos exaudire digneris, *dicat et secundo repetat sequentem*

℣. Ut fontem istum ad regenerandam tibi novam prolem benedicere ✠, et consecrare ✠ digneris, Te rogamus audi nos.

Potest etiam dici Litania brevior, ut in Missali in Sabbato Sancto.

Et dicto ultimo, Kyrie eleison, *Sacerdos dicat:* Pater noster, *et* Credo in Deum, *etc., omnia clara voce: quibus finitis dicat:*

℣. Apud te, Domine, est fons vitæ.
℟. Et in lumine tuo videbimus lumen.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Omnipotens, sempiterne Deus, adesto magnæ pietatis tuæ mysteriis, adesto Sacramentis, et ad recreandos novos populos, quos tibi Fons Baptismatis parturit, spiritum adoptionis emitte: ut quod nostræ humilitatis gerendum est ministerio, virtutis tuæ impleatur effectu. Per Dominum nostrum Jesum-Christum Filium tuum, qui tecum vivit, et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Exorcismus aquæ.

Exorcizo te, creatura aquæ, per Deum ✠ vivum, per Deum ✠ verum, per Deum ✠ sanctum, per Deum, qui te in principio, verbo separavit ab arida, cujus super te Spiritus ferebatur, qui te de paradiso manare jussit.

Hic manu aquam dividat, et deinde de ea effundat extra marginem Fontis versus quatuor Orbis partes, prosequens:

Et in quatuor fluminibus totam terram rigare præcepit: qui te in deserto amaram, per lignum dulcem

fecit, atque potabilem : qui te de petra produxit, ut populum, quem ex Ægypto liberaverat, siti fatigatum recrearet. Exorcizo te et per Jesum-Christum Filium ejus unicum, Dominum nostrum, qui te in Cana Galilææ signo admirabili sua potentia convertit in vinum : qui super te pedibus ambulavit, et à Joanne in Jordane in te baptizatus est : qui te una cum Sanguine de latere suo produxit ; et discipulis suis jussit, ut credentes baptizarent in te, dicens : Ite, docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti : ut efficiaris aqua sancta, aqua benedicta, aqua, quæ lavat sordes, et mundat peccata. Tibi igitur præcipio, omnis spiritus immunde, omne phantasma, omne mendacium, eradicare, et effugare ab hac creatura aquæ, ut qui in ipsa baptizandi erunt, fiat eis fons aquæ salientis in vitam æternam, regenerans eos Deo Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, in nomine ejusdem Domini nostri Jesu-Christi, qui venturus est judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem. ℟. Amen.

OREMUS.

Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, aquarum spiritualium sanctificator, te suppliciter deprecamur, ut ad hoc ministerium humilitatis nostræ respicere digneris, et super has aquas abluendis et purificandis hominibus præparatas, Angelum sanctitatis emittas, quo peccatis, vitæ prioris ablutis, reatuque deterso, purum Sancto Spiritui habitaculum regenerati effici mereantur. Per Dominum nostrum Jesum-Chris-

tum Filium tuum, qui tecum vivit, et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Tunc sufflet ter in aquam versus tres partes secundum hanc figuram ⋎ ; *deinde imponit incensum in thuribulo, et Fontem incensat. Postea infundens de Oleo Catechumenorum in aquam in modum Crucis, clara voce dicit :*

Sanctificetur, et fœcundetur Fons iste Oleo salutis renascentibus ex eo in vitam æternam in nomine Patris ✠, et Filii ✠, et Spiritus ✠ Sancti. ℟. Amen.

Deinde infundit de Chrismate modo quo supra, dicens : Infusio Chrismatis Domini Jesu-Christi, et Spiritus Sancti Paracliti, fiat in nomine sanctæ Trinitatis. ℟. Amen.

Postea accipit ambas ampullas dicti Olei sancti et Chrismatis, et de utroque simul in modum Crucis infundendo, dicit : Commixtio Chrismatis sanctificationis, et Olei unctionis, et aquæ Baptismatis pariter fiat in nomine Patris ✠, et Filii ✠, et Spiritus ✠ Sancti. ℟. Amen.

Tum deposita ampulla, dextera manu Oleum sanctum, et Chrisma infusum miscet cum aqua et spargit per totum fontem. Deinde medulla panis manum tergit ; et si quis baptizandus est, eum baptizat. Quod si neminem baptizat, statim manus abluat, et ablutio effundatur in Sacrarium.

TITULUS II.

DE BENEDICTIONIBUS ANIMALIUM.

Benedictiones contentæ in hoc secundo titulo fieri possunt à quocumque simplici Sacerdote.

BENEDICTIO EQUORUM ALIORUMQUE ANIMALIUM IN FESTO SANCTI ANTONII ABBATIS.

(Ex Inst. can. 47, Bened. XIV ex Biblioth. Ferr. et Rit. Barcin.).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus refugium, et virtus, adesto piis Ecclesiæ tuæ precibus, auctor ipse pietatis, et præsta: ut quod fideliter petimus, efficaciter consequamur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, qui gloriosum beatum Antonium variis tentationibus probatum, inter mundi hujus turbines illæsum transire fecisti: concede famulis tuis, ut et præclaro ipsius proficiamus exem-

plo, et à præsentis vitæ periculis ejus meritis, et intercessione liberemur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

OREMUS.

Benedictionem tuam, Domine, hæc animalia accipiant, qua corpore salventur, et ab omni malo per intercessionem beati Antonii liberentur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde aspergat aqua benedicta.

BENEDICTIO PRO ANIMALIBUS INFIRMANTIBUS.

(Ex Rit. Vicen. Tarr. et Urg.).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Misericordiam tuam, Domine, supplices exoramus, ut hæc animalia, quæ gravi infirmitate vexantur, tua bene ✠ dictione sanentur; extinguatur in eis omnis diabolica potestas, neque ulterius ægrotent: esto eis vitæ defensio, et remedium sanitatis.

Deus, qui laborantibus hominibus, etiam de mutis animalibus solatia subrogasti; suppliciter te rogamus, ut sine quibus non alitur humana conditio, nostris facias usibus non perire. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Aspergantur animalia aqua benedicta.

BENEDICTIO TEMPORE PESTIS ANIMALIUM.

(Ex Rit. Barcin. et Col. P. Sannig).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationen meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Misericordiam tuam, Domine, supplices exoramus, ut hæc animalia quæ gravi infirmitate vexantur, in nomine tuo, atque tuæ bene ✠ dictionis virtute sanentur; extinguatur in eis omnis diabolica potestas ne ulterius ægrotent: tu eis, Domine, sis defensaculum vitæ, et remedium sanitatis. ℟. Amen.

Aspergantur aqua benedicta.

BENEDICTIO ANIMALIUM MORBO CONTAGIOSO, VEL MALEFICIO LABORANTIUM.

(Ex Rituali Gerundensi).

Sacerdos stans versus animalia convenienti loco congregata dicit:

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Exorcizo te, dæmon, et admoneo te, per Deum ✠ vivum, per Deum ✠ verum, per Deum ✠ sanctum, ut exeas atque recedas de loco isto, nec umquam revertaris, nec habitantibus in eo, aut homini, aut bruto pavores immittas, aut quodcumque maleficium inferas, per eum qui te vicit, et superavit in patibulo Crucis, et potestatem tuam ligavit, quique venturus est judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem. ℟. Amen.

Aspergat aqua benedicta.

OREMUS.

Deus, qui laboribus hominum, etiam de mutis animalibus solatia subrogasti : supplices te rogamus, ut sine quibus non alitur humana conditio, nostris facias usibus non perire. Per Christum, etc.

OREMUS.

Averte quæsumus, Domine, à fidelibus tuis cunctos miseratus errores, et sævientium morborum, qui grassantur in animalia, depelle perniciem; ut quos suo merito flagellas devios, foveas tua miseratione correctos. Per Christum, etc.

Si hæc benedictio facienda est solemniter, fiat processio, cantando Litanias Sanctorum, ut supra, pag. 40. In regressu ad Ecclesiam, cum perventum fuerit ante Altare, Sacerdos dicat Antiphonam, versum et orationem Sancti Patroni, vel Titularis Ecclesiæ, continuando sine conclusione orationes sequentes :

Deus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratio-

ne docuisti, da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere.

Concede nos famulos tuos, quæsumus, Domine Deus, perpetua mentis, et corporis sanitate gaudere, et gloriosa Beatæ Mariæ semper Virginis intercessione à præsenti liberari tristitia, et æterna perfrui lætitia.

Deus, qui miro ordine Angelorum ministeria, hominumque dispensas; concede propitius, ut à quibus tibi ministrantibus in cœlo semper assistitur, ab his in terra vita nostra muniatur.

Omnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione veræ fidei, æternæ Trinitatis gloriam agnoscere, et in potentia Majestatis adorare unitatem, quæsumus, ut ejusdem fidei firmitate ab omnibus semper muniamur adversis. Per Christum, etc.

BENEDICTIO MEDICINARUM PRO ANIMALIBUS INFIRMIS.

(Ex Rituali Gerundensi).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus omnipotens, et misericors, clementiam tuam per sanctissimum et tremendum Filii tui nomen, suppliciter deprecamur, ut super hoc remedium sanandis animalibus præparatum bene ✠ dictionem invisibilis

tuæ operationis infundas, ut quæ usibus humanis destinare dignatus es, cum ex eo acceperint, vel gustaverint, bene ✠ dictione, et sancti ✠ ficatione tua ab omni ægritudine, et beneficio sanentur et tueantur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Aspergat aqua benedicta.

BENEDICTIO CIBORUM PRO ANIMALIBUS INFIRMIS.

(Ex Rituali Gerundensi).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Omnipotens æterne Deus, qui producis fœnum jumentis, et herbam servituti hominum, quique aperis manum tuam, et imples omne animal benedictione, dans escam omnibus in tempore opportuno: exaudi preces servorum tuorum, et super hoc fœnum, pascua, sal, acetum, et aquam, tuam sanctissimam bene ✠ dictionem effundere digneris, ut quæcumque animalia ex eis susceperint, ab eis discedant insidiæ latentis inimici, liberentur, ac præserventur ab omni maleficio, noxa, et infestatione dæmoniaca, et à quacumque lue, et peste, ac custodes gratiarum tibi in Ecclesia tua referant actiones. Per Christum, etc.

Aspergat aqua benedicta.

BENEDICTIO STABULI ANIMALIUM.

(Ex Rituali Gerundensi).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, qui ut misericordiam tuam multiplicares, homines et jumenta salvare dignatus es, et Filium tuum Unigenitum è sinu gloriosæ Virginis Mariæ in præsepio nascentem reclinari, et ab Angelis, Pastoribus, ac Magis adorari voluisti : te Domine suppliciter exoramus, ut stabulum istud bene ✠ dicas, ab omni veneficio, et prava aeris malignitate custodias, atque animalia in eo degentia, ad usum famulorum tuorum misericorditer conserves. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Aspergat aqua benedicta.

BENEDICTIO SALIS QUOD DATUR ANIMALIBUS.

(Ex Rit. Vicen. ord. ab Ilmo. Ep. D. de Tocco, et Col. P. Sannig).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus invisibilis, et inæstimabilis, pietatem tuam, per sanctum ac tremendum Filii tui Nomen, suppliciter deprecamur, ut in hanc creaturam salis bene ✠ dictionem, et potentiam invisibilis operationis infundas, ut animalia, quæ necessitatibus humanis tribuere dignatus es, cum ex eo acceperint, vel gustaverint, bene ✠ dictio, et sancti ✠ ficatio tua ab omni ægritudinis, et læsionis incursu te protegente custodiat. Per eumdem, etc.

OREMUS.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, defende, quæsumus, omnia animalia nostra per hanc creaturam salis; defende piissime à raptoribus, à latronibus, à bestiis, à scabie et morbo, à morsibus, à laqueis, à diabolo, ab infirmitate, ab invidia et malitia pravorum, à malis hominibus, à malis oculis, à veneficiis, ab auruspicibus, et ab omnibus malis; et animalia, quæ morbis et infirmitatibus vexantur, per hanc creaturam salis, et per invocationem sancti Nominis tui sanare digneris. Per Christum, etc.

Deinde aspergat aqua benedicta.

BENEDICTIO CONTRA MURES, LOCUSTAS, BRUCHOS, ET VERMES NOXIOS.

(Ex Inst. can. Bened. XIV, § III, et Biblioth. Ferraris).

Ant. Exurge, Domine, adjuva nos, et libera nos propter nomen tuum.

PSALMUS XLIII.

Deus auribus nostris audivimus : * patres nostri annuntiaverunt nobis.

Opus, quod operatus es in diebus eorum, * et in diebus antiquis.

Manus tua gentes disperdidit, et plantasti eos : * afflixisti populos, et expulisti eos.

Nec enim in gladio suo possederunt terram, * et brachium eorum non salvavit eos.

Sed dextera tua, et brachium, et illuminatio vultus tui : * quoniam complacuisti in eis.

Tu es ipse Rex meus, et Deus meus, * qui mandas salutes Jacob.

In te inimicos nostros ventilabimus cornu : * et in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis.

Non enim in arcu meo sperabo : * et gladius meus non salvabit me.

Salvasti enim nos de affligentibus nos, * et odientes nos confudisti.

In Deo laudabimur tota die, * et in nomine tuo confitebimur in sæculum.

Nunc autem repulisti, et confudisti nos : * et non egredieris Deus in virtutibus nostris.

Avertisti nos retrorsum post inimicos nostros : * et qui oderunt nos, diripiebant sibi.

Dedisti nos, tanquam oves escarum, * et in gentibus dispersisti nos.

Vendidisti populum tuum sine pretio : * et non fuit multitudo in commutationibus eorum.

Posuisti nos opprobrium vicinis nostris, * subsannationem, et derisum his, qui sunt in circuitu nostro.

Posuisti nos in similitudinem gentibus, * commotionem capitis in populis.

Tota die verecundia mea contra me est: * et confusio faciei meæ cooperuit me.

A voce exprobrantis, et obloquentis, * à facie inimici et persequentis.

Hæc omnia venerunt super nos, nec obliti sumus te: * et inique non egimus in testamento tuo.

Et non recessit retro cor nostrum: * et declinasti semitas nostras à via tua.

Quoniam humiliasti nos in loco afflictionis: * et cooperuit nos umbra mortis.

Si obliti sumus nomen Dei nostri, * et si expandimus manus nostras ad Deum alienum:

Nonne Deus requiret ista? * ipse enim novit abscondita cordis.

Quoniam propter te mortificamur tota die: * æstimati sumus, sicut oves occisionis.

Exurge quare obdormis Domine? * exurge, et ne repellas in finem.

Quare faciem tuam avertis, * oblivisceris inopiæ nostræ, et tribulationis nostræ?

Quoniam humiliata est in pulvere anima nostra: * conglutinatus est in terra venter noster.

Exurge Domine adjuva nos, * et redime nos propter nomen tuum.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, etc.

Et repetitur Antiphona: Exurge.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Preces nostras, quæsumus Domine, clementer exaudi, ut qui juste pro peccatis nostris affligimur, et hanc murium *(vel* locustarum, *vel* vermium), persecutionem patimur, pro tui nominis gloria ab ea misericorditer liberemur; ut tua potentia procul expulsi *(vel* expulsæ) nulli noceant, et campos, agrosque nostros in tranquillitate ac quiete dimittant, quatenus ex eis surgentia, et orta tuæ Majestati deserviant, et nostri necessitati subveniant. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus omnium bonorum remunerator, et peccatorum maximus miserator; et in cujus nomine omnia genuflectuntur, cœlestia, terrestria, et infernalia: tua potentia nobis peccatoribus omnipotenter concede, ut quod de tua misericordia confisi agimus, per tuam gratiam efficacem consequamur effectum; quatenus hos pestiferos mures *(vel* locustas, *vel* vermes) per nos servos tuos maledicendo maledicas, segregando segreges, exterminando extermines, ut per tuam clementiam ab hac peste liberati, gratiarum actiones Majestati tuæ libere referamus. Per Christum Dominun nostrum. ℟. Amen.

Exorcizo vos pestiferos mures *(vel* locustas, *vel* vermes) per Deum Patrem omnipotentem ✠, et Jesum-Christum Filium ejus ✠, et Spiritum Sanctum ab utroque procedentem ✠, ut confestim recedatis à campis, et agris nostris, nec amplius in eis habitetis, sed ad ea loca transeatis, in quibus nemini nocere possitis; pro parte omnipotentis Dei, et totius curiæ cœlestis, et Ecclesiæ sanctæ Dei vos maledicens, ut quocumque ieritis, sitis maledicti *(vel* maledictæ) deficientes de die in diem in vos ipsos *(vel* ipsas) et decrescentes, quatenus reliquiæ de vobis nullo in loco inveniantur, nisi necessariæ ad salutem, et usum humanum. Quod præstare dignetur, qui venturus est judicare vivos, et mortuos, et sæculum per ignem. ℟. Amen.

Postremo aqua benedicta aspergantur loca benedicta.

BENEDICTIO AQUÆ CONTRA MURES, LOCUSTAS, BRUCHOS, ET ALIA ANIMALIA NOCIVA QUÆ REPTANT SUPER TERRAM.

(Ex Rit. FF. Ord. B. V. M. de Monte Carm.).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Bene ✠ dic, Domine, hanc creaturam aquæ, ut fugiant locustæ, mures, vermes, erucæ, ceteraque animalia ab hac domo, vel ab omnibus segetibus, olivetis, hortis, fructibus, vineis, et oleribus nostris,

super quibus aspersa fuerit per Nomen tuum sanctum, Deus Pater omnipotens, et Filii tui Domini nostri Jesu-Christi virtutem, et Sancti Spiritus bonitatem : quod quidem Nomen sanctum tuum involutum est super ipsam creaturam tuam segetum, vinearum, olivetorum, olerum, et fructuum, ut fiat salubre alimentum omnibus qui utuntur illis. Per eumdem, etc. ℟. Amen.

Aspergatur aqua benedicta.

BENEDICTIO AGRORUM, UT AB EIS LOCUSTÆ, BRUCHI, ET ALIA ANIMALIA NOXIA EXPELLANTUR.

(Ex Rit. Vicen. Urg. et Gerund.).

Sacerdos indutus superpelliceo, et stola violacei coloris ibit ad agrum, sive locum, in quo benedictio est facienda, et ibi dicet :

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Preces nostras, quæsumus Domine, clementer exaudi ; ut qui juste pro peccatis nostris affligimur, et hanc vermium, seu murium, aut locustarum, vel aliorum animalium calamitatem patimur, pro tui nominis gloria, ab ea misericorditer liberemur ; ut per potentiam tuam expulsa, nulli noceant, et hos agros, vineas, aut aquas intacta dimittant, quatenus, quæ ex eis orta fue-

rint, tuæ Majestati deserviant et nostræ necessitati subveniant. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, bonorum omnium auctor, et conservator, in cujus nomine omne genuflectitur, cœlestium, terrestrium et infernorum : concede, ut quod de tua misericordia confisi agimus, per tuam gratiam, efficacem consequamur effectum, quatenus hos vermes, mures, aves, locustas aut alia animalia nociva segregando segreges, exterminando extermines, ut ab ista calamitate liberati, gratiarum actiones Majestati tuæ referamus. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

OREMUS.

Deus, qui famulorum tuorum Moysi, et Aaronis ministerio, ab Ægyptiis, pro gloria Nominis tui locustas, bruchos, cinifes, aliasque plagas (scilicet justitiæ tuæ in peccatores flagella) avertisti, à filiis quoque Israel prohibuisti ; à populo in te credente similes calamitates aufer, ut potentiam tuam, et beneficentiam prædicemus. Per Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

OREMUS.

Largiri, et conservare fructus terræ dignare, Domine Deus noster, ut temporalibus gaudeamus auxiliis, et proficiamus spiritualibus incrementis. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

OREMUS.

Oramus te, Domine Deus noster, ut hos agros, aut vineas, serenis oculis, hilarique vultu respicere digneris, tuamque super eos mitte bene ✠ dictionem, ut non grando subripiat, non turbo subvertat, non vis tempestatis detruncet, non æstus exurat, non animalia noxia corrodant, neque inundatio pluviæ exterminet; sed fructus incolumes, uberesque usui nostro ad plenam maturitatem perducas. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Benedictio Dei omnipotentis Pa ✠ tris, et Filii, et Spiritus Sancti descendat, et maneat super hos agros, aut vineas, et eorum fructus. ℟. Amen.

Aspergatur terra, seu locus aqua benedicta.

Si autem dicta animalia noxia grave damnum causarent, aut gravi numero augerentur, tunc fiet processio, et benedictio termini ut in die Sanctæ Crucis Maii, pag. 30, et sacerdos cum pervenerit ad locum designatum, aquam benedictam asperget super agros, dicens: Vidi aquam egredientem, *vel* Asperges me Domine, *juxta diversitatem temporis, ut in* Aspersione aquæ benedictæ, *pagina 24, et postea canet* sancta quatuor Evangelia, *etc., ut supra* in benedictione termini in die Sanctæ Crucis; *quo peracto fiet benedictio.*

BENEDICTIO ARMENTORUM EQUORUM, BOUM, OVIUM, ETC.

(Ex Col. P. Sannig).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum et terram.

℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus, Pater Domini nostri Jesu-Christi, cujus verbo cœli firmati sunt, cui omnis creatura deservit, omnis potestas subjecta est, cujus audito nomine serpentes conquiescunt, dracones fugiunt, viperæ silent, scorpiones extinguuntur, reguli vincuntur, phalangia nihil noxium operantur, venenata non nocent, cunctaque noxia animalia licet ferocia terrentur : ad auxilium nostrum te imploramus. Tu ab hoc armento omnes diaboli fraudes repelle, ferarum incursus amove, venena rescinde, illudque ab omnibus infirmitatibus, et periculis libera : dignare Domine per Nomen sanctissimum dulcissimi Filii tui, per intercessionem B. V. Mariæ Matris ejus, per merita S. Antonii, omniumque electorum tuorum, conservare hunc gregem ; expurgare ab omni adversariorum nequitia stabulum, salvificare pabulum, fœcunditatem ei tribuere, et tua efficacissima benedictione replere omnia, quæ usui hujus armenti adaptantur, et adaptanda erunt. Per eumdem Dominum, etc.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.
℟. Gloria tibi Domine.

In illo tempore : Pastores loquebantur ad invicem, dicentes : Transeâmus usque Bethlehem, et videamus hoc Verbum, quod factum est, quod Dominus osten-

dit nobis; et venerunt festinantes, et invenerunt Mariam, et Joseph, et infantem positum in præsepio. Videntes autem cognoverunt de Verbo, quod dictum erat illis de Puero; et omnes qui audierunt, mirati sunt de his, quæ dicta erant à pastoribus ad ipsos. Maria autem conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo. Et reversi sunt Pastores glorificantes, et laudantes Deum in omnibus, quæ audierant, et viderant, sicut dictum est ad illos. ℟. Laus tibi Christe.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine Deus, Rex cœli et terræ, Verbum Patris, per quem omnia facta sustentationi nostræ tradita sunt. Qui, ut redimeres nos peccatores à faucibus inferni, et à potestate diaboli, carnem nostram sumere decrevisti, et per Spiritum Sanctum in utero B. V. Mariæ conceptus, in caula inter jumenta nasci non es dedignatus, et pannis involutus in præsepio reclinari voluisti, respice, quæsumus, humilitatem nostram, et sicut nostris laboribus, atque necessitatibus per jumenta subvenimentum tribuisti, ita tua benignissima miseratione, hæc armenta custodire, et tueri non recuses, nobisque famulis tuis et cum temporali proventu tuam immarcescibilem gratiam conferre. Qui vivis, et regnas, etc.

Aspergantur aqua benedicta.

BENEDICTIO COLUMBARIORUM, PULLARIORUM, ET EJUSMODI LOCORUM, IN QUIBUS CONSERVANTUR AVES.

(Ex Col. P. Sannig).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum et terram.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus æterne, ante cujus conspectum assistunt Angeli, et cujus nutu reguntur universa, qui etiam necessariis humanæ fragilitati, tua pietate consulere non desinis, te humiliter imploramus, ut habitaculum istud illa bene ✠ dictione perfundas, qua per Angelum stantem in sole mandasti omnibus avibus dicens : Venite, et congregamini ad cœnam magnam Dei ; ut semper hic tuæ bene ✠ dictionis copia redundantes, laudes tibi referant servi tui ; qui das escam omni carni, et imples omne animal benedictione, Salvator noster. Qui vivis, et regnas, etc.

OREMUS.

Deus universæ creaturæ, qui inter ceteras diversarum creaturarum species, et pro humani generis usu, etiam volatilium genus producere dignatus es, ex quibus Noe de Arca egrediens, holocausta tibi offerens placuit, et qui populo tuo ex Ægypto educto per Moysem servum tuum munda ab immundis segregans, edendi præceptum dedisti, te suppliciter rogamus, ut has mundarum avium carnes bene ✠ dicere, et sanctificare digneris, ut quicumque ex eis comederint, benedictionis tuæ abundantia repleantur, et ad æternæ

vitæ gaudia pervenire mereantur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Aspergantur aqua benedicta.

BENEDICTIO AVIUM.

(Ex Col. P. Sannig).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus universæ creaturæ, qui inter ceteras diversarum creaturarum species, et pro humani generis usu, etiam volatilium genus producere dignatus es, ex quibus Noe de Arca egrediens, holocausta tibi offerens placuit, et qui populo tuo ex Ægypto educto per Moysem servum tuum munda ab immundis segregans, edendi præceptum dedisti, te suppliciter rogamus, ut has mundarum avium carnes bene✠dicere, et sanctificare digneris, ut quicumque ex eis comederint, benedictionis tuæ abundantia repleantur, et ad æternæ vitæ gaudia pervenire mereantur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Aspergantur aqua benedicta.

BENEDICTIO PISCINÆ ET PISCIUM.

(Ex Col. P. Sannig).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum et terram.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Omnipotens æterne Deus, Pater Domini nostri Jesu-Christi; Pater misericordiarum, qui pisces in fluminibus maris crescere, et multiplicare dignatus es; præsta quæsumus, ut hos parvos pisciculos in istam piscinam impositos crescere, et multiplicare tua gratia digneris. Per Dominum nostrum, etc.

Crescite, et multiplicamini vos parvi pisciculi, et replete istam piscinam in nomine Patris ✠, et Filii et Spiritus Sancti. Dominus det vobis suam benedictionem. Amen.

OREMUS.

Deus omnipotens, qui hanc creaturam piscium ex aquarum fluctibus in mundi principio prodire jussisti, quam inter ceteras creaturas tuo ore benedicto dignatus es benedicere, et de qua, post assumptam humani generis formam, Unigenitus Filius tuus coram discipulis suis assa igni comedere voluit, ad insinuandum nobis suæ Passionis cruciatus, bene ✠ dic etiam hos cibos piscium, et præsta nobis, ut, qui de Passione Domini nostri Jesu-Christi, et ardore tribulationis sumus excocti, de ineffabili ejus resurrectione refrigerati, Pane cœlesti lætemur. Per eumdem Dominum nostrum, etc.

Aspergatur aqua benedicta.

TITULUS III.

DE BENEDICTIONIBUS AGRORUM, VINEARUM, ARBORUM ET SEMINUM.

Benedictiones contentæ in hoc tertio titulo fieri possunt à quocumque simplici Sacerdote.

BENEDICTIO AGRORUM, VINEARUM, ET ARBORUM CUM NOVIS FRUCTIBUS.

(Ex Manuali seu Rit. Ord. S. Francisci).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Pietatem tuam, omnipotens Deus, humiliter exoramus, ut has primitias creaturæ tuæ quas aeris et pluviæ temperamento nutrire dignatus es, bene ✠ dictionis tuæ rore perfundas, et fructus terræ usque ad maturitatem perducas, tribuas quoque populo tuo de tuis muneribus tibi semper gratias agere: ut fertilitate terræ esurientium animas bonis affluentibus repleas, et egenus, et pauper laudent nomen tuum. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

OREMUS.

Dignare, Domine Deus Pater omnipotens, hos agros, (vineas, arbores, etc.) bene ✠ dicere, et custodire cum fructibus suis: ut non seminet super eos hostis antiquus semina sua aut zizania; nec turbet eos aliquod malum, non calor eos siccet, non tempestas conturbet, nec grando conterat, non ventus exuret, non ærugo aut tinea demoliatur, non locusta mordeat, nec animal aliud quodcumque inficiat, sed protectione tua eos pluvia opportuna salutares et congruos faciat, refrigeret, et usque ad complementum culturæ sol eos crescere faciat, aer maturet, et virtus divina conservet. Per Christum, etc.

OREMUS.

Domine Deus omnipotens, omnium rerum creator, et conservator, quæsumus clementiam tuam: ut per merita, virtutes, et intercessionem Bmæ. et Glormæ. semper V. Mariæ, et sancti Joseph sui Sponsi, omniumque Sanctorum exaudias deprecationes nostras, et bene ✠ dicas hos agros (vineas, arbores, etc.) et fructus eorum benedictione sancta tua, qua liberentur ab omni maleficio diaboli, et tempestatum, ventorumque, et omnium animalium noxiorum. Qui vivis, et regnas in unitate Spiritus Sancti Deus: per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Aspergantur aqua benedicta.

ALIA BENEDICTIO AGRORUM, VINEARUM, ET ARBORUM CUM NOVIS FRUCTIBUS.

(Ex Cerem. seu Rit. Ord. S. P. Augustini).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Oramus pietatem tuam, Omnipotens Deus, ut has primitias creaturæ tuæ, quas aeris et pluviæ temperamento nutrire dignatus es, benedictionis tuæ imbre perfundas, et fructus terræ tuæ usque ad maturitatem perducas. Tribuas quoque populo tuo de tuis muneribus tibi semper gratias agere, ut à festivitate terræ esurientium animas bonis affluentibus repleas, et egenus et pauper laudent nomen gloriæ tuæ. Per Christum, etc.

Aspergantur aqua benedicta.

BENEDICTIO PRO VINEA SOLA.

(Ex Col. P. Sannig).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus qui vineam tuam ex Ægypto eductam mirabiliter plantasti, preces nostras benignus exaudi, ut in vineam famulorum tuorum bene ✠ dictio cœlestis copiosa descendat, et quod in ea ad usum humani generis tribuere dignatus es, multipliciter redundando rorem tuæ bene ✠ dictionis infunde. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Aspergatur aqua benedicta.

BENEDICTIO HERBARUM.

(Ex Rit. FF. Ord. B. V. M. de Mont. Carm.).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Bene ✠ dic, Domine Deus, hanc herbam, et præsta; ut qui in tuo nomine utentur ex ea, sint et ipsi sanctificati et benedicti. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Aspergantur aqua benedicta.

BENEDICTIO RUTHÆ.

(Ex Manual. seu Rit. Seraph. Ord. S. Fran.).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.

℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Bene ✠ dic, Domine Jesu-Christe, hanc rutham, et infunde ei per tuam charitatem benedictionem tuam cœlestem : ut quicumque ex ea suffumigatus fuerit, vel secum habuerit, nullus inimicus ei nocere possit, et à quibuscumque in locis ubi sparsa, vel posita fuerit recedat diabolus, et fugiat perterritus : benedicaris itaque rutha, in nomine Pa ✠ tris, et Filii, et Spiritus Sancti : ut sis exterminatio diaboli, et omnium contubernalium ejus. Per eum qui venturus est judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem. ℟. Amen.

Aspergatur aqua benedicta.

BENEDICTIO SEMINIS SERICI SEU BOMBICUM.

(Ex Rit. Vicensi et Col. P. Sannig).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Creator omnipotens Deus, qui semina fructificare, et multiplicare facis, et in usus nostros misericorditer pervenire concedis ; per intercessionem B. Mariæ semper V., et omnium Sanctorum, supplicationes nostras

placatus intende : et hæc semina vermiculorum, qui sericum condunt bene✠dicere, et sanctificare tua benignitate digneris : ut copiosius mittant effectus suos; quatenus ad Ecclesiæ tuæ, sanctorumque altarium tuorum decorem, et ornatus, atque etiam ad usus nostros perveniant. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Et benedictio Dei omnipotentis Pa✠tris, et Filii, et Spiritus Sancti descendat, et maneat super hæc semina. ℟. Amen.

Deinde aspergat aqua benedicta.

ALIA BENEDICTIO SEMINIS SERICI.

(Ex Rit. Tarr. Barcin. et Gerund.).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine Jesu-Christe, Fili Dei vivi, qui ex quinque panibus hordeaceis, et duobus piscibus quinque millia hominum satiasti, et populum Israeliticum in deserto miraculose pavisti; quique semina subtus terram posita, fructificare et multiplicare facis, et in usus nostros misericorditer concedis : tuam ineffabilem misericordiam supplices oramus ; ut hæc bombicum semina, quæ tibi hodie benedicenda offeruntur, per intercessionem Beatæ Mariæ semper Virginis, et omnium Sanctorum, tua pietate bene✠dicere, et multiplica-

re digneris; ita ut ad optatum finem perducta, possint ad tuæ Majestatis cultum, animabus nostris, atque corporibus deservire. Qui vivis et regnas Deus per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Et benedictio omnipotentis Dei Pa✠tris et Fi✠lii, et Spiritus ✠ Sancti descendat, et maneat super hæc semina. ℟. Amen.

Deinde aspergat aqua benedicta.

BENEDICTIO HORREI AD PONENDUM TRITICUM.

(Ex Rit. Vicen. ord. ab Ilmo. Ep. D. de Tocco).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Multiplica quæsumus Domine, in hac area frumenti dona tua; et sicut fidelibus tuis trigesimum atque sexagesimum, vel centesimum fructum donare consuevisti: ita et famulis tuis præsenti tempore uberius tuæ liberalitatis dona largire: et tuam super eam bene✠dictionem infunde. Per Dominum nostrum, etc. ℟. Amen.

Aspergatur aqua benedicta.

BENEDICTIO TRITICI ET ALIORUM AD SEMINANDUM.

(Ex Man. seu Rit. Seraph. Ord. S. Fran.).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini

℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, Creator generis humani, humiliter et devote exoramus clementiam tuam, ut hoc semen tritici, quod in tuo sanctissimo Nomine saturi sumus in agris nostris, bene ✠ dicere, et multiplicare, atque ad maturitatem perducere digneris: ut per universum mundum laudetur dextera tua. Per Christum, etc.

Aspergatur aqua benedicta.

BENEDICTIO FRUMENTI, ET ALIORUM SEMINUM IN DIE SANCTI RUPI.

(Ex Rit. Tarr. et Urg.).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, bene ✠ dicere, et sanctificare dignare hoc frumentum, et alia genera fructuum, et seminum, quæ nos indigni peccatores famuli tui, per invocationem unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu-Christi, et Sanctissimæ

Virginis Mariæ, omniumque Sanctorum, et Beati Rupi Confessoris tui atque Pontificis deferimus, et bene ✠ dicere præsumimus; clementissime omnia tua benedictione sanc ✠ tificare, et ad proventum humani generis pervenire concede. Per eumdem, etc.

Et aspergatur aqua benedicta.

BENEDICTIO ARBORUM ET FRUCTUUM EARUM.

(Ex Col. P. Sannig).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus, qui hujus arboris plantam tua visitatione, et tua providentia protectam esse voluisti, nunc etiam eamdem bene ✠ dicere, et sancti ✠ ficare digneris, ut quicumque ex fructibus ejus sumpserint, sani et incolumes esse valeant. Per Christum Dominum, etc.

OREMUS.

Bene ✠ dic, Domine, hunc novum fructum arborum, et præsta, ut qui ex eo in tuo Nomine vescentur, corporis et animæ sanitate potiantur. Per Christum, etc. ℟. Amen.

Aspergantur aqua benedicta.

BENEDICTIO RAMORUM CONTRA TEMPESTATES GRANDINIS, ETC. IN DIE S. PETRI MART. DIE 29 APRILIS FACIENDA.

(Ex Rit. Vicen. Tarr. Barc. et Urg.).

Sacerdos benedicturus ramos, indutus amictu, alba, (vel superpelliceo) stola (et pluviali si adsit) violacei coloris, Ministro crucem deferente, acolytis cum cereis accensis, et thuriferario, veniet ad altare, et positus in cornu Epistolæ, versa facie ad populum, et ad ramos, quos benedicere cupit, et cantando, si commode fieri potest, dicet, vel leget :

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, auge in te sperantium fidem, et supplicum preces clementer exaudi : veniat super nos multiplex misericordia tua, benedicantur et hi rami, et sicut in figura Ecclesiæ multiplicasti Noe de arca egredientem, et Moysen de Egypto cum filiis Israel exeuntem : ita nos portantes hos ramos ad gloriam tuam, honoremque B. Petri Martyris tui bonis actibus occurramus Jesu-Christo Domino : et per ipsum, et intercessionem tui præfati Martyris in gaudium introcamus æternum. Qui tecum vivit, etc.

Post hanc orationem Diaconus (si aderit, aut alias

ipse Sacerdos) accepta benedictione à Sacerdote, cantabit, vel leget Evangelium S. Joannis :

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.
℣. Initium sancti Evangelii secundum Joannem.
℟. Gloria tibi Domine.

In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt : et sine ipso factum est nihil. Quod factum est, in ipso vita erat : et vita erat lux hominum : et lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt. Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Joannes. Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit : in propria venit, et sui eum non receperunt. Quodquod autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus : qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. *(Hic genuflectitur).* Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis : et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti à Patre plenum gratiæ, et veritatis.

Dicto Evangelio, Sacerdos tono feriali cantabit sequentes orationes sine Dominus vobiscum, *et sine* oremus.

Deus, qui dispersa congregas, et congregata con-

servas, tua sancta, cœlestique benedictione, bene ✠ dic, quæsumus, hos ramos, quos tui famuli ad gloriam nominis tui, honoremque B. Petri Martyris tui fideliter suscipiunt : ut in quemcumque locum introducti fuerint, tuam benedictionem habitatores loci illius consequantur, et omni tempestate effugata, dextera tua potenter defendat Dominus noster Jesus-Christus. Qui tecum vivit, etc.

Bene ✠ dic, quæsumus Domine, et sancti ✠ fica tua sancta bene ✠ dictione hos ramos, et præsta : ut quod populus tuus in tua gloria, venerationeque Beati Petri Martyris tui hodierna die corporaliter agit, hoc spiritualiter summa devotione perficiat, de hoste maligno victoriam reportando, et tranquillitate temporum congaudendo. Per Dominum nostrum, etc.

OREMUS.

Exaudi preces tuorum fidelium, omnipotens Deus, ut sicut Moysi famulo tuo, in Helim, ubi erant septuaginta palmæ, et duodecim fontes aquarum propitius adfuisti ; ita in solemnitate sanctissimi Petri Martyris tui, quam hodie colimus, adstanti devoto populo tuo adesse tua immensa pietate digneris, et has palmas, quas in honorem tui nominis, et pro reverentia ejusdem præfati Martyris suscipere anhelat, bene ✠ dicere digneris : ut in quibuscumque locis, domibus, hortis, vineis, nemoribus, vel agris fuerint collocatæ, tuam largam consequi benedictionem, benignamque custodiam habitatores possessoresve mereantur : atque omnis adversitas fulgurum, et tempestates malignorum

spirituum per intercessionem, et merita ejusdem sanctissimi Petri Martyris diffugiant, et ad nihilum redigantur : quatenus fideles de tua gratuita misericordia confidentes, et palmas devotis mentibus suscipientes, et quibusvis locis, eis visum fuerit collocantes, tam ipsi, quam eorum bona ab omni incursu, et infestatione nequissimorum dæmonum ineffabili tua clementia protegantur ; et ejusdem beatissimi Petri Martyris assiduo patrocinio salutem mentis et corporis consequi mereantur. Per Dominum nostrum, etc.

His jam sic peractis, Sacerdos asperget ramos aqua benedicta, quos aspersos incensabit, et statim fiat processio per loca solita, canendo Hymnum : Deus tuorum militum, *et si ob viæ longitudinem non sufficiat, canetur Hymnus :* Invicte Martyr, unicum, *ut sequuntur :*

HYMNUS.

Deus tuorum militum
Sors, et corona, præmium,
Laudes canentes Martyris
Absolve nexu criminis.
Hic nempe mundi gaudia,
Et blanda fraudum pabula
Imbuta felle deputans
Pervenit ad cœlestia.
Pœnas cucurrit fortiter,
Et sustulit viriliter,
Fundensque pro te sanguinem,
Æterna dona possidet.
Ob hoc precatu supplici
Te poscimus piissime :
In hoc triumpho Martyris
Dimitte noxam servulis.

HYMNUS.

Invicte Martyr, unicum
Patris secutus Filium,
Victis triumphas hostibus,
Victor fruens cœlestibus.
Tui precatus munere,
Nostrum reatum dilue,
Arcens mali contagium,
Vitæ reppellens tædium.
Soluta sunt jam vincula
Tui sacrati corporis ;
Nos solve vinclis sæculi
Dono superni Numinis.
Deo Patri sit gloria,
Et Filio, qui à mortuis
Surrexit, ac Paraclito,
In sempiterna sæcula. Amen.

At cum processio ad Ecclesiam revertetur, Sacerdos

intonabit Antiphonam sequentem, quam clerus prosequetur usquequo devenerit ad Altare Majus, aut Sancti Petri Martyris, si detur.

Antiphona. Filiæ Hierusalem, venite, et videte Martyres cum coronis, quibus coronavit eos Dominus in die solemnitatis, et lætitiæ. Alleluia, alleluia.

Dicta Antiphona, stans Sacerdos coram Altari, dicet sequentes versiculos, et Clerus responsoria:

℣. Ora pro nobis sancta Dei Genitrix. Alleluia.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi. Alleluia.

℣. Pretiosa in conspectu Domini. Alleluia.

℟. Mors Sanctorum ejus. Alleluia.

℣. A fulgure et tempestate. Alleluia.

℟. Libera nos Deus noster. Alleluia.

OREMUS.

Protege, Domine, famulos tuos subsidiis pacis, et B. Mariæ semper Virginis patrociniis confidentes à cuntis hostibus redde securos.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut B. Petri Martyris tui fidem congrua devotione sectemur, qui pro ejusdem fidei dilatatione martyrii palmam meruit obtinere.

A Domo tua, quæsumus, Domine, spirituales nequitiæ repellantur, et aerearum discedat malignitas tempestatum, et fulgurum.

Largiri, et conservare digneris fructus terræ, Domine Deus noster: ut temporalibus gaudeamus auxi-

liis, et spiritualibus semper proficiamus incrementis. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Postea populum adhortabitur, ut in suis possessionibus ramos benedictos ponat, dicendo devote: Credo in unum Deum, *etc., et in fine:* Sancte Petre Martyr ora pro nobis.

ALIA BREVIS BENEDICTIO RAMORUM IN FESTO S. PETRI MART. 29 APRILIS.

(Ex Rit. Cler. Regul. M. Dei Scholarum Piar.).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus qui dispersa congregas et congregata conservas, tua sancta cœlestique benedictione bene ✠ dic quæsumus, hos ramos, quos tibi tui famuli ad gloriam nominis tui, honoremque B. Petri Martyris tui fideliter suscipiunt; ut in quemcumque locum introducti fuerint, tuam benedictionem habitatores loci illius consequantur, et omni adversitate, ac tempestate effugata dextera tua potenter defendat Dominus noster Jesus-Christus. Qui tecum vivit et regnat, etc.

OREMUS.

Bene ✠ dic, quæsumus Domine, et sancti ✠ fica tua sancta benedictione hos ramos, et præsta; ut quod

populus tuus in tua gloria, venerationeque B. Petri Martyris tui hodierna die corporaliter agit, hoc spiritualiter summa devotione perficiat, de hoste maligno victoriam reportando, et tranquillitate temporum congaudendo. Per Christum, etc.

Deinde aspergat aqua benedicta.

ALIA BENEDICTIO PALMARUM VEL ALIORUM RAMORUM IN EODEM FESTO S. PETRI MART.

(Ex Collectario Sacr. Ord. FF. Prædic.).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine Jesu-Christe, Fili Dei vivi, bene ✠ dic hos arborum ramos, supplicationibus nostris : et infunde eis, Domine, per virtutem Sanctæ ✠ Crucis, et per intercessionem B. Petri Martyris benedictionem cœlestem, qui triumphaturus de hoste generis humani, per manus puerorum palmas, et arborum ramos in honorem tuum adhiberi voluisti : talemque benedictionem signaculo Sanctæ ✠ Crucis accipiant; ut in quibuscumque locis aliquid ex eis positum fuerit, discedant principes tenebrarum, et contremiscant, ac fugiant pavidi cum omnibus ministris suis, de locis, vel habitationibus illis ; non ibi noceant fulmina, et tempestates : non fructus terræ consumat, aut deperdat ulla intem-

peries elementi : nihilque inquietet, aut molestet servientes tibi omnipotenti Deo : Qui vivis et regnas, etc. ℟. Amen.

Aspergantur aqua benedicta.

BENEDICTIO OLIVARUM IN FESTO S. PETRI MART. IN DIE 29 APRILIS.

(Ex Collectario Sacr. Ord. FF. Prædic.).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine Jesu-Christe, Fili Dei vivi, bene ✠ dic olivas istas supplicationibus nostris : et infunde eis, Domine, per virtutem Sanctæ ✠ Crucis, et per intercessionem B. Petri Martyris benedictionem cœlestem, qui eas ad repellendas tenebras humano generi tribuisti : talemque benedictionem signaculo Sanctæ ✠ Crucis accipiant ; ut, in quibuscumque locis positæ fuerint, discedant principes tenebrarum, et contremiscant, et fugiant pavidi cum omnibus ministris suis de locis, vel habitationibus illis : non ibi noceant fulmina, et tempestates : non fructus terræ consumat, aut deperdat ulla intemperies elementi, nihilque inquietet aut molestet servientes tibi omnipotenti Deo. Qui vivis et regnas, etc. ℟. Amen.

Aspergantur aqua benedicta.

BENEDICTIO RAMORUM, ROSARUM, ETC., IN HONOREM S. PONTII MART. AD EXPELLENDOS CIMICES É DOMIBUS CUBICULISQUE, ETC., DIE 11 MAII FACIENDA.

(Ex Rit. Vicen. Barc. et Urg.).

Observentur ritus et orationes ut supra in benedictione ramorum in die S. Petri Martyris, pág. 120. In orationibus vero Omnipotens sempiterne Deus, *etc.*, Deus qui, *etc.*, Benedic quæsumus, *etc.*, *loco vocis* Petri, *dicet :* Pontii. *Oratio autem :* Exaudi preces, *notatur infra ad tollendam æquivocationem in mutatione verborum.*

OREMUS.

Exaudi preces tuorum fidelium, omnipotens Deus, ut sicut Moysi famulo tuo in Helim, ubi erant septuaginta Palmæ, et duodecim fontes aquarum propitius adfuisti; ita in solemnitate sanctissimi Pontii Mart. tui, quam hodie colimus, adstanti devoto populo tuo adesse tua immensa pietate digneris : et hos ramos, quos in honorem tui nominis, et pro reverentia ejusdem præfati Martyris suscipere anhelat, bene ✠ dicere digneris : ut in quibuscumque locis, domibus, cubiculis, vel lectis fuerint collocati, tuam largam consequi benedictionem, benignamque custodiam habitatores mereantur : atque omnis adversitas cimicum, et malignorum spirituum per intercessionem, et merita ejusdem sanctissimi Pontii Martyris diffugiat, et ad nihilum redigatur; quatenus fideles de tua gratuita misericordia confidentes, et ramos devotis mentibus suscipientes, et quibusvis locis, eis visum fuerit, col-

locantes, tam ipsi, quam eorum bona ab omni incursu, et infestatione cimicum, et nequissimorum dæmonum ineffabili tua clementia protegantur; et ejusdem Beatissimi Pontii Martyris assiduo patrocinio salutem mentis, et corporis consequi mereantur. Per Dominum nostrum, etc.

Finita benedictione, aspergantur rami aqua benedicta, et thurificentur; et sciat populus, ramos cum magna decentia habendos in cubiculis, aut in lectulis collocandos.

Et si ob populi devotionem Missa dicenda sit de S. Pontio, dicetur: Protexisti, *et oratio* Præsta quæsumus *de Comm. unius Mart. temp. Pasch.*

ALIA BREVIS BENEDICTIO RAMORUM, ROSARUM, ETC., IN DIE S. PONTII MART. 11 MAII.

(Ex Rituali Cler. Regul. M. Dei Scholarum Piarum).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Exaudi preces tuorum fidelium, *ut supra pag. 128 usque ad finem ejusdem orationis.*

Deinde aspergantur aqua benedicta.

BENEDICTIO FŒNICULI IN DIE S. ÆGIDII.

(Ex Rit. Vicen. Tarr. Barc. et Urg.).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Sit nomen Domini benedictum.
℟. Ex hoc nunc, et usque in sæculum.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Creator omnium Deus, qui semina subtus terram posita fructificare, et multiplicare facis, et in usus nostros misericorditer concedis : intercedente Beato Ægidio Abbate, et Confessore tuo supplicationes nostras placatus admitte, et fœniculum istud, tua clementia bene ✠ dicere, et sancti ✠ ficare digneris : ut quodcumque animal ex eo comederit, vel gustaverit, à quacumque infirmitate, meritis et intercessione ejusdem Beati Ægidii, plenam recipiat curationem, et perfectam sanitatem ; et nos famulos tuos ab omni animæ et corporis ægritudine sanare, et sanos conservare digneris. Per Dominum nostrum Jesum-Christum, etc. ℟. Amen.

Benedictio Dei omnipotentis Pa ✠ tris, et Filii, et Spiritus Sancti descendat, et maneat super nos, et fœniculum istud. Amen.

Aspergatur aqua benedicta.

BENEDICTIO ROSARUM SANCTÆ RITÆ.

(Ex Ceremon. seu Rit. Ord. S. P. Augustini.)

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.

℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Trementes, et supplices te, Domine, deprecamur per magnam misericordiam et pietatem tuam, per amorem omnium Sanctorum tuorum, præsertim per amorem et sanctitatem Ritæ: ut bene ✠ dicere et sanc ✠ tificare digneris rosas istas, ut sint remedium salutare generi humano: et præsta per invocationem tui sanctissimi Nominis et B. Ritæ, ut quicumque ex eis sumpserit, aut gustaverit, corporis sanitatem, et animæ tutelam suscipiat. Per Christum, etc.

Aspergantur aqua benedicta.

TITULUS IV.

DE BENEDICTIONIBUS ESCULENTORUM ET POCULENTORUM.

Quæ continentur in hoc quarto titulo fieri possunt à quocumque simplici Sacerdote.

BENEDICTIO AGNI PASCHALIS.

(Ex Miss. et Rit. Rom. Vicen. et aliis, et Col. P. Sannig).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus, qui per famulum tuum Moysen, in liberatione populi tui de Ægypto, agnum occidi jussisti in similitudinem Domini nostri Jesu-Christi, et utrosque postes domorum de sanguine ejusdem agni perungi præcepisti : tu bene ✠ dicere et sanctificare digneris hanc creaturam carnis, quam nos famuli tui ad laudem tuam sumere desideramus, per resurrectionem ejusdem Domini nostri Jesu-Christi, qui tecum vivit et regnat in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Et mox aspergat aqua benedicta.

BENEDICTIO OVORUM.

(Ex Miss. et Rit. Rom. Vicen. et aliis, et Col. P. Sannig).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum et terram.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Subveniat, quæsumus Domine, tuæ bene ✠ dictionis gratia huic ovorum creaturæ : ut cibus salubris fiat fidelibus tuis, in tuarum gratiarum actione sumentibus, ob resurrectionem Domini nostri Jesu-Christi, qui tecum vivit et regnat in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Et aspergat aqua benedicta.

BENEDICTIO CASEORUM ET OVORUM.

(Ex Rituali Vicensi ord. ab Illmo. Episcopo D. de Tocco).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus creator et conservator generis humani, dator gratiæ spiritualis, largitor æternæ salutis : Domine effunde bene ✠ dictionem tuam super caseos et ova, ut armata cœlesti defensione, quicumque ex eis gustaverint, sibi proficere sentiant ad salutem. Per Dominum nostrum, etc. ℟. Amen.

Aspergantur aqua benedicta.

BENEDICTIO CARNIUM.

(Ex Rit. FF. Ord. B. V. M. de Mont. Carm.).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Dignare, Domine Deus, bene ✠ dicere et sanctificare

has carnes; ut quicumque de eis comederint, tuæ cœlestis gratiæ repleantur bonis. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Aspergantur aqua benedicta.

BENEDICTIO LACTICINIORUM.

(Ex Col. P. Sannig).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Dignare, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, bene✠dicere et sancti✠ficare hanc creaturam butyri, casei, lactis, etc., quæ ex adipe animalium educere dignatus es, ut quicumque ex populis tuis fidelibus ex ea comederint, vel gustaverint, omni bene✠dictione cœlesti, et gratia saturati repleantur in bonis. Per Dominum nostrum, etc. ℟. Amen.

Et benedictio Dei omnipotentis Pa✠tris, et Filii et Spiritus Sancti descendat super hanc creaturam N. et N., et per virtutem sanctæ Cru✠cis, et mortis Jesu-Christi Domini nostri, fugiat ab eis omnis infestatio Satanæ, et omne phantasma evanescat. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

Aspergantur aqua benedicta.

BENEDICTIO LACTIS ET MELLIS.

(Ex Col. P. Sannig).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Bene ✠ dic, Domine, has creaturas lactis et mellis, et pota famulos tuos fonte perenni, qui es Spiritus veritatis, et enutri eos de hoc melle et lacte. Tu enim, Domine, promisisti Patribus nostris, Abraham, Isaac, et Jacob dicens: Introducam vos in terram promissionis, terram fluentem lac et mel. Conjunge, Domine, nos famulos tuos spiritu charitatis, et pacis, sicut conjunctum est lac et mel, in Christum Dominum nostrum: Qui tecum, etc.

Aspergatur aqua benedicta.

BENEDICTIO OLEI SIMPLICIS.

(Ex Rit. Rom. Vicen. et aliis, et Col. P. Sannig).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Exorcismus.

Exorcizo te, creatura olei, per Deum Patrem ✠ omnipotentem, qui fecit cœlum et terram, mare, et omnia quæ in eis sunt. Omnis virtus adversarii, omnis exercitus diaboli, et omnis incursus, omne phantasma Satanæ eradicare et effugare ab hac creatura olei, ut fiat omnibus, qui eo usuri sunt, salus mentis et corporis, in nomine Dei Patris ✠ omnipotentis, et Jesu-Christi ✠ Filii ejus Domini nostri, et Spiritus Sancti ✠ Paracliti, et in charitate ejusdem Domini nostri Jesu-Christi, qui venturus est judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem. ℟. Amen.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine Deus omnipotens, cui adstat exercitus Angelorum cum tremore, quorum servitium spirituale cognoscitur, dignare respice, bene ✠ dicere, et sancti ✠ ficare hanc creaturam olei, quam ex olivarum succo eduxisti, et ex eo infirmos inungi mandasti, quatenus sanitate percepta, tibi Deo vivo et vero gratias agerent : præsta quæsumus : ut hi, qui hoc oleo, quod in tuo nomine bene ✠ dicimus, usi fuerint, ab omni languore, omnique infirmitate, atque cunctis insidiis inimici liberentur, et cunctæ adversitates separentur à plasmate tuo quod pretioso Sanguine Filii tui redemisti : ut numquam lædatur à morsu serpentis antiqui.

Per eumdem Dominum nostrum Jesum-Christum, etc.

Aspergat oleum aqua benedicta.

BENEDICTIO VINI.

(Ex Rit. FF. Ord. B. V. M. de Mont. Carm.).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine Jesu-Christe Fili Dei vivi, qui ad nuptias in Cana Galilææ, aquam, virtutem benedictionis infundendo, in vinum purum convertisti: bene ✠dic, et sancti✠fica vinum istud; et concede, ut omnes gustantes et sumentes ex eo animæ et corporis sanitatem consequantur. Qui vivis, et regnas in sæcula, etc.

Aspergat aqua benedicta..

ALIA BENEDICTIO VINI.

(Ex Rituali Tarraconensi).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine Jesu-Christe, qui ex quinque panibus hor-

deaceis, et ex duobus piscibus quinque millia hominum satiasti; et in Cana Galilææ ex aqua vinum fecisti: tu qui es vitis vera, multiplica super hunc famulum tuum misericordiam pietatis tuæ, quemadmodum fecisti cum patribus nostris in tua misericordia confidentibus tuaque bene ✠ dictione, et sancti ✠ ficatione sanctificare digneris hanc creaturam vini; ut ubicumque hoc vinum fusum fuerit, vel à quocumque potatum, divino munere benedictionis infunde: et accipienti ex eo, sanctificetur in visceribus ejus, Salvator. Et ego bene ✠ dico in honorem sancti N. et sancti N. et aliorum sanctorum, et sanctarum N. quorum reliquiæ in præsenti requiescunt Ecclesia: In nomine Pa ✠ tris, et Filii ✠, et Spiritus ✠ Sancti. ℟. Amen.

Et asperget vinum aqua benedicta.

BENEDICTIO VASORUM VINI, ETC.

(Ex Col. P. Sannig).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Protector fidelium Deus, et subditorum pectorum habitator; quæsumus, ut serenis oculis tuæ pietatis hæc vasa ita bene ✠ dicere digneris, ut supra ea descendat gratiæ tuæ larga benedictio, ut utentibus, per

gratiam tuam, mereantur effici munda, et salubria. Per Dominum nostrum, etc. ℟. Amen.

Aspergat aqua benedicta.

BENEDICTIO CELLÆ VINARIÆ.

(Ex Col. P. Sannig).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, bonorum omnium dator et conservator, qui inter reliquas creaturas tuas, vinum in hominum sustentationem, et lætitiam, ex fructu uvarum prodire jussisti; quique per Unigenitum Filium tuum Dominum nostrum Jesum-Christum in Nuptiis in Cana Galilææ aquam in vinum mirabiliter permutasti, et Sacramentum pretiosissimi Sanguinis ejusdem Filii tui in vini materia sanctificari jussisti: te supplices deprecamur, ac petimus, ut hanc creaturam vini bene ✠ dicere, et sancti ✠ ficare digneris, ut omnes ex eo gustantes animæ et corporis recipiant sanitatem, et te omnium gratiarum largitorem sine fine collaudent. Per eumdem Dominum nostrum, etc. ℟. Amen.

Aspergatur aqua benedicta.

BENEDICTIO UVARUM ET FICORUM.

(Ex Rituali Vicensi ord. ab Illmo. Episcopo D. de Tocco).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Bene✠dic, Domine, hos fructus novos uvæ, vel ficorum, quos tu, Domine, per rorem cœli et inundantiam pluviarum, ac tempora tranquilla, serenaque ad maturitatem perducere dignatus es, ad percipiendum nobis cum gratiarum actione. Per Dominum nostrum, etc.

Aspergantur aqua benedicta.

BENEDICTIO NOVORUM FRUCTUUM.

(Ex Miss. et Rit. Rom. Vicen. et aliis, et Col. P. Sannig).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Bene✠dic, Domine, hos novos fructus N., et præsta : ut qui ex eis in tuo sancto nomine vescentur, cor-

poris et animæ salute potiantur. Per Christum Dominum, nostrum. ℟. Amen.

Aspergantur aqua benedicta.

BENEDICTIO PANIS IN DIEBUS DOMINICIS POST OFFERTORIUM MISSÆ FACIENDA.

(Ex Miss. et Rit. Rom. Vicen. et Tarr. et Col. P. Sannig).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine Jesu-Christe, panis Angelorum, panis vivus æternæ vitæ, bene✠dicere dignare panem istum, sicut benedixisti quinque panes in deserto: ut omnes ex eo gustantes, inde corporis et animæ percipiant sanitatem. Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Aspergat aqua benedicta.

ALIA BENEDICTIO PANIS.

(Ex Miss. et Rit. Rom. et Col. P. Sannig).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, bene✠dicere digneris hunc panem tua sancta spirituali benedictione : ut sit omnibus sumentibus salus mentis et corporis atque contra omnes morbos, et universas inimicorum insidias tutamen. Per Dominum nostrum Jesum-Christum Filium tuum, panem vivum, qui de cœlo descendit, et dat vitam et salutem mundo : et tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Aspergatur aqua benedicta.

ALIA BENEDICTIO PANIS OMNIBUS DIEBUS DOMINICIS FACIENDA, QUI VULGO DICITUR PANIS BENEDICTUS.

(Ex Rituali Barcinonensi).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℣. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Bene✠dic, Domine, creaturam istam panis, sicut benedixisti quinque panes in deserto : ut omnes gustantes ex eo accipiant tam corporis, quam animæ sanitatem. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

In nomine Pa✠tris, et Filii, et Spiritus Sancti : ℟. Amen.

Et aspergat super panem aquam benedictam, et deinde frangat panem, dicens :

In fractione panis cognoverunt Discipuli Dominum.

BENEDICTIO PANIS IN ELEEMOSYNAS DISTRIBUENDI.

(Ex Rit. Vicen. Urg. et Gerun.).

Hæc benedictio spectat ad Parochum, et fieri potest à Sacerdote de illius licentia.

In hac benedictione panis Parochus aut Sacerdos de illius licentia induetur amicto, alba et stola, et pluviali violacei coloris, et cum Diacono, et Subdiacono (si commode fieri potest) ibit ad locum, ubi panis benedicendus erit præparatus, et canet (si solus sit, recitabit) sequentia.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine Jesu-Christe, panis Angelorum, panis vivus ælernæ vitæ, bene ✠ dicere dignare panem istum, sicut benedixisti quinque panes in deserto : ut omnes ex eo gustantes, inde corporis, et animæ percipiant sanitatem. Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Postea Diaconus genuflectet, et dicet : Munda cor

meum, etc., *et petet benedictionem à Sacerdote, qua accepta, canet sequens Evangelium; quod, si Sacerdos solus sit, cæteris præmissis ipse cantabit.*

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.
℣. Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem.
℟. Gloria tibi Domine.

In illo tempore : Cum sublevasset oculos Jesus, et vidisset, quia multitudo maxima venit ad eum, dixit ad Philippum : unde ememus panes, ut manducent hi? Hoc autem tentans eum : ipse enim sciebat, quid esset facturus. Respondit ei Philippus : ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat. Dixit ei unus de discipulis ejus, Andreas frater Simonis Petri : est puer unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, et duos pisces : sed hæc quid sunt inter tantos? Dixit ergo Jesus : facite homines discumbere. Erat autem fœnum multum in loco. Discubuerunt ergo viri quasi in numero quinque millia. Accepit Jesus panes, et cum gratias egisset, distribuit discumbentibus : similiter, et ex piscibus, quantum volebant. Ut autem impleti sunt, dixit discipulis suis : colligite quæ superaverunt fragmenta, ne pereant. Collegerunt ergo, et impleverunt duodecim cophinos fragmentorum, ex quinque panibus hordeaceis, quæ superfuerunt his, qui manducaverant : illi autem homines cum vidissent, quod Jesus fecerat signum, dicebant : quia hic est vere Propheta, qui venturus est in mundum.

℟. Laus tibi Christe.

Finito Evangelio, Sacerdos dicet sequentia:

℣. Dispersit, et dedit pauperibus.

℟. Justitia ejus manet in sæculum sæculi.

℣. Beatus, qui intelligit super egenum et pauperem.

℟. In die mala liberabit eum Dominus.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, bene ✠dicere digneris hunc panem, tua sancta spirituali bene ✠dictione: ut sit omnibus sumentibus salus mentis, et corporis, atque contra omnes morbos, et universas inimicorum insidias tutamen. Per Dominum nostrum Jesum-Christum Filium tuum, panem vivum, qui de cœlo descendit, et dat vitam, et salutem mundo: et tecum vivit, et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Et benedictio omnipotentis Dei Pa✠tris et Filii, et Spiritus Sancti descendat et maneat super nos, et super hanc creaturam panis. ℟. Amen.

Et aspergat aqua benedicta.

BENEDICTIO PANIS, ET ALIORUM FRUCTUUM IN DIE S. BLASII MART. ET PONTIF. DIE 3 FEBR.

(Ex Rit. Vicen. Tarr. B. Urg. Ger. et Col. P. Sannig).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum et terram.

℣. Sit nomen Domini benedictum.
℟. Ex hoc nunc et usque in sæculum.
℣. Ora pro nobis Beate Blasi.
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Salvator mundi Deus, qui hodiernam diem beatissimi Blasii martyrio consecrasti; et diversas creaturas ad salutem hominum creasti, qui ex quinque panibus satiasti, ac populum Judaicum in deserto miraculose pavisti, ineffabilem misericordiam tuam suppliciter exoramus, et petimus, ut hos panes, vinum, aquam, et fructus, quos plebs fidelis tibi devote hodie ad sanctificandum attulit, tua pietate bene ✠ dicere, et sancti ✠ ficare digneris: ut qui ex eis comederint, vel gustaverint ab omni gutturis plaga, et totius corporis infirmitate, meritis, et intercessione ejusdem beati Blasii Martyris tui, atque Pontificis plenam recipiant sanitatem: et nos famulos tuos ab omni animæ et corporis ægritudine sanos conservet. Qui vivis et regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Benedictio Dei omnipotentis Pa ✠ tris, et Filii, et Spiritus Sancti descendat, et maneat semper super hos panes, vinum, aquam, fructus, et super omnes ex eis gustantes. ℟. Amen.

Aspergat aqua benedicta.

BENEDICTIO PANIS, ET ALIARUM RERUM CONTRA GUTTURIS INFIRMITATEM IN DIE S. LUPI POST MISSAM FACIENDA, DIE 1 SEPTEMB.

(Ex Rit. Vicen. Tarr. et Gerund.).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Bene ✠ dic, Domine, hanc creaturam panis, atque omnium istorum fructuum, sicut benedixisti quinque panes in deserto : ut omnes ex his gustantes tam animæ quam corporis recipiant sanitatem. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

OREMUS.

Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, bene ✠ dicere, et sancti ✠ ficare tua pietate digneris hos panes, vinum, fructus arborum, et alia, quæ indigni detulimus, et per intercessionem gloriosissimæ Virginis Mariæ, et beati Lupi Confessoris tui atque Pontificis, bene ✠ dicere, et ad profectum presentis familiæ tuæ, atque omnium fidelium præsentium, et absentium provenire concede, ut in quocumque loco deprecati fuerint, salvi, et maxime à dolore gutturis efficiantur, et omnes iniquitates, sive illusiones ab eorum habitaculis abscedant, et quicumque ex eis tenuerint, et

gustaverint, tua gratia et bene ✠ dictione repleantur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Et benedictio Dei omnipotentis Pa ✠ tris, et Filii, et Spiritus Sancti descendat, et maneat super hos panes, vinum, et fructus, et super omnes ex eis gustantes. ℟. Amen.

Aspergat aqua benedicta.

BENEDICTIO PANIS ET AQUÆ IN FESTO S. AGATHÆ CONTRA PERICULUM IGNIS.

(Ex Rit. Vicen. Tarr. B. Ur. Ger. et Col. P. Sannig).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine Jesu-Christe, Fili Dei vivi, qui es fons vivus, et salus æterna credentium, qui de cœlo descendisti; bene ✠ dic, et sancti ✠ fica hos panes et aquam in honorem beati Agathæ Virginis et Martyris deportata, et concede per intercessionem ejus : ut ubicumque contra ignem comburentem, missa, aspersa, vel posita fuerint, illico ignis evanescat, et penitus extinguatur. Qui vivis et regnas Deus, etc.

Et benedictio Dei omnipotentis Pa ✠ tris, et Filii, et Spiritus Sancti descendat super nos, et super has creaturas panis et aquæ, et maneat semper. ℟. Amen.

Aspergat aqua benedicta.

TITULUS V.

DE VARIIS BENEDICTIONIBUS COMMUNIBUS.

Hæc pariter fieri possunt à quolibet simplici Sacerdote.

BENEDICTIO GENERALIS AD QUÆCUMQUE VOLUERIS.

(Ex Rit. Barcin. et Col. P. Sannig).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Bene ✠ dic, Domine, creaturam istam N., ut sit remedium salutare generis humani, et præsta per invocationem sanctissimi Nominis tui, ut quicumque ex ea *vel* eo sumpserint, *vel* usi fuerint, salutem animæ, et corporis suscipiant sanitatem. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Aspergatur aqua benedicta.

BENEDICTIO COMMUNIS SUPER FRUGES ET VINEAS.

(Ex Rit. Rom. Vicen. Tarr. et aliis et Col. P. Sannig).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.

℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Oramus pietatem tuam, omnipotens Deus, ut has primitias creaturæ tuæ, quas aeris et pluviæ temperamento nutrire dignatus es, benedictionis tuæ imbre perfundas; et fructus terræ tuæ usque ad maturitatem perducas. Tribue quoque populo tuo de tuis muneribus tibi semper gratias agere, ut à fertilitate terræ esurientium animas bonis affluentibus repleas, et egenus et pauper laudent nomen gloriæ tuæ. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Aspergat illas aqua benedicta.

BENEDICTIO SEMINUM COMMUNIS.

(Ex Col. P. Sannig).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Te, Domine, petimus, ac rogamus, ut grana seminum, *(frumenti, siliginis, hordei, avenæ, ac aliorum cujuscumque generis extant)* tuis oculis serenis, hilarique vultu aspicere digneris. Sicut autem per Moysem famulum tuum populo tuo pollicitus es dicens: aperit

Dominus thesaurum suum optimum Cœlum, ut tribuat pluviam terræ suæ in tempore suo, benedicatque cunctis operibus manuum suarum; ita oramus, Domine, ut nobis misericorditer præstes auxilium gratiæ tuæ, et super hæc seminum grana bene✠dictionem tuam benignus effundas; non ea volucres cœli surripiant, non turbo subvertat, nec vis tempestatis, grandinumque excrescentia detruncet, nec aeris serenitas, aut inundatio pluvialis exterminet, sed incolumia, et superabundantia propter usum hominum ad plenissimam maturitatem perducere digneris. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Aspergantur aqua benedicta.

BENEDICTIO TERRÆ SEMINATÆ SEU PLANTATÆ.

(Ex Rit. Vicen. Tarr. Urg. et Col. P. Sannig).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Bene✠dicat nos, Deus, Deus noster, et terræ nostræ ubertatem concedat, in centuplum amplificet fructus ejus, ut venientes in exultatione manipulos nostros colligamus. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Aspergat terram aqua benedicta.

BENEDICTIO AD QUODCUMQUE COMESTIBILE.

(Ex Miss. et Rit. Rom. Vic. Tarr. Barc. Urg.).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Bene✠dic, Domine, creaturam istam N., ut sit remedium salutare generi humano et præsta per invocationem sancti Nominis tui; ut quicumque ex ea sumpserint, corporis sanitatem, et animæ tutelam percipiant. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Aspergat id aqua benedicta.

BENEDICTIO CUJUSCUMQUE MEDICINÆ.

(Ex Col. P. Sannig).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus, qui mirabiliter hominem creasti, et mirabiliter reformasti, qui dedisti medicinam ad tuendam hominum sanitatem: sanctam tuam de Cœlis bene✠dictionem super hanc medicinam infunde, ut hic, in cu-

jus corpus introierit, sanitatem mentis et corporis percipere mereatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Aspergatur aqua benedicta.

BENEDICTIO COMMUNIS AD QUOSCUMQUE POTUS.

(Ex Col. P. Sannig).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Creator, Conservator humani generis, dator gratiæ spiritualis, largitor æternæ salutis, tu Domine, mitte Spiritum Sanctum tuum cum superna bene ✠dictione super hanc creaturam N., ut armata virtute cœlestis defensionis, illis, qui ea fruentur, proficiat ad corporis et animæ salutem ac tutelam. Per Dominum nostrum Jesum-Christum, etc. ℟. Amen.

Aspergatur aqua benedicta.

BENEDICTIO AD INITIUM ALICUJUS OPERIS BONI.

(Ex Rit. Vicen. Tarr. Urg. et Col. P. Sannig).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus, à quo omne bonum sumit initium, et semper ad potiora progrediens percipit incrementum, concede quæsumus, supplicantibus nobis : ut quod ad laudem nominis tui inchoare aggredimur, æterno tuæ paternæ sapientiæ munere perducatur ad terminum. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

BENEDICTIO SUPER AQUAS INFECTAS, VEL AQUARUM ET FLUMINUM, ET ETIAM AQUÆ PRO USU.

(Ex Rit. Vicen. et Urg. et Col. P. Sannig).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine Jesu-Christe, qui Jordanis flumen benedixisti, et in eodem baptizatus aquas purificasti, ut elementum salubre efficeretur in remissionem peccatorum; has aquas quoque bene✠dicere, et sancti✠ficare digneris, ut nihil eis noxium, nihil pestilens, nihil corrumpens maneat, sed omnia pura et munda in eis efficiantur; ut quæ ad usum hominum ex eis creata sunt, cum gloria tua, et salute nostra sumamus. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde aspergat aqua benedicta.

BENEDICTIO FRUCTUUM QUORUMCUMQUE.

(Ex Col. P. Sannig).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine Jesu-Christe, Deus de Deo, qui famulum tuum Beatum Blasium martyrio consecrasti, et Beatum Ubaldum, et Antonium Paduanum in gloria tua collocasti, bene✠dicere, et sancti✠ficare digneris tua pietate hos fructus, quos indigne detulimus, per tui Sancti Nominis invocationem, et per intercessionem Beatissimæ Mariæ Virginis, et Beati Ubaldi, ac Antonii Paduani servi tui. Bene✠dic, sicut et ego bene✠dico, et sancti✠fico hos fructus, et ad profectum præsentis familiæ, atque omnium fidelium præsentium, et absentium pervenire concede: ut in quocumque loco deportati fuerint, salvi, maxime à dolore gutturis, et aliorum dolorum efficiantur, et omnes iniquitates sive illusiones Dæmonum, ab eorum habitaculis abscedant, et quicumque ex eis tenuerint et gustaverint, tua gratia et benedictione repleantur. Qui vivis et regnas, etc. ℟. Amen.

Aspergat aqua benedicta.

BENEDICTIO CARNIUM QUARUMCUMQUE, OVORUM ET COMESTIBILIUM OMNIUM.

(Ex Col. P. Sannig).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine Jesu-Christe, Fili Dei vivi, qui es verus et immaculatus Agnus, quique immaculatus in ara Crucis peccata mundi delevisti, et nos ad ovile propriis humeris reportasti, has carnes, *vel* hanc creaturam ovorum, *vel*, *etc.*, quas ad usus hominum creasti, bene✠dicere, et sancti✠ficare digneris, ut omnes ex eis sumentes, tuis benedictionibus repleti, et animæ et corporis sanitatem, te annuente, semper accepisse lætentur, Salvator mundi. Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

OREMUS.

Deus, universæ carnis, qui Noe, et filii suis, de mundis et immundis animalibus præcepta dedisti, quique sicut olera herbarum, humano generi quadrupedia munda manducare permisisti, qui agnum de Ægypto Moysi, et populo tuo in Vigilia Paschæ comedere præcepisti in figuram agni Domini nostri Jesu-Christi, cujus sanguine omnia primogenita tibi de

mundo redemisti, et Angelo juvante, omnem primogenitum in Ægypto percuti præcepisti, servans populum tuum Agni sanguine prænotatum : dignare quæsumus Domine Deus omnipotens, bene ✠ dicere, et sancti ✠ ficare has carnes ovium, *vel* hædorum, *vel* avium, *vel* quascumque carnes, ut quicumque de tuis fidelibus populis ex eis comederint, omni benedictione cœlesti, et tua perenni repleti gratia satientur. Per eumdem Dominum nostrum Jesum-Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat, etc. ℟. Amen.

Aspergantur aqua benedicta.

BENEDICTIO CUJUSCUMQUE CIBI, POTUS, AUT MEDICINÆ.

(Ex Manual. seu Rit. Seraph. Ord. S. Franc.).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Bene ✠ dic, Domine, creaturam istam N., benedictione sancta tua, ut sit omnibus utentibus ea salus mentis et corporis : et contra omnes morbos, atque universas insidias inimicorum tutamen, et singulare remedium, tantamque virtutem per signaculum sanctæ Crucis recipiat, ut omnes infirmitates sanet, spiritus malignos repellat, maleficiaque omnia dissolvat. Per Christum, etc. ℟. Amen.

Aspergatur aqua benedicta.

BENEDICTIO VESTIUM SEU INDUMENTI.

(Ex Rit. FF. Ord. B. V. M. de Mont. Carm. et Col. P. Sannig).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine Jesu-Christe, qui nostræ mortalitatis trabeam induere voluisti, immensam tuam largitatem obsecramus; ut abundantem bene ✠ dictionem in hoc vestimenti genus affluere digneris, atque ita hoc bene ✠ dicas, ut *famulus tuus, qui* eo *usus fuerit* te vestiri mereatur. Qui vivis et regnas in sæcula seculorum. ℟. Amen.

Aspergatur aqua benedicta.

BENEDICTIO INDUMENTORUM, LECTI, VEL SIMILIUM.

(Ex Col. P. Sannig).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Exorcizo vos creaturas diversas indumentorum per eum, qui vos paravit ad ornamentum generis huma-

ni, ut sitis indumenta benedicta ✠, pura ✠, munda ✠, ab omni macula diaboli, et ministrorum ejus, et ab omnibus facturis, et maleficiis, cujuscumque generis sint, et vires Diaboli retinere non positis, sed sitis in nomine divi Antonii Paduani indumenta pura ✠, benedicta ✠, et sanctificata ✠: quæsumus Domine, ut hæc indumenta purificare ✠ digneris, nam ego Sacerdos tuus hæc indumenta in tuo nomine, et divi Antonii Paduani bene ✠ dico, puri ✠ fico, et sancti ✠ fico. Concede, Domine, ut qui ea portaverit, et induerit, cœlestis gratiæ, et benedictionis plenitudinem valeat accipere, ut ab omnibus dæmonibus et facturis sit liber, et defensus. In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti. ℟. Amen.

Aspergantur aqua benedicta.

BENEDICTIO PRO QUALIBET RE, QUÆ SPECIALEM BENEDICTIONEM NON HABET.

(Ex Rituali Gerundensi).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Immensam clementiam tuam, omnipotens æterne Deus, humiliter imploramus; ut hanc creaturam, quam in usum humani generis tribuisti, bene ✠ dicere, et sancti ✠ ficare tua pietate digneris, ut sit omnibus

eam adhibentibus salus mentis et corporis, et ubicumque fuerit applicata, tollatur omnis immunditia, et cesset omnis impugnatio spiritalis nequitiæ. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Aspergat aqua benedicta.

TITULUS VI.

DE BENEDICTIONIBUS RATIONABILIUM IN DUO CAPITA DISTRIBUTIS.

CAPUT PRIMUM.

Quæ continentur in hoc primo capite fieri possunt à simplici Sacerdote.

BENEDICTIO INFANTIS.

(Ex Collect. P. Sanmig).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine Jesu-Christe, qui parvulos tibi oblatos, et ad te venientes amplexabaris *(hic ponat manus super caput infantis)* manusque super illos imponens benedicebas atque dicebas : sinite parvulos venire ad me,

et nolite prohibere illos, talium est enim Regnum cœlorum, et Angeli eorum semper vident faciem Patris mei : respice, quæsumus ad infantium præsentium, *vel* infantis præsentis innocentiam, et ad suorum parentum devotionem, et clementer eos per ministerium meum bene ✠ dic, ut in tua gratia, et in tua misericordia semper proficiant, te sapiant, te diligant, te timeant, mandata tua et parentum custodiant, et ad finem optatum feliciter perveniant, per te, Jesu-Christe Salvator mundi, qui vivis et regnas Deus. Amen.

Benedictio Dei omnipotentis Pa ✠ tris et Filii, et Spiritus Sancti descendat super vos, et custodiat, et dirigat vos, et maneat semper vobiscum. ℟. Amen.

Aspergantur aqua benedicta.

BENEDICTIO PUERORUM ET PUELLARUM.

(Ex Col. P. Sannig).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Quæsumus, omnipotens Deus, pueris istis, pro quibus tuam deprecamur clementiam, bene ✠ dicere dignare, et per virtutem Sancti Spiritus corda eorum corrobora, vitam sanctifica, castimoniam decora, et sensus eorum in bonis operibus munitos informa : prospera tribue, pacem concede, salutem confer, charita-

tem largire, et ab omnibus diabolicis, atque humanis insidiis tua protectione, et virtute, semper defende, et in finem ad requiem Paradisi eos perduc. Per Dominum nostrum, etc.

OREMUS.

Domine Jesu-Christe, qui parvulos, etc., *ut supra pag. 160 in bened. infantis.*

BENEDICTIO HABITUS AD INDUENDUM PUERUM SIVE PUELLAM PRO DEVOTIONE SEU VOTO.

(Ex Rit. Vicen. Tarr. Barc. Urg. et Gerund.).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine Jesu-Christe, qui pro nostra salute suscipiens humanam naturam, te vestimento carnis induere dignatus es : benedictione tua sancta, bene✠dic vestimenta ista, quæ pro gratiis tibi exolvendis omni cum devotione, sanctoque voto, ac veneratione S. N. *(nominet Sanctum, vel Sanctam in cujus devotione habitus est suscipiendus)* iste *vel* ista, suscepturus est : in eum *vel* eam, quæsumus, tuam sanctam bene✠dictionem; ut cum primum induerit hoc pietatis vestimentum, intercedente Sancto, *vel* Sancta N., descendat super eum, *vel* eam gratia tua, quæ protegat illum,

vel illam ab omni malo animæ et corporis. Qui vivis et regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Aspergantur puer seu puella et habitus aqua benedicta.

BENEDICTIO AD EXUENDUM PUERUM, SEU PUELLAM, CUM PORTAVERIT HABITUM PRO DEVOTIONE SEU VOTO.

(Ex Rit. Vicen. Tarr. Barc. Urg. et Gerund.).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, à quo descendit omne bonum, et omne donum, tibi gratias referimus, et expleta vota reddimus, suscipe vota nostra cum actionibus gratiarum ; et intercedente Beatissima Virgine Maria, Sanctoque, *vel* Sancta N., huic de cetero præsta salutem mentis et corporis : ut te Creatorem recta fide colat, in te Redemptorem spem suam confirmet, teque summum bonum super omnia diligat, atque sanctis mandatis tuis semper obediat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Aspergat aqua benedicta, et potest dici :

Benedictio Dei omnipotentis Pa✠tris, et Filii, et Spiritus Sancti descendat super te, et maneat semper. ℟. Amen.

BENEDICTIO CHLAMYDIS.

(Ex Addit. Miss. Rom.).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus qui vestimentum singulare ad indumentum æternæ jucunditatis, tuis fidelibus promisisti : clementiam tuam suppliciter exoramus ; ut hoc indumentum humilitatem cordis, et mundi contemptum significans, quo famulus tuus, *vel* famula tua in sancto et firmo proposito vestiri desiderat, propitius bene ✠ dicas : et castitatis habitum, quem te inspirante suscipit, te protegente custodiat : ut quem *vel* quam sacræ religionis veste induis temporaliter, beata facias immortalitate vestiri. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde aspergat indumentum, et qui induendus est, aqua benedicta, et cum induerit, dicit Antiphonam :

Immittat in te Dominus sanctum religionis amorem, sanctoque fervore succendaris, et ardeas cœlestium bonorum desiderio.

Deinde postquam fuerit indutus, dicat Orationem :

OREMUS.

Domine Jesu-Christe, qui pro nostra salute suscipiens humanam naturam, te vestimento carnis indue-

re dignatus es : benedictione sancta tua bene ✠ dic istum, *vel* istam, famulum tuum, *vel* famulam tuam qui, *vel* quæ cum omni devotione ac veneratione beati Patris nostri N. hoc indumentum super se suscepit : infunde in eum, *vel* in eam quæsumus tuam sanctam bene ✠ dictionem, ut intercedente sanctissimo N. descendat super eum, *vel* eam gratia tua, et protegat eum *vel* eam, ab omni malo mentis et corporis. Qui vivis et regnas, etc.

BENEDICTIO CORRIGIÆ VEL CHORDÆ.

(Ex Addit. Miss. Roman.).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Omnipotens, sempiterne et misericors Deus, qui pietatis misericordiam, peccatoribus quærentibus veniam et misericordiam, tribuisti : oramus immensam clementiam tuam, ut hanc corrigiam, *vel* chordam bene ✠ dicere, et sancti ✠ ficare digneris; ut quicumque, *vel* quæcumque pro peccatis suis cincti, *vel* cinctæ fuerint, et misericordiam tuam imploraverint, veniam et indulgentiam tuæ sanctæ misericordiæ consequantur. Per Dominum, etc.

Et aspergat eam aqua benedicta.

Cum autem cingitur corrigia vel chorda, dicat:

Accipe corrigiam *vel* chordam super lumbos tuos, ut sint lumbi tui præcincti in signum castitatis, et temperantiæ. In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti. ℟. Amen.

OREMUS.

Domine Jesu-Christe, lux vera de vero lumine, quæsumus clementiam tuam, ut per intercessionem beati Patris nostri N. Confessoris tui, mentem et cor hujus famuli tui, *vel* famulæ tuæ illumines; ut tibi casto corpore famuletur, et corde mundissimo jugiter placeat: Qui vivis, etc.

BENEDICTIO VELI.

(Ex Addit. Miss. Rom.).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Bene ✠ dic, quæsumus omnipotens Deus, velamen istud famulæ tuæ capiti imponendum, ut in ea bene ✠ dictio tuæ benignitatis descendat: ut sit in ea sanitas, sanctitas, castitas, virtus, victoria, sanctimonia, humilitas, bonitas, et mansuetudo, legis plenitudo, et obedientia Dei: et Patris, et Filii, et Spi-

ritus Sancti adsit semper bene ✠ dictio. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Postea aspergat aqua benedicta, et imponat illud in capite dicens :

Accipe velum super caput tuum in signum obedientiæ, munditiæ et puritatis : In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti. Amen. *Deinde :*

℣. Emitte Spiritum tuum, et creabuntur.

℟. Et renovabis faciem terræ.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti : da famulæ tuæ in eodem spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere. Per Dominum, in unitate ejusdem Spiritus. ℟. Amen.

BENEDICTIO VESTIUM ET CINGULI, QUÆ DEFERUNTUR IN HONOREM B. MARIÆ VIRG.

(Ex Rit. Cler. Reg. Scholarum Piarum.)

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum et terram.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Bene ✠ dic, Domine, vestem istam, et cingulum

istud in honorem, et sub protectione Beatissimæ Virginis Mariæ sumenda : et præsta per invocationem sancti tui nominis, ut qui ea induerit, corporis sanitatem, et animæ tutelam percipiat. Per Christum, etc.

Aspergantur aqua benedicta.

BENEDICTIO CILICII.

(Ex Col. P. Sannig).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Omnipotens, et misericors Deus, qui corporibus pœnitentibus hoc indumentum imposuisti, et per illud misericordiam, et veniam tribuisti, oramus clementiam tuam, ut indumentum hoc, quod vocatur cilicium, bene ✠ dicere, et sancti ✠ ficare digneris, ut quicumque eo pro peccatis indutus fuerit, et nimiam tuam imploraverit veniam, indulgentiam tuæ sanctæ misericordiæ consequatur. Per Dominum nostrum, etc.

Aspergatur aqua benedicta.

BENEDICTIO MULIERIS STERILIS PRO LIBERIS IMPETRANDIS.

(Ex Rit. Vicen. Tarr. Barc. et Urg.).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
Antiphona. Benedicat tibi Dominus ex Sion.

PSALMUS CXXVII.

Beati omnes qui timent Dominum : * qui ambulant in viis ejus.

Labores manuum tuarum quia manducabis : * beatus es, et bene tibi erit.

Uxor tua sicut vitis abundans : * in lateribus domus tuæ.

Filii tui sicut novellæ olivarum : * in circuitu mensæ tuæ.

Ecce sic benedicetur homo : * qui timet Dominum.

Benedicat tibi Dominus ex Sion : * et videas bona Jerusalem omnibus diebus vitæ tuæ.

Et videas filios filiorum tuorum : * pacem super Israel.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, etc.

Antiph. Benedicat tibi Dominus ex Sion, et videas filios filiorum tuorum usque in tertiam et quartam generationem.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. Ave Maria. Credo in, etc.

℣. Salvam fac ancillam tuam Domine.

℟. Deus meus sperantem in te.

℣. Sint filii tui sicut novellæ olivarum.

℟. In circuitu mensæ tuæ.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus, qui emortuam vulvam Saræ, ita per Abrahæ semen fœcundare dignatus es, ut ei contra spem sobolis, filius nasceretur, præsta famulæ tuæ N. pro sua sterilitate deprecanti, ut mœrorem infœcunditatis, ab ea submoveas; et ad concipiendam sobolem ei fœcunditatem tribuas, et filium quem donaveris clementer benedicas. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

OREMUS.

Majestatis tuæ clementiam, Deus Pater omnipotens suppliciter exoramus : ut preces nostras pro sterilitate famulæ tuæ N. benignus assumas, et ei prolem tibi, et hominibus gratiosam concedere digneris. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Et aspergat mulierem aqua benedicta.

BENEDICTIO MULIERIS PRÆGNANTIS, ET FŒTUS DE CUJUS PERICULO DUBITATUR.

(Ex Rit. Tarr. et Urg.).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Salvam fac ancillam tuam Domine.
℟. Deus meus sperantem in te.
℣. Esto ei Domine turris fortitudinis.
℟. A facie inimici.
℣. Nihil proficiat inimicus in ea.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
℣. Mitte ei Domine auxilium de Sancto.

℟. Et de Sion tuere eam.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione veræ fidei, æternæ Trinitatis gloriam agnoscere, et in potentia Majestatis adorare unitatem; quæsumus, ut ejusdem fidei firmitate ab omnibus semper muniamur adversis. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

OREMUS.

Domine Deus, omnium Creator, fortis et terribilis, justus atque misericors, qui solus bonus et pius es, solus præstans, omnipotens et æternus: qui liberasti Israel de manu Pharaonis, et munere Spiritus Sancti Joannem Baptistam sanctificasti antequam ex utero nasceretur: accipe sacrificium cordis contriti, ac fervens desiderium famulæ tuæ N. humiliter supplicantis pro conservatione prolis debilis, quam dedisti ei concipere, et custodi eam, atque sanctifica immensa benedictione tuæ gratiæ, et defende ab omni dolo, et injuria diri hostis, necnon à quibuslibet adversitatibus crudelibus, et iniquis: ut ad lucem præsentis vitæ jucundissima obstetricante manu tua, veniat incolumis, tibique in omnibus jugiter deserviat, et vitam consequi sempiternam finaliter mereatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Et aspergat mulierem aqua benedicta, et dicat :

PSALMUS LXVI.

Deus misereatur nostri et benedicat nobis : * illuminet vultum suum super nos, et misereatur nostri.

Ut cognoscamus in terra viam tuam : * in omnibus gentibus salutare tuum.

Confiteantur tibi populi Deus : * confiteantur tibi populi omnes.

Lætentur, et exultent gentes : * quoniam judicas populos in æquitate, et gentes in terra dirigis.

Confiteantur tibi populi Deus ; confiteantur tibi populi omnes : * terra dedit fructum suum.

Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus : * et metuant eum omnes fines terræ.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, etc.

℣. Benedicamus Patrem, et Filium cum Sancto Spiritu.

℟. Laudemus et superexaltemus eum in sæcula.

℣. Angelis suis Deus mandavit de te.

℟. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Visita quæsumus, Domine, habitationem istam, et omnes insidias inimici ab ea, et à præsenti famula tua N. longe repelle, et Angeli sancti tui habitent in

ea, qui eam, et ejus prolem in pace custodiant : et benedictio tua sit super eas semper : salva eas omnipotens Deus, et lucem tuam eis concede perpetuam. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Et benedictio Dei omnipotentis Patris, et Filii, et Spiritus Sancti descendat, et sit super te, et super prolem tuam, et maneat semper. ℟. Amen.

Iterum illam aqua benedicta aspergat.

BENEDICTIO PRO INFIRMIS.

(Ex Col. P. Sannig).

Intrando domum dicat :

Pax huic domui et omnibus habitantibus in ea.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Introeat, quæsumus, Domine Jesu-Christe, domum hanc sub nostræ humilitatis ingressu æterna felicitas, divina prosperitas, serena lætitia, charitas fructuosa, sanitas sempiterna : effugiat ex hoc loco accessus dæmonum, adsint Angeli pacis, domumque hanc deserat effugata discordia ; magnifica, Domine, super nos Nomen sanctum tuum. Benedic conversationi nostræ, sanctifica humilitatis ingressum ; qui Sanctus et pius

es, et permanens cum Patre, et Spiritu Sancto in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Postea dicitur

PSALMUS CXXIX.

De profundis clamavi ad te Domine : * Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes : * in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates observaveris Domine : * Domine quis sustinebit ?

Quia apud te propitiatio est : * et propter legem tuam sustinui te Domine.

Sustinuit anima mea in verbo ejus : * speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem * speret Israel in Domino.

Quia apud Dominum misericordia, * et copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israel * ex omnibus iniquitatibus ejus.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, etc. *Deinde :*

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

✠ Sequentia Sancti Evangelii secundum Lucam.

℟. Gloria tibi Domine.

In illo tempore : Surgens Jesus de Synagoga, introivit in domum Simonis ; socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus, et rogaverunt illum pro ea ; et stans super illam imperavit febri, et dimisit illam, et continuo surgens ministrabat illis. Cum autem sol

occidisset, omnes qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad Jesum. At ille singulis manus imponens curabat eos. ℟. Laus tibi Christe.

Quo dicto subditur :

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster, etc.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos à malo.

℣. Miserere hujus, Domine, quoniam infirmus, *vel* infirma est.

℟. Sana eum, *vel* eam, Domine, quoniam conturbata sunt ossa ejus.

℣. Salvum fac servum tuum, *vel* ancillam tuam Domine.

℟. Deus meus sperantem in te.

℣. Ego dixi Domine miserere ejus.

℟. Sana animam ejus, quia peccavit tibi.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Respice, Domine, famulum tuum, *vel* famulam tuam, fratrem, *vel* sororem nostram, in infirmitate sui corporis laborantem, et animam refove, quam creasti, ut castigationibus emendata, continuo se sentiat tua medicina salvatam. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Postea imponat manum super caput infirmi dicens:

Super ægros manus imponent, et bene habebunt, ✠ Jesus Mariæ Filius, mundi salus, et Dominus, meritis Beatæ Mariæ Virginis, Beati Francisci Confessoris sui, et omnium Sanctorum sit tibi clemens, et propitius. ℟. Amen.

Dominus Jesus-Christus apud te ✠ sit, ut te defendat; intra te ✠ sit, ut te conservet; ante te ✠ sit, ut te ducat; post te ✠ sit, ut te custodiat; super te ✠ sit, ut te benedicat, qui cum Patre, et Spiritu Sancto vivit, et regnat in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Benedictio Dei omnipotentis Pa ✠ tris, et Filii, et Spiritus Sancti descendat super te, et maneat semper. ℟. Amen.

Si autem plures infirmi essent, ponatur in plurali et aspergatur aqua benedicta.

BENEDICTIO PANIS PRO INFIRMIS.

(Ex Rit. Vicen. Urg. et Col. P. Sannig).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, bene ✠ dicere digneris hunc panem tua sancta spirituali benedictione: ut sit omnibus sumentibus salus mentis et corporis, atque contra omnes morbos, et univer-

sas inimicorum insidias tutamen. Per Dominum nostrum Jesum-Christum Filium tuum, panem vivum, qui de cœlo descendit, et dat vitam, et salutem mundo; et tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum ℟. Amen.

Deinde aspergat panem aqua benedicta.

BENEDICTIO PEREGRINORUM AD LOCA SANCTA ABEUNTIUM.

(Ex Rit. Rom. Vicen. Tarr. Barc. Urg. et Gerund. et Col. P. Sannig).

Peregrini, ad loca sancta profecturi, antequam discedant, juxta veteris Ecclesiæ institutum, deberent accipere patentes, seu commendatitias litteras à suo Ordinario, seu Parocho. Quibus obtentis, et rebus suis dispositis, facta peccatorum suorum confessione, et audita Missa, in qua dicitur Oratio pro peregrinantibus, sacratissimam Eucharistiam devote suscipiant. Expleta Missa, Sacerdos super eos genuflexos dicit sequentes preces:

Antiph. In viam pacis.

Canticum Zachariæ. (Luc. cap. 1*).*

Benedictus Dominus Deus Israel, * quia visitavit, et fecit redemptionem plebis suæ:

Et erexit cornu salutis nobis, * in domo David pueri sui.

Sicut locutus est per os sanctorum, * qui à sæculo sunt, Prophetarum ejus,

Salutem ex inimicis nostris, * et de manu omnium, qui oderunt nos:

Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris, * et memorari testamenti sui sancti :

Jusjurandum, quod juravit ad Abraham patrem nostrum, * daturum se nobis :

Ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, * serviamus illi.

In sanctitate, et justitia coram ipso, * omnibus diebus nostris.

Et tu puer, Propheta Altissimi vocaberis : * præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus :

Ad dandam scientiam salutis plebi ejus, * in remissionem peccatorum eorum.

Per viscera misericordiæ Dei nostri, * in quibus visitavit nos oriens ex alto.

Illuminare his, qui in tenebris, et in umbra mortis sedent, * ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, etc.

Antiph. In viam pacis, et prosperitatis dirigat vos omnipotens et misericors Dominus : et Angelus Raphael comitetur vobiscum in via, ut cum pace, salute et gaudio revertamini ad propria.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster, etc.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos à malo.

℣. Salvos fac servos tuos.

℟. Deus meus sperantes in te.

℣. Mitte eis Domine auxilium de Sancto.

℟. Et de Sion tuere eos.

℣. Esto eis Domine turris fortitudinis.

℟. A facie inimici.

℣. Nihil proficiat inimicus in eis.

℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere eis.

℣. Benedictus Dominus die quotidie.

℟. Prosperum iter faciat eis Deus salutarium nostrorum.

℣. Vias tuas Domine demonstra nobis.

℟. Et semitas tuas edoce nos.

℣. Utinam dirigantur viæ nostræ.

℟. Ad custodiendas justificationes tuas.

℣. Erunt prava in directa.

℟. Et aspera in vias planas.

℣. Angelis suis Deus mandavit de te.

℟. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus, qui filios Israel per maris medium sicco vestigio ire fecisti, quique tribus Magis iter ad te stella duce pandisti: tribue eis, quæsumus iter prosperum, tempusque tranquillum: ut Angelo tuo sancto comite, ad eum quo pergunt locum, ac demum ad æternæ salutis portum feliciter valeant pervenire.

Deus, qui Abraham puerum tuum de Ur Chaldæorum eductum, per omnes suæ peregrinationis vias illæsum custodisti: quæsumus, ut hos famulos tuos custodire digneris: esto eis Domine in procinctu suf-

fragium, in via solatium, in æstu umbraculum, in pluvia et frigore tegumentum : in lassitudine vehiculum, in adversitate præsidium, in lubriculo baculus, in naufragio portus : ut, te duce, quo tendunt, prospere perveniant, et demum incolumes ad propria revertantur.

Adesto, quæsumus Domine, supplicationibus nostris : et viam famulorum tuorum in salutis tuæ prosperitate dispone : ut inter omnes viæ et vitæ hujus varietates, tuo semper protegantur auxilio.

Præsta, quæsumus omnipotens Deus : ut familia tua per viam salutis incedat, et Beati Joannis Præcursoris hortamenta sectando, ad eum, quem prædixit, secura perveniat Dominum nostrum Jesum-Christum Filium tuum.

Exaudi Domine preces nostras, et iter famulorum tuorum propitius comitare, atque misericordiam tuam, sicut ubique es, ita ubique largire, quatenus à cunctis adversitatibus tua opitulatione defensi, gratiarum tibi referant actionem. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Et tunc aspergendi sunt aqua benedicta, dicendo :

Pax et benedictio Dei omnipotentis Pa✠tris, et Filii, et Spiritus Sancti descendat super vos, et maneat semper. ℟. Amen.

Quod si unus fuerit peregrinaturus, omnia dicuntur in numero singulari ; at si Sacerdos ipse, qui benedicit, fuerit socius peregrinationis, dicat in persona prima numeri pluralis, quatenus congrue videbitur ; et statim benedicet baculos peregrinorum, et peras, prout sequitur :

Signaculum Dei Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus✠ Sancti descendat cœlitus super hos baculos, et peras: ut qui eas portaverint, ab omnium inimicorum insidiis sint defensi. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Et Sacerdos illos aqua benedicta aspergat, et propria manu peregrinis tradet dicendo sequentem orationem:

Accipite hos baculos, et has peras, et pergite ad limina beatorum N. et N. vel Sancti N. et det vobis Deus remissionem omnium peccatorum accipere in hoc sæculo, et in futuro consortium beatorum, atque ad limina Sanctorum, quo pergere cupitis, feliciter pervenire, et peracto itinere ad nos incolumes remeare; in nomine Pa✠tris, et Filii, et Spiritus Sancti.

℟. Amen.

BENEDICTIO PEREGRINORUM POST REDITUM.

(Ex Rit. Rom. Vicen. Tarr. Barc. Urg. et Gerund. et Col. P. Sannig).

Quando Peregrini de sua peregrinatione reversi erunt, ibunt ad propriam Ecclesiam, et ibi Domino Deo gratias agent propter beneficia recepta; et genuflexi ante Altare, à Sacerdote benedictionem suscipient, quæ sic est largienda:

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Antiph. Ecce sic benedicetur homo, qui timet Do-

minum. *Psalmus.* CXXVII : Beati omnes, qui timent Dominum, *ut supra pag. 169. Quo finito dicitur :* Gloria Patri. *Deinde :*

Antiph. Ecce sic benedicitur homo, qui timet Dominum. Kyrie eleison, Christe eleison. Kyrie eleison, Pater noster, etc.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos à malo.

℣. Benedicti qui veniunt in nomine Domini.

℟. Benedicti vos à Domino, qui fecit cœlum et terram.

℣. Respice Domine in servos tuos, et in opera tua.

℟. Et dirige eos in viam mandatorum tuorum.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Largire, quæsumus Domine, famulis tuis indulgentiam placatus et pacem : ut pariter ab omnibus mundentur offensis, et secura tibi mente deserviant.

Omnipotens sempiterne Deus, nostrorum temporum, vitæque dispositor, famulis tuis continuæ tranquillitatis largire subsidium ; ut, quos incolumes propriis laboribus reddidisti, tua facias protectione securos.

Deus humilium visitator, qui nos fraterna dilectione consolaris, prætende societati nostræ gratiam tuam, ut per eos, in quibus habitas, tuum in nobis sentiamus adventum. Per Dominum nostrum, etc.

Deinde aspergantur aqua benedicta à Sacerdote dicente :

Pax et benedictio ✠ Dei omnipotentis Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, descendat super vos et maneat semper. ℟. Amen.

BENEDICTIO PEREGRINARI VOLENTIUM.

(Ex Add. ad Miss. Rom.).

Primo benedicatur Vestis.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine Deus bonarum virtutum dator, et omnium benedictionum largus infusor, te subnixius deprecamur ; ut hanc vestem bene ✠ dicere, et sancti ✠ ficare digneris : ut hac indutus famulus tuus N. salutem animæ et corporis, et requiem acquirere possit : In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti. ℟. Amen.

Et aspergens illam aqua benedicta, tradat eam Peregrino dicens :

In nomine Domini nostri Jesu-Christi, accipe hanc sportam, et vestem, et habitum peregrinationis tuæ, ut bene castigatus, et sanatus, atque emundatus, pervenire merearis ad sanctorum limina, quo pergere cupis, et ut peracto itinere, ad nos incolumis, et alacer reverti merearis. Per Dominum nostrum, etc.

Deinde tradat baculum, dicens:

Accipe hunc baculum ad sustentationem itineris, et viæ peregrinationis tuæ, ut vincere valeas omnes inimicos, et securus pervenire possis ad limina tuta: ut peracto obedientiæ cursu ad nos revertaris cum gaudio. Per Dominum, etc. ℟. Amen.

CAPUT SECUNDUM.

Benedictiones, quæ in hoc secundo capite continentur, privative spectant ad Parochum, et fieri non possunt à simplici Sacerdote, nisi de licentia ipsius Parochi vel Ordinarii.

BENEDICTIO, SEU RITUS ET CÆREMONIÆ BENEDICTIONIS NUPTIALIS, SIVE MISSÆ PRO SPONSO ET SPONSA, QUÆ OBSERVANTUR IN DIŒCESI VICENSI.

(Ex Rituali Vicensi).

El Párroco ó Sacerdote advertirá á los desposados, que se arrodillen cerca de la tarima del altar, en que se dirá la Misa de bendicion nupcial; por ser conveniente que estén cerca del Sacerdote cuando este se vuelve hácia ellos para decirles las oraciones del Misal, y puedan comprender la exhortacion que les hará.

En la Misa de las Nupcias se vestirá el Sacerdote con ornamentos de color blanco y dirá la Misa pro sponso et sponsa, *que empieza:* Deus Israel conjungat vos, etc., *y lo demás como está contenido en el Misal romano sin* Gloria in excelsis, *ni* Credo, *y con tres oraciones, á saber, la primera de la Misa* pro sponso, *la segunda del*

Santo del oficio, y la tercera del Santo ó Santos de quienes se tenga que hacer conmemoracion, ó de B. Virgine, ú otra segun el tiempo.

En los dias de domingo, ó de fiesta de precepto, de las dobles de primera y segunda clase, y en las octavas y ferias privilegiadas, de las cuales se excluyen Missæ votivæ et de Requiem, *no se celebrará la* Missa pro sponso et sponsa, *sino la de la Dominica, ó fiesta corriente con* Gloria in excelsis *y* Credo, *si la Misa lo pide, con conmemoracion de la Misa* pro sponso et sponsa, *guardando en lo demás el rito propio de la fiesta. Pero ni de este ni del primer modo tiene lugar la Misa de bendicion en tiempo prohibido, esto es, desde la primera Dominica de Adviento hasta el dia seis de enero, y desde el primero de Cuaresma hasta la Dominica* in albis *inclusive. Fuera de estos tiempos se bendecirán siempre los nuevamente casados en la forma que acaba de expresarse* [1].

[1] Urbis et Orbis. — Quum ex peculiaribus dubiis ex parte nonnullorum Parochorum, seu aliorum ad præscriptarum in rubricis regularum observantiam deputatorum S. R. Congregationi præpositis, compertum fuerit, non levem alicubi subortam esse dubitationem, et controversiam super intelligentia generalis illius Rubricæ, quæ in Missali Romano adscripta legitur ante Missam *pro Sponso et Sponsa*, videlicet: *Quod si benedictio nuptiarum facienda sit pro Sponso et Sponsa die Dominica, vel alio die festo, dicatur Missa de Dominica, vel festo, etc., cum commemoratione sequentis Missæ pro Sponso et Sponsa.* Dum aliqui censent rubricam illam locum habere in omnibus diebus, quibus celebratur Officium, et Missa de festo Duplici sive majoris, sive minoris ritus, quibusque proinde minime licet præmissas inibi Missas votivas pro Sacerdotum devotione celebrare. Alii vero putant præfata verba, *vel alio die festo*, intelligenda tantum esse de Festis solemnioribus, et festivis de præcepto. Hinc Sacra eadem Congregatio, referente Eminentissimo et Reverendissimo Domino Cardinali Corsino Episcopo Sabinensi, ad dirimendas in posterum controversias, et du-

Al fin del Pater noster *de la Misa, el Sacerdote no tomará la patena, ni proseguirá diciendo:* Libera nos quæsumus, *sino que, hecha reverencia al Sacramento, pasará á la parte de la Epístola, y vuelto al esposo y esposa arrodillados delante del altar, estando la esposa á la mano izquierda del esposo, dirá la Oracion siguiente, que es la misma del Misal romano:*

OREMUS.

Propitiare Domine supplicationibus nostris, et institutis tuis, quibus propagationem humani generis ordinasti, benignus assiste: ut quod te auctore jungitur, te auxiliante servetur. Per Dominum nostrum Jesum-Christum, etc.

bitationes de medio tollendas, præsenti Generali Decreto statuit: In celebratione Nuptiarum, quæ fit extra diem Dominicum, vel alium diem Festum de præcepto seu in quo occurrat duplex primæ vel secundæ classis, etiamsi fiat Officium, et Missa de Festo duplici per annum, sive majori, sive minori, dicendam esse Missam *pro Sponso et Sponsa*, in fine Missalis post alias votivas specialiter assignatam: in diebus vero Dominicis, aliisque diebus Festis de præcepto, ac duplicibus primæ et secundæ classis, dicendam esse Missam de Festo, cum commemoratione Missæ *pro Sponso et Sponsa.* Atque ita decrevit, et servari mandavit. Die 20 decembris 1783.—Factaque deinde per me Secretarium de prædictis Sanctissimo Domino Nostro PIO Papæ VI, relatione, Sanctitas sua præfatum Sacræ Congregationis generale Decretum confirmavit, et ubique executioni dandum esse præcepit.—Die 7 januari 1784.—*J. Card. Archintus Præf.*—C. Airoldi S. R. C. Secr.—Loco ✠ Sigilli.

1. Ex tenore relati Decreti clare habetur, quibus diebus celebranda sit Missa pro Sponso et Sponsa, quibusque celebranda sit Missa de Officio diei cum commemoratione Missæ pro Sponso et Sponsa. In dicto Decreto hæc Missa non immutatur, unde semper est Missa votiva privata licet celebretur in duplicibus, ac proinde in ejus celebratione servandæ sunt sequentes rubricæ: Missa pro Sponso et Sponsa celebranda est cum paramentis albi coloris sine

OREMUS.

Deus qui potestate virtutis tuæ de nihilo cuncta fecisti : qui dispositis exordiis, homini ad imaginem Dei facto, ideo inseparabile mulieris adjutorium condidisti, ut fœmineo corpori de virili dares carne principium, docens quod ex uno placuisset institui, numquam licere disjungi : Deus, qui tam excellenti mysterio conjugalem copulam consecrasti, ut Christi, et Ecclesiæ Sacramentum præsignares in fœdere nuptiarum : Deus per quem mulier jungitur viro, et societas principaliter ordinata, ea benedictione donatur, quæ sola nec per originalis peccati pœnam, nec per diluvii est ablata sententiam : respice propitius super hanc famulam tuam, quæ maritali jungenda consortio, tua se expe-

Gloria in excelsis et cum tribus orationibus, scilicet prima de ipsa Missa, secunda de Missa Officii diei, et tertia quæ est secunda in Missa Officii diei, hoc est vel de octava, vel de Sancto simplici, vel de feria si occurrant. In casu autem quo Missa Officii diei unicam tantum habeat orationem dicenda erit pro tertia oratione in Missa pro Sponso et Sponsa, quæ esset secunda in Missa festi occurrentis, si esset semiduplex secundum rubricam generalem ejusdem Missalis Romani, titulo IX, De Orationibus. Non dicitur Credo, Præfatio autem de Missa Officii diei, hoc est propria si propriam habeat, vel de octava si occurrat, vel de tempore, vel communis. In fine vero dicitur Benedicamus Domino et ultimum Evangelium Sancti Joannis.

2. Diebus autem in Decreto exceptis dicenda est Missa de festo, vel de Dominica, etc., cum paramentis coloris eidem festo vel Dominicæ convenientis, commemoratio Missæ de Sponso et Sponsa fit post omnes commemorationes de præcepto, vel secundo loco cum sua conclusione. Dicitur Gloria in excelsis, Credo, Prefatio, etc., prout congruit eidem Missæ festi occcurrentis.

3. Orationes autem *Propitiare*, et *Deus, qui*, post Pater noster, et *Deus Abraham*, post *Benedicamus Domino vel Ite Missa est*, semper dicuntur, ac Sacerdos monere debet Sponsos sermone gravi, ut in fine ejusdem Missæ præscribitur.

tit protectione muniri : sit in ea jugum dilectionis, et pacis : fidelis et casta nubat in Christo, imitatrixque sanctarum permaneat fœminarum : sit amabilis viro, ut Rachel : sapiens, ut Rebecca : longæva et fidelis, ut Sara : nihil in ea ex actibus suis ille auctor prævaricationis usurpet : nexa fidei, mandatisque permaneat : uni thoro juncta, contactus illicitos fugiat : muniat infirmitatem suam robore disciplinæ : sit verecundia gravis, pudore venerabilis, doctrinis cœlestibus erudita, sit fœcunda in sobole, sit probata, et innocens : et ad beatorum requiem, atque ad cœlestia regna perveniat : et videant ambo filios filiorum suorum, usque in tertiam et quartam generationem : et ad optatam perveniant senectutem. Per eumdem Dominum nostrum. ℟. Amen.

Dichas estas oraciones, el Sacerdote se volverá al medio del altar, y hecha genuflexion, tomará la patena y dirá : Libera nos quæsumus Domine, etc., *y lo demás como se acostumbra : y después que habrá sumido el* Sanguis, *dará la Comunion (si están dispuestos) al esposo y esposa ; y proseguirá la Misa.*

Dicho Benedicamus Domino, *ó si conviene á la Misa de aquel dia,* ite Missa est ; *el Sacerdote, antes de decir,* Placeat tibi sancta Trinitas, *y de dar la bendicion al pueblo, vuelto al esposo y esposa, dirá :*

Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob sit vobiscum : et ipse adimpleat benedictionem suam in vobis : ut videatis filios filiorum vestrorum usque ad tertiam, et quartam generationem ; et postea vitam æternam habeatis sine fine, adjuvante Domino nostro

Jesu-Christo: qui cum Patre, et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Acabada esta Oracion, el Sacerdote les amonestará con palabras graves, como se ordena en el Misal romano, del modo siguiente:

EXHORTATIO AD SPONSUM ET SPONSAM.

El sacramento del Matrimonio, instituido por Cristo nuestro Redentor y Salvador, contiene en sí un vínculo y union perpetua é indisoluble de amor en los casados, por lo que ya no debeis consideraros como á personas diferentes, sino unidas en una misma voluntad.

El marido como á cabeza y superior debe regir y gobernar á la mujer, no con violencia y aspereza, sino con mucha suavidad y amor; y la mujer debe persuadirse que ha de ser súbdita, humilde y obediente al marido ayudándole, en cuanto pueda, á llevar la carga del matrimonio, tanto en el gobierno de la casa, como en la educacion y crianza de los hijos, y cuidado de la salud de todos.

Guardaos inviolablemente el uno al otro la fidelidad y lealtad pura y sincera, que os habeis prometido en el Matrimonio, á imitacion del amor que Cristo Nuestro Señor tuvo á su esposa la Iglesia, y quiso morir por ella.

Enseñad á los hijos la doctrina cristiana y á vivir con amor y temor de Dios.

En los dias de oracion pública ó de procesiones, de ayunos, de festividades grandes de la Iglesia, ó en

que tomaréis la sagrada Comunion, procurad en honra y reverencia de tan santos dias vivir castamente, y obrar en todo tiempo sin ofender á Dios Nuestro Señor; pues que cumpliendo con estas obligaciones tendréis vida feliz en este mundo, y en la eterna bienaventuranza, á donde, plegue á la divina Clemencia, lleguemos todos. Amen.

Después aspergerá á los desposados con agua bendita en forma de cruz, y vuelto al altar, proseguirá la Misa diciendo: Placeat tibi sancta Trinitas, etc., *dará la bendicion al pueblo, y leerá el Evangelio de san Juan:* In principio erat Verbum, etc., *ú otro si la Misa lo exige.*

DE SECUNDIS NUPTIIS.

Cuando la esposa habrá sido bendecida en otras nupcias, no se la dirá la Misa de bendicion pro sponso et sponsa, *sino la Misa del oficio corriente, si será dia de fiesta, doble, ó de domingo; y en otro dia podrá ser votiva segun la devocion de los desposados, en la cual el Sacerdote no dirá cosa alguna de las ceremonias expresadas en la referida Misa* pro sponso et sponsa, *sí solamente acabada la Misa se volverá hácia los desposados, y estando estos arrodillados en la tarima del altar, dirá las siguientes oraciones:*

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus miserere famulis tuis, et dirige eos secundum tuam clementiam in viam salutis æternæ; ut te donante tibi placita cupiant, et tota virtute perficiant.

Respice Domine super hanc conjunctionem tuam, ut sicut misisti sanctum Angelum tuum Raphaelem pacificum Tobiæ, et Saræ filiæ Rachelis: ita digneris Domine mittere benedictionem tuam super hos famulos tuos, ut in tua voluntate permaneant, et in amore tuo vivant, et senescant, et multiplicentur in longitudinem dierum. Per Dominum nostrum Jesum-Christum Filium tuum, etc.

Benedictio Dei Patris, et Fi✠lii, et Spiritus Sancti descendat super vos et maneat semper. ℟. Amen.

Hecha la exhortacion á los casados como está arriba, Exhortatio ad sponsum et sponsam, *pág. 189, les aspergerá agua bendita, y dirá:* Ite in pace.

BENEDICTIO ANNULI SPONSALITII.

(Ex Rituali Romano).

Hæc benedictio juxta Rit. Rom. fit, postquam sponsos in matrimonium conjunxit Sacerdos.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Bene✠dic, Domine, annulum hunc, quem nós in tuo nomine bene ✠ dicimus, ut quæ eum gestaverit, fidelitatem integram suo sponso tenens, in pace et voluntate tua permaneat, atque in mutua charitate sem-

per vivat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde Sacerdos aspergat annulum aqua benedicta in modum Crucis, et sponsus acceptum annulum de manu Sacerdotis imponit in digito annulari sinistræ manus sponsæ, Sacerdote dicente : In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. ℟. Amen. *Mox subjungat :*

℣. Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.

℟. A templo sancto tuo, quod est in Jerusalem.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. *Secreto.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos à malo.

℣. Salvos fac servos tuos.

℟. Deus meus sperantes in te.

℣. Mitte eis Domine auxilium de Sancto.

℟. Et de Sion tuere eos.

℣. Esto eis Domine turris fortitudinis.

℟. A facie inimici.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Respice, quæsumus Domine, super hos famulos tuos, et institutis tuis, quibus propagationem humani generis ordinasti, benignus assiste; ut qui in auctore junguntur, te auxiliante serventur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

BENEDICTIO MULIERIS POST PARTUM [1].

(Ex Rit. Rom. Vicen. Barc. et Col. P. Sannig).

Si qua puerpera post partum juxta piam ac laudabilem consuetudinem ad Ecclesiam venire voluerit, pro incolumitate sua Deo gratias actura, petieritque à Sacerdote benedictionem, ipse superpelliceo et stola alba indutus, cum ministro aspergillum deferente, ad fores Ecclesiæ accedat, ubi illam genuflectentem, et candelam accensam in manu tenentem, aqua benedicta aspergat, deinde dicat :

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum et terram.

Antiph. Hæc accipiet benedictionem à Domino.

[1] Benedictio mulieris post partum à quibus possit et debeat fieri, et an sit de jure mere parochiali ? Lis non parva est inter Doctores. Sacra Rit. Congr. in decretis datis diebus 10 decemb. 1703, et 12 januarii 1704, respondit non esse de jure mere parochiali, sed fieri debere à Parochis. Verum non abs re erit præ oculis habere sequentem doctrinam desumptam ex Biblioth. Ferr. Art. 5, verbo Benedicere. Attamen Sacra Congr. Concilii ad quam potissimum spectat hæc cognitio, in decreto super dubiis propositis in *caus. Aquens. Jurium Parochialium* inter Patres Carmelitas, et Præpositum loci Incissæ ad 10 dubium conceptum his præcisis verbis : X. *An possint in propria Ecclesia mulieres post partum benedicere et ad purificationem admittere? Diebus* 19 *Maii, et* 9 *junii* respondit : *Ad decimum affirmative.* Sic precise habetur in Bullario Clementis XI decreto tertio inter Decreta Sacræ Congreg. Concilii, fol. 342, et 343 impressionis Romanæ. Unde cum talia Decreta supponantur fundata in consuetudine legitime introducta et præscripta, ubi talis reperitur, est observanda, *cap. Cum tanto* II, *de consuetudine, et cap. Cum Dilectus, ac cap. Cum consuetudinis* 9 *eodem titul.* Et posse mulieres post partum accedere ad quamcumque Ecclesiam sibi benevisam pro accipienda benedictione, statuit sacra Congregatio Concilii in Derthonens. 3 decembris 1718 et 7 decembris 1720. Et ita se gerunt mulieres post partum in Civitate Vicensi accedendo ad quamcumque Ecclesiam.

PSALMUS XXIII.

Domini est terra, et plenitudo ejus : * orbis terrarum, et universi qui habitant in eo.

Quia ipse super maria fundavit eum : * et super flumina præparavit eum.

Quis ascendet in montem Domini ? * aut quis stabit in loco sancto ejus ?

Innocens manibus, et mundo corde, qui non accepit in vano animam suam, * nec juravit in dolo proximo suo.

Hic accipiet benedictionem à Domino, * et misericordiam à Deo salutari suo.

Hæc est generatio quærentium eum, * quærentium faciem Dei Jacob.

Attollite portas, principes, vestras, et elevamini portæ æternales : * et introibit Rex gloriæ.

Quis est iste Rex gloriæ ? * Dominus fortis et potens : Dominus potens in prælio.

Attollite portas, principes, vestras, et elevamini portæ æternales : * et introibit Rex gloriæ.

Quis est iste Rex gloriæ ? * Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, etc.

Antiph. Hæc accipiet benedictionem à Domino, et misericordiam à Deo salutari suo : quia hæc est generatio quærentium Dominum.

Deinde porrigens ad manum mulieris extremam partem stolæ, eam introducit in Ecclesiam, dicens :

Ingredere in templum Dei, et adora Filium Beatæ

Mariæ Virginis, qui tibi fœcunditatem tribuit prolis.

Et ipsa ingressa, genuflectit coram altari, et orat, gratias agens Deo de beneficiis sibi collatis; et Sacerdos dicit:

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster, *secreto.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos à malo.

℣. Salvam fac ancillam tuam Domine.

℟. Deus meus sperantem in te.

℣. Mitte ei Domine auxilium de Sancto.

℟. Et de Sion tuere eam.

℣. Nihil proficiat inimicus in ea.

℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, qui per Beatæ Mariæ Virginis partum fidelium parientium dolores in gaudium vertisti; respice propitius super hanc famulam tuam, ad templum sanctum tuum pro gratiarum actione lætam accedentem; et præsta, ut post hanc vitam ejusdem Beatæ Mariæ meritis et intercessione, ad æternæ beatitudinis gaudia cum prole sua supervenire mereatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde illam aspergit iterum aqua benedicta in modum crucis, dicens:

Pax, et benedictio Dei omnipotentis, Pa✠tris, et

Filii, et Spiritus Sancti descendat super te et maneat semper. ℟. Amen.

Postea Sacrum audiat mulier, ut mos est.

ALIA BENEDICTIO MULIERIS POST PARTUM, QUÆ IN USU EST IN DIŒCESI URGELLENSI.

(Ex Rituali Urgellensi).

Omnia ut supra pág. 193, usque ad orationem, Omnipotens sempiterne Deus, *in cujus loco dicuntur sequentes :*

OREMUS.

Deus, qui per Moysen famulum tuum Israeliticæ plebi mandasti, ut mulier, quæ filium pepererit, ab ingressu templi sequestraretur : quæsumus ut hanc famulam tuam N. ab omni inquinamento peccati mundare digneris, quatenus mente, et corpore mundata, sinum matris Sanctæ Ecclesiæ valeat penetrare, et tibi pro suis delictis acceptabile munus offerre. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, Pater Domini nostri Jesu-Christi, Deus Sabaoth, qui tuum Unigenitum, una cum Matre sua, post quadraginta dierum spatium in templo præsentari voluisti, bene✠dicere dignare hanc famulam tuam N. quæ ad templum tuum tibi Domino Deo nostro purificandi gratia præsentatur : et concede propitius, ut sicut ingressa est in hoc templum, cœleste mereatur introire. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Et statim Parochus Missam celebrabit, quam mulier audiet; qua finita dicat:

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.
℣. Sequentia Sancti Evangelii secundum Lucam.
℟. Gloria tibi Domine.

In illo tempore: Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ secundum legem Moysi, tulerunt Jesum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini: quia omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur. Et ut darent hostiam, secundum quod dictum est in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum. Et ecce homo erat in Jerusalem, cui nomen Simeon: et homo iste justus, et timoratus, expectans consolationem Israel, et Spiritus Sanctus erat in eo. Et responsum acceperat à Spiritu Sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini: et venit in spiritu in templum. Et cum inducerent puerum Jesum parentes ejus, ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo, et ipse accepit eum in ulnas suas, et benedixit Deum, et dixit: Nunc dimittis servum tuum Domine: secundum verbum tuum in pace: Quia viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum. Lumen ad revelationem gentium: et gloriam plebis tuæ Israel. ℟. Laus tibi Christe.

Et stola mulieri, et proli osculandam præbeat: et panem, si adest, benedicat hac benedictione:

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum et terram.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Bene ✠ dic, Domine, per invocationem sancti tui nominis panem istum, qui benedixisti quinque panes in deserto: ut ex eo vegetata hæc puerpera, et quicumque ex eo comederint, alacrius quæ tibi sunt placita, ad salutem mentis et corporis exequantur. In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti. ℟. Amen.

BENEDICTIO PRO CONJUGIBUS ARTE DÆMONIS SEU MALEFICIO LIGATIS.

(Ex Rit. Vicen. et Urg.).

Licet maleficia, quibus conjuges in copula carnali vexantur, arti dæmonis attribuantur, fideles tamen sibi persuadere non debent, Deum illa permittere absque justissimis de causis. Sæpe enim Deus propter peccata conjugum permittit, ut malignus spiritus exerceat in eos potestatem suam, ipsos impediendo ab illis actibus, quos naturaliter exequi possent, si tali impedimento ligati non essent. Ideo Parochus hujusmodi conjugibus admonebit sequentia remedia, quibus subveniri potest:

Primum est ut maleficiati confiteantur diligenter peccata sua cum dolore, et satisfactione, cœlestem Patrem rogando cum lacrymis, eleemosynis, orationibus et jejuniis.

Secundum est, oratio Sanctorum, qua sæpe numero virtus inimici comprimitur, et impeditur: utpote celebratio Missarum, ut de sancto Petro ad vincula, de sancto Raphaele, vel de Sancto, vel de Sancta juxta illorum

devotionem : quoniam Deus sæpe permittit tales vexationes fieri ex aliqua causa justa nobis occulta.

Tertium est, ut tale maleficium, sive signum destruatur, si inveniri poterit : sic enim dæmon non fatigabit amplius tales ligatos : nam ex pacto non adest, nisi quamdiu durat hujusmodi signum, vel maleficium.

Et deinde sequentia dicantur super maleficiatos :

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum et terram.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine Jesu-Christe, Dei, et Beatæ Mariæ Virginis Fili, qui in paradiso terrestri matrimonium instituisti in officium, sive conservationem, et multiplicationem humanæ naturæ, et ipsum matrimonium mirabiliter honorasti in adventu tuo, et primordiis miraculorum tuorum : tu per merita, et preces Beatissimæ Virginis Mariæ matris tuæ, et omnium Sanctorum, et Sanctarum tuarum, digneris hos famulos tuos, quos matrimonialiter conjunxisti, bene ✠ dicere, ac plene liberare ab omni ligamento, fascinamento, et maleficio Satanæ, et dare eis fœcunditatem, et gratiam : ut libere possint uti matrimonio suo ad generandum, concipiendum, portandum, pariendum, et nutriendum proles gratas Deo, et hominibus. In nomine Pa ✠ tris, et Filii, et Spiritus Sancti. ℟. Amen.

Deinde dicantur Psalmi sequentes :

PSALMUS CXXVII.

Beati omnes qui timent Dominum : * qui ambulant in viis ejus.

Labores manuum tuarum, quia manducabis : * beatus es, et bene tibi erit.

Uxor tua sicut vitis abundans : * in lateribus domus tuæ.

Filii tui sicut novellæ olivarum : * in circuitu mensæ tuæ.

Ecce sic benedicetur homo * qui timet Dominum.

Benedicat tibi Dominus ex Sion : * et videas bona Jerusalem omnibus diebus vitæ tuæ.

Et videas filios filiorum tuorum : * pacem super Israel.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, etc.

PSALMUS XC.

Qui habitat in adjutorio Altissimi : * in protectione Dei cœli commorabitur.

Dicet Domino : Susceptor meus es tu, et refugium meum : * Deus meus sperabo in eum.

Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium : * et à verbo aspero.

Scapulis suis obumbrabit tibi : * et sub pennis ejus sperabis.

Scuto circumdabit te veritas ejus : * non timebis à timore nocturno.

A sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris : * ab incursu, et dæmonio meridiano.

Cadent à latere tuo mille, et decem millia à dexteris tuis : * ad te autem non appropinquabit.

Verumtamen oculis tuis considerabis : * et retributionem peccatorum videbis.

Quoniam tu es Domine spes mea : * altissimum posuisti refugium tuum.

Non accedet ad te malum : * et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.

Quoniam Angelis suis mandavit de te : * ut custodiant te in omnibus viis tuis.

In manibus portabunt te : * ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.

Super aspidem, et basiliscum ambulabis : * et conculcabis leonem, et draconem.

Quoniam in me speravit, liberabo eum : * protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.

Clamabit ad me, et ego exaudiam eum : * cum ipso sum in tribulatione : eripiam eum, et glorificabo eum.

Longitudine dierum replebo eum : * et ostendam illi salutare meum.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, etc.

PSALMUS III.

Domine, quid multiplicati sunt qui tribulant me? * multi insurgunt adversum me.

Multi dicunt animæ meæ : * Non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem Domine susceptor meus es : * gloria mea, et exaltans caput meum.

Voce mea ad Dominum clamavi : * et exaudivit me de monte sancto suo.

Ego dormivi, et soporatus sum : * et exurrexi, quia Dominus suscepit me.

Non timebo millia populi circumdantis me : * exurge Domine, salvum me fac Deus meus.

Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa : * dentes peccatorum contrivisti.

Domini est salus : * super populum tuum benedictio tua.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, etc.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster, etc.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos à malo.
℣. Salvos fac servos tuos, Domine.
℟. Deus meus sperantes in te.
℣. Mitte eis Domine auxilium de sancto.
℟. Et de Sion tuere eos.
℣. Nihil proficiat inimicus in eis.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere eis.
℣. Esto eis, Domine, turris fortitudinis.
℟. A facie inimici.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine Jesu-Christe, fili Dei vivi, qui uterum Beatæ Virginis Mariæ mirabiliter fœcundasti, ut de Spiritu Sancto conciperet, portaret, pareret, ac nutriret ;

te Deum, et hominem Salvatorem invocamus per clementiam tuam : ut his famulis tuis N. et N. semoto omnis dæmonis impedimento, et maleficio, fœcunditatem donare digneris : ut generare, et concipere, portare, ac nutrire tibi valeant prolem in vitam æternam. In nomine Pa✠tris, et Filii, et Spiritus Sancti. ℟. Amen.

Et statim dicetur Psalmus : Beatus vir, *usque ad versum :* Non sic impii *exclusive, cum Gloria Patri.*

PSALMUS I.

Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit : * et in cathedra pestilentiæ non sedit.

Sed in lege Domini voluntas ejus : * et in lege ejus meditabitur die, ac nocte.

Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum : * quod fructum suum dabit in tempore suo.

Et folium ejus non defluet : * et omnia quæcumque faciet prosperabuntur.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, etc.

Deinde Sacerdos imponat manus super caput viri, et successive mulieris, dicendo :

Jesus Mariæ filius, mundi salus, et Dominus, qui Beatissimæ Virgini Mariæ matri suæ felicem partum tribuit : ipse tibi concedat, ut possis in utero portare, fovere, parere, et bene nutrire prolem Deo, et hominibus gratam. In nomine Pa✠tris, et Filii, et Spiritus Sancti. ℟. Amen.

Et conjugatos aqua benedicta asperget.

BENEDICTIO VEXILLORUM.

(Ex Rit. Vicen. Barcin. et Urg.).

Rationi consonum erit, ut Sacerdos, ante benedictionem vexillorum militarium, ad implorandam divinam clementiam celebret Missam, vel de festo occurrenti, aut votivam de Beata Maria, de Sanctissima Trinitate, aut de Spiritu Sancto. Missa finita, duo cantores intonabunt Antiphonam et Psalmum sequentem :

Antiph. Benedictus, *quæ tantum inchoatur.*

PSALMUS CXLIII.

Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium : * et digitos meos ad bellum.

Misericordia mea, et refúgium meum : * susceptor meus, et liberator meus.

Protector meus, et in ipso speravi : * qui subdit populum meum sub me.

Domine quid est homo, quia innotuisti ei ? * aut filius hominis, quia reputas eum ?

Homo vanitati similis factus est : * dies ejus sicut umbra prætereunt.

Domine inclina cœlos tuos, et descende : * tange montes, et fumigabunt.

Fulgura coruscationem, et dissipabis eos : * emitte sagittas tuas, et conturbabis eos.

Emitte manum tuam de alto, eripe me, et libera me de aquis multis : * de manu filiorum alienorum.

Quorum os locutum est vanitatem : * et dextera eorum, dextera iniquitatis.

Deus canticum novum cantabo tibi : * in psalterio decachordo psallam tibi.

Qui das salutem regibus : * qui redemisti David servum tuum de gladio maligno : eripe me.

Et erue me de manu filiorum alienorum, quorum os locutum est vanitatem : * et dextera eorum, dextera iniquitatis.

Quorum filii, sicut novellæ plantationes : * in juventute sua.

Filiæ eorum compositæ : * circumornatæ ut similitudo templi.

Promptuaria eorum plena : * eructantia ex hoc in illud.

Oves eorum fœtosæ, abundantes in egressibus suis : * boves eorum crassæ.

Non est ruina maceriæ, neque transitus : * neque clamor in plateis eorum.

Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt : * beatus populus, cujus Dominus Deus ejus.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, etc.

Antiph. Benedictus Dominus Deus meus.

Et immediate dicet Sacerdos :

In nomine Pa ✠ tris, et Filii, et Spiritus Sancti.

℟. Amen.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum et terram.

℣. Sit nomen Domini benedictum.

℟. Ex hoc nunc, et usque in sæculum.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, qui cunctorum es triumphantium fortitudo, respice propitius ad preces humilitatis nostræ, et hoc vexillum, quod bellico usui paratum existit, cœlesti bene ✠ dictione sanctifica : ut contra adversarios, et rebelles nationes sit validum, tuoque munimine circumseptum, sitque inimicis Christiani populi terribile ; ac intercedentibus Sanctis tuis solidamentum, et victoriæ certa fiducia. Tu es enim Deus, qui conteris bella, et cœlestis presidii sperantibus in te præstas auxilium. Per Dominum nostrum, etc.

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, majestatem tuam suppliciter exoramus : ut hoc præsens vexillum pro tui nominis gloria, bene ✠ dicere digneris, ipsumque te adjuvante, tuto, prospere, ac feliciter valeat quocumque perduci. Per Dominum nostrum, etc.

OREMUS.

Deus, qui unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu-Christi pretioso Sanguine vivificæ Crucis vexillum sanctificare voluisti ; bene ✠ dic et sanctifica hoc nostrum vexillum, quod in honorem ejusdem sanctæ Crucis deferimus : ut illo mediante, de hostibus obtineamus gloriosum triumphum, et ad portum salutis nos pervenire concedas. Per Dominum nostrum Jesum-Christum Filium tuum, etc.

OREMUS.

Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut intercessio nos sanctæ Dei genitricis, et virginis Mariæ, Sanctorumque omnium, ac cœlestium virtutum, Angelorum, Archangelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Evangelistarum, Martyrum, Confessorum, atque Virginum, et omnium electorum tuorum, ubique lætificet, et adjuvet; ut dum eorum merita recolimus, patrocinia sentiamus. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Et benedictio Dei omnipotentis Pa✠tris, et Filii, et Spiritus Sancti descendat, et maneat super istud vexillum : et Angelus bonus Domini custodiat ipsum, et nos semper. ℟. Amen.

Vexillum aspergatur aqua benedicta.

Quando aderit, cui tradendum est vexillum, genuflectet se coram Sacerdote, à quo illi tradetur, dicendo:

Accipe vexillum cœlesti benedictione sanctificatum, sitque inimicis populi Christiani terribile, et det tibi Dominus gratiam, ut ad ipsius nomen, et honorem cum illo hostium cuneos incolumis, et securus penetres.

Deinde dabit illi pacem, dicendo: Pax tecum.

BENEDICTIO EXERCITUS.

(Ex Rit. Vicen. Barc. et Urg.).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum et terram.

℣. Sit nomen Domini benedictum.

℟. Ex hoc nunc et usque in sæculum.

℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus invictæ virtutis Auctor, et insuperabilis imperii Rex, et semper magnificus triumphator, qui adversæ dominationis vires reprimis, qui inimici rugientis sævitiam superas, qui hostiles nequitias potenter expugnas, te Domine trementes, et supplices oramus, ac petimus : ut hunc exercitum in gloriam et honorem tui nominis congregatum clementer aspicias, benignus illustres, pietatis tuæ more sancti ✠ fices : ut tuo præsidio munitus de reprobis, ac perfidis nationibus obtineat gloriosum triumphum, et ad gaudium perveniat sempiternum. Per Dominum nostrum, Jesum Christum Filium tuum, etc.

Dicta hac oratione, omnibus genuflexis, dicantur preces sequentes :

PSALMUS LXVII.

Exurgat Deus, et dissipentur inimici ejus, * et fugiant, qui oderunt eum à facie ejus.
Sicut deficit fumus, deficiant : * sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei.
Et justi epulentur, et exultent in conspectu Dei : * et delectentur in lætitia.
Mirabilis Deus in Sanctis suis, Deus Israel ipse dabit virtutem, et fortitudinem plebi suæ : * benedictus Deus.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, etc.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster, etc.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos à malo.

℣. Effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt.

℟. Et in regna, quæ nomen tuum non invocaverunt.

℣. Disperde illos in virtute tua.

℟. Et depone eos protector noster, Domine.

℣. Muro tuo inexpugnabili circumcinge nos, Domine.

℟. Et armis tuæ pietatis protege nos, ac libera nos semper, Domine Deus noster.

℣. Ora pro nobis sancta Dei genitrix.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, in cujus manu sunt omnium potestates, et omnium jura regnorum, respice propitius in auxilium Christianorum; ut gentes quæ in sua feritate confidunt, dexteræ tuæ potentia comprimantur. Per Dominum, etc.

OREMUS.

Deus Auctor pacis, et amator, quem nosse vivere,

cui servire regnare est : protege ab omnibus impugnationibus supplices tuos, ut qui in defensione tua confidimus, nullius adversitatis arma timeamus. Per Christum, etc.

OREMUS.

Adesto supplicationibus nostris, Domine, et viam famulorum tuorum in salutis tuæ prosperitate dispone : ut inter omnes hujus vitæ varietates peregrinantes tuo semper protegamur auxilio. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

OREMUS.

Ecclesiæ tuæ, quæsumus Domine, preces placatus admitte : ut destructis adversitatibus, et erroribus universis, secura tibi serviat libertate. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

OREMUS.

Deus largitor pacis, et amator charitatis, da servis tuis veram cum tua concordia charitatem : ut ab omnibus, quæ nos pulsant tentationibus liberemur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

OREMUS.

Hostium nostrorum, quæsumus Domine, elide superbiam : et eorum audaciam dexteræ tuæ virtute prosterne, et in adjutorium nostrum semper intende. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

OREMUS.

Ad te, Domine, nos clamantes exaudi, et aeris serenitatem, et congruitatem nobis tribue supplicationibus : ut qui pro peccatis nostris affligimur, misericordia tua præveniente clementiam sentiamus. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

OREMUS.

Exercitus tuus, Domine, capiat sacræ bene✠dictionis augmentum : et copiosis beneficiorum tuorum sublevetur auxiliis, qui tantis intercessionum deprecationibus adjuvatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

OREMUS.

Protector noster aspice Deus, et propugnatores tuos à paganorum defende periculis : ut ab omnibus perturbationibus semoti liberis tibi mentibus serviamus. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

OREMUS.

Visita, quæsumus Domine, exercitum istum, et omnes insidias inimici ab eo longe repelle, et Angeli tui sancti habitantes in eo ipsum in pace custodiant, et bene✠dictio sit super eum semper. ℟. Amen.

Et benedictio Dei omnipotentis Pa✠tris, et Filii, et Spiritus Sancti, descendat, et maneat super ipsum, et Angelus Domini bonus custodiat eum semper. ℟. Amen.

Et fiet commemoratio Sancti Michaelis Archangeli.

Antiph. Sancte Michael Archangele defende nos in prælio : ut non pereamus in tremendo judicio.

℣. O Princeps noster Sancte Michael.
℟. Intercede pro nobis ad Dominum Deum nostrum.

OREMUS.

Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, Deus, qui Moysi famulo tuo in monte Sinai apparuisti, et filios Israel de terra Ægypti per mare Rubrum, et per desertum eduxisti deputans eis Angelum pietatis tuæ, beatum Michaelem Archangelum, qui custodiret eos die, ac nocte, quæsumus, Domine : ut mittere digneris eumdem Angelum, qui similiter custodiat hunc exercitum tuum, et perducat eum ad portum salutis æternæ. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Aspergatur exercitus aqua benedicta.

BENEDICTIO ARMORUM.

(Ex Pontificali Romano).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Benedictio Dei omnipotentis Pa✠tris, et Fi✠lii,

et Spiritus ✠ Sancti, descendat super hæc arma, et super induentem ea, quibus ad tuendam justitiam induatur. Rogamus te, Domine Deus, ut illum protegas et defendas : Qui vivis et regnas Deus per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

OREMUS.

Deus omnipotens, in cujus manu victoria plena consistit, quique etiam David ad expugnandum rebellem Goliam vires mirabiles tribuisti, clementiam tuam humili prece deposcimus : ut hæc arma almifica pietate bene ✠ dicere digneris ; et concede famulo tuo N. eadem gestare cupienti, ut ad munimen ac defensionem sanctæ matris Ecclesiæ, pupillorum, et viduarum, contra invisibilium et visibilium hostium impugnationem ipsis libere et victoriose utatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde aspergit ea aqua benedicta.

BENEDICTIO ENSIS.

(Ex Pontif. Rom. et Col. P. Sannig).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Bene ✠ dicere digneris, quæsumus Domine, ensem

istum : et hunc famulum tuum, qui eum, te inspirante, suscipere desiderat, pietatis tuæ custodia munias, et illæsum custodias. Per Christum Dominum nostrum.
℟. Amen.

Deinde aspergat ensem aqua benedicta, et accipienti genuflexo tradat eum, dicens :

Accipe ensem istum, in nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus ✠Sancti, et utaris eo ad defensionem tuam ac sanctæ Dei Ecclesiæ, et ad confusionem inimicorum Crucis Christi ac fidei Christianæ : et quantum humana fragilitas permiserit, cum eo neminem lædas : Quod ipse tibi præstare dignetur, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus in sæcula sæculorum.
℟. Amen.

BENEDICTIO ET TRADITIO VEXILLI BELLICI.

(Ex Pontif. Rom. et Col. P. Sannig).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudí orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, qui es cunctorum benedictio, et triumphantium fortitudo, respice propitius ad preces humilitatis nostræ : et hoc vexillum quod bellico usui præparatum est, cœlesti bene✠dictione sanctifica ; ut contra adversarias et rebelles nationes sit

validum, tuoque munimine circumseptum, sitque inimicis Christiani populi terribile, atque in te confidentibus solidamentum, et certa fiducia victoriæ; tu enim es Deus, qui conteris bella, et cœlestis præsidii sperantibus in te præstas auxilium. Per unicum Filium tuum, Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Aspergatur aqua benedicta, et cui traditur dicatur:

Accipe vexillum cœlesti benedictione sanctificatum: sitque inimicis populi Christiani terribile, et det tibi Dominus gratiam, ut ad ipsius nomen et honorem cum illo hostium cuneos potenter penetres, incolumis et securus.

Deinde dat ei osculum pacis dicens: Pax tibi.

Qui accepto vexillo osculatur manus Sacerdotis, surgit, et discedit.

ANNOTATIO.

Sequentes benedictiones vide in Pontificali Romano. Benedictio Abbatis et Abbatissæ; Benedictio et Consecratio Virginum; Benedictio et Coronatio Regis, Reginæ, novi Militis, et Militis regularis.

TITULUS VII.

DE BENEDICTIONIBUS ECCLESIÆ, ORATORII, ET CŒMETERII, DE IPSORUM RECONCILIATIONE, ET DE BENEDICTIONE SIGNI VEL CAMPANÆ.

Benedictiones in hoc septimo titulo contentæ non possunt fieri nisi à Sacerdote facultatem habente ab Episcopo.

BENEDICTIO, SEU RITUS BENEDICENDI, ET IMPONENDI PRIMARIUM LAPIDEM PRO ECCLESIA ÆDIFICANDA, SERVANDUS Á SACERDOTE FACULTATEM HABENTE AB EPISCOPO.

(Ex Rit. Rom.).

Ecclesiam ex Episcopi auctoritate tantum, juxta sacrorum Canonum decreta ædificari fas est. Si vero Sacerdos ejus ædificationis primarium lapidem benedicendi potestatem habens, ejusmodi functionem peragat, hunc ritum servabit.

Pridie quam primarius lapis benedicatur, ligneam Crucem in loco, ubi debet esse Altare, figat ipse, vel alius Sacerdos. Sequenti vero die lapis in Ecclesiæ fundatione ponendus, qui debet esse quadratus, et angularis, benedicatur hoc modo.

Sacerdos indutus amictu, alba, cingulo, stola, et pluviali albi coloris, adhibitis aliquot Sacerdotibus et Clericis, salem et aquam benedicit, nisi prius in promptu habeat jam benedictam ordinaria benedictione, ut supra

pag. 21, et interim, dum cantatur à Clericis Antiphona cum Psalmo sequenti, aspergit locum, ubi Crux posita est, cum aqua benedicta.

Antiph. Signum salutis pone, Domine Jesu-Christe, in loco isto : et non permittas introire angelum percutientem.

PSALMUS LXXXIII.

Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum : * concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini.

Cor meum, et caro mea, * exultaverunt in Deum vivum.

Etenim passer invenit sibi domum : * et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altaria tua, Domine virtutum : * Rex meus, et Deus meus.

Beati, qui habitant in domo tua, Domine : * in sæcula sæculorum laudabunt te.

Beatus vir, cujus est auxilium abs te : * ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum, in loco quem posuit.

Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem : * videbitur Deus deorum in Sion.

Domine, Deus virtutum exaudi orationem meam : * auribus percipe, Deus Jacob.

Protector noster aspice, Deus : * et respice in faciem Christi tui.

Quia melior est dies una in atriis tuis, * super millia.

Elegi abjectus esse in domo Dei mei, * magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.

Quia misericordiam, et veritatem diligit Deus : * gratiam et gloriam dabit Dominus.

Non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia : * Domine virtutum, beatus homo qui sperat in te.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, etc.

Antiph. Signum salutis pone, Domine Jesu-Christe, in loco isto : et non permittas introire angelum percutientem.

Finito Psalmo, Sacerdos versus ad locum per eum aspersum dicit :

OREMUS.

Domine Deus, qui licet cœlo et terra non capiaris, domum tuam dignaris habere in terris, ubi nomen tuum jugiter invocetur : locum hunc, quæsumus, Beatæ Mariæ semper Virginis, et beati N. *(nominando Sanctum vel Sanctam, in cujus honorem ac nomen fundabitur Ecclesia)*, omniumque Sanctorum intercedentibus meritis, sereno pietatis tuæ intuitu visita, et per infusionem gratiæ tuæ, ab omni inquinamento purifica, purificatumque conserva ; et qui dilecti tui David devotionem in filii sui Salomonis opere complevisti, in hoc opere desideria nostra perficere digneris, effugiantque omnes hinc nequitiæ spirituales. Per Dominum nostrum Jesum-Christum Filium tuum, etc.

Postea stans benedicit primarium lapidem, dicens :

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum et terram.

℣. Sit nomen Domini benedictum.

℟. Ex hoc nunc et usque in sæculum.

℣. Lapidem quem reprobaverunt ædificantes.

℟. Hic factus est in caput anguli.

℣. Tu es Petrus.

℟. Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.

℣. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto.

℟. Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

OREMUS.

Domine Jesu-Christe Fili Dei vivi, qui es verus omnipotens Deus, splendor, et imago æterni Patris, et vita æterna : qui es lapis angularis de monte sine manibus abscissus, et immutabile fundamentum : hunc lapidem collocandum in tuo nomine confirma ; et tu, qui es principium, et finis, in quo principio Deus Pater ab initio cuncta creavit, sis, quæsumus, principium, et incrementum, et consummatio ipsius operis, quod debet ad laudem et gloriam tui nominis inchoari. Qui cum Patre et Spiritu Sancto vivis, et regnas Deus per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Tunc aspergit lapidem ipsum aqua benedicta, et accepto cultro, per singulas partes sculpit in eum signum Crucis, dicens :

In nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus✠Sancti. ℟. Amen.

Quo facto dicit :

OREMUS.

Bene✠dic, Domine, creaturam istam lapidis, et

præsta per invocationem sancti tui Nominis : ut quicumque ad hanc Ecclesiam ædificandam pura mente auxilium dederint, corporis sanitatem, et animæ medelam percipiant. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Postea dicantur Litaniæ ordinariæ sine Orationibus in fine positis, ut supra pag. 40 : quibus dictis, parato cæmento, et cæmentario assistente, Sacerdos inchoat, Clericis prosequentibus, Antiphonam.

Antiph. Mane surgens Jacob, erigebat lapidem in titulum : fundens oleum desuper, votum vovit Domino : Vere locus iste sanctus est, et ego nesciebam.

PSALMUS CXXVI.

Nisi Dominus ædificaverit domum : * in vanum laboraverunt qui ædificant eam.

Nisi Dominus custodierit civitatem : * frustra vigilat qui custodit eam.

Vanum est vobis ante lucem surgere : * surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris.

Cum dederit dilectis suis somnum : * ecce hæreditas Domini, filii ; merces fructus ventris.

Sicut sagittæ in manu potentis : * ita filii excussorum.

Beatus vir, qui implevit desiderium suum ex ipsis : * non confundetur, cum loquetur inimicis suis in porta.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, etc.

Quo dicto, Sacerdos stans tangit, et ponit ipsum primarium lapidem in fundamento dicens :

In fide Jesu-Christi collocamus Lapidem istum primarium in hoc fundamento, in nomine Pa✠tris, et

Fi✠lii, et Spiritus✠Sancti, ut vigeat vera fides hic, et timor Dei, fraternaque dilectio; et sit hic locus destinatus orationi, et ad invocandum, et laudandum nomen ejusdem Domini nostri Jesu-Christi, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Interim cæmentarius locat ipsum lapidem cum cæmento : postea Sacerdos spargit super ipsum lapidem aquam benedictam, dicens :

Asperges me, Domine, hyssopo, et mundabor : lavabis me, et super nivem dealbabor.

PSALMUS L.

Miserere mei Deus, * secundum magnam misericordiam tuam.

Et secundum multitudinem miserationum tuarum : * dele iniquitatem meam.

Amplius lava me ab iniquitate mea, * et à peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco : * et peccatum meum contra me est semper.

Tibi soli peccavi, et malum coram te feci : * ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas, cum judicaris.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, * et in peccatis concepit me mater mea.

Ecce enim veritatem dilexisti : * incerta, et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.

Asperges me hyssopo et mundabor : * lavabis me et super nivem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium et lætitiam, * et exultabunt ossa humiliata.

Averte faciem tuam à peccatis meis, * et omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus : * et spiritum rectum innova in visceribus meis.

Ne projicias me à facie tua : * et spiritum sanctum tuum ne auferas à me.

Redde mihi lætitiam salutaris tui : * et spiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias tuas, * et impii ad te convertentur.

Libera me de sanguinibus, Deus, Deus salutis meæ : * et exultabit lingua mea justitiam tuam.

Domine, labia mea aperies : * et os meum annuntiabit laudem tuam.

Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique : * holocaustis non delectaberis.

Sacrificium Deo spiritus contribulatus : * cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies.

Benigne fac, Domine, in bona voluntate tua, Sion : * ut ædificentur muri Jerusalem.

Tunc acceptabis sacrificium justitiæ, oblationes, et holocausta : * tunc imponent super altare tuum vitulos.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, etc.

Quo dicto, Sacerdos spargit aquam benedictam per omnia fundamenta, si sunt aperta : si vero non sunt aperta, circuit aspergendo fundamenta Ecclesiæ designata. Et incipiens aspergere, inchoat Antiphonam, Clero prosequente.

Antiph. O quam metuendus est locus iste! Vere non est hic aliud, nisi domus Dei, et porta cœli.

PSALMUS LXXXVI.

Fundamenta ejus in montibus sanctis : * diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob.
Gloriosa dicta sunt de te, * civitas Dei.
Memor ero Rahab et Babylonis, * scientium me.
Ecce alienigenæ, et Tyrus, et populus Æthiopum, * hi fuerunt illic.
Numquid Sion dicet: Homo, et homo natus est in ea: * et ipse fundavit eam Altissimus?
Dominus narrabit in scripturis populorum, et principum; * horum, qui fuerunt in ea.
Sicut lætantium omnium * habitatio est in te.
Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, etc.

Antiph. O quam metuendus est locus iste! Vere non est hic aliud, nisi domus Dei, et porta cœli.

Interim aspergendo procedit usque ad fundamenta aperta, seu designata, et repetita Antiphona, stans dicit: Oremus.

Ministri. Flectamus genua. ℟. Levate.

Omnipotens, et misericors Deus, qui Sacerdotibus tuis tantam præ ceteris gratiam contulisti, ut quidquid in tuo nomine, digne, perfecteque ab eis agitur, à te fieri credatur : quæsumus immensam clementiam tuam, ut quidquid modo visitaturi sumus, visites : et quidquid benedicturi sumus, bene ✠ dicas : sitque ad nostræ humilitatis introitum, Sanctorum tuorum meritis,

fuga dæmonum, Angeli pacis ingressus. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deus, qui ex omnium cohabitatione Sanctorum æternum Majestati tuæ condis habitaculum : da ædificationi tuæ incrementa cœlestia : ut quod te jubente fundatur, te largiente perficiatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

BENEDICTIO SEU RITUS BENEDICENDI NOVAM ECCLESIAM, SEU ORATORIUM PUBLICUM, UT IBI SS. MISSÆ SACRIFICIUM CELEBRARI POSSIT.

(Ex Rit. Rom.).

Oratoria privata non benedicuntur hac benedictione; sed solum benedictione loci, ut supra, pag. 58 : quia non sunt perpetuo destinata ad res sacras, et possunt juxta voluntatem domini ad res non sacras seu profanas assignari.

Sacerdos novam Ecclesiam de licentia Episcopi benedicturus, ut in ea divinum Sacrificium Missæ rite celebretur stola ac pluviali albi coloris indutus aliquot Sacerdotibus et Clericis adhibitis, prælata Cruce media inter duos Clericos deferentes cereos accensos, mane procedit ad primariam Ecclesiæ, vel Oratorii januam : ubi stans capite aperto, conversus ad eam dicit absolute orationem :

Actiones nostras, quæsumus Domine, aspirando præveni, et adjuvando prosequere : ut cuncta nostra oratio et operatio à te semper incipiat, et per te cœpta finiatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde inchoat Antiphonam : Asperges me, etc., *et*

Clerus alternatim dicit Psalmum, Miserere, etc., *ut supra pag. 221, in fine* Gloria Patri.

Interim circumdant exterius Ecclesiam (quæ intus debet esse vacua et nuda, et pariter Altaria nuda, excluso populo, donec absoluta sit benedictio), et Sacerdos accepto aspergillo ex herba hyssopi, ad ejus dexteram se convertens, parietes Ecclesiæ in superiori parte, et in fundamentis, cum aqua benedicta aspergit, dicens:

Asperges me, Domine, hyssopo, et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor.

Reversi ad locum, unde Processio initium habuit, repetita Antiphona à Clero, Sacerdos stans ut prius versus Ecclesiam, dicit: Oremus.

Ministri: Flectamus genua. ℟. Levate.

Oratio.

Domine Deus, qui licet cœlo et terra non capiaris, domum tamen dignaris habere in terris, ubi nomen tuum jugiter invocetur: locum hunc, quæsumus, Beatæ Mariæ semper Virginis, et Beati N., omniumque Sanctorum intercedentibus meritis, sereno pietatis tuæ intuitu visita, et per infusionem gratiæ tuæ ab omni inquinamento purifica, purificatumque conserva; et qui dilecti tui David devotionem in filii sui Salomonis opere complevisti, in hoc opere desideria nostra perficere digneris, effugiantque omnes hinc nequitiæ spirituales. Per Dominum nostrum Jesum-Christum Filium tuum: qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Qua finita Oratione, omnes bini in Ecclesiam intran-

tes, ad Altare majus procedunt, Litanias decantantes ut supra pag. 40.

Ubi dictum fuerit: Ut omnibus fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris. Te rogamus, audi nos, *surgit Sacerdos, et intelligibili voce dicit:* Ut hanc Ecclesiam, et Altare ad honorem tuum, et nomen Sancti tui N., purgare, et bene ✠ dicere digneris. Te rogamus, audi nos.

Cum dicit, benedicere, *manu dextera benedicit Ecclesiam, et Altare: deinde, ut prius, genuflectit donec perficiantur Litaniæ, et Cantores prosequuntur:*

Ut nos exaudire digneris, te rogamus, audi nos.
Fili Dei, te rogamus, audi nos.
Agnus Dei, qui tollis, etc.

Dicto ultimo, Kyrie eleison, *Sacerdos stans, dicit:* Oremus.

Ministri. Flectamus genua. ℟. Levate.

Præveniat nos, quæsumus Domine, misericordia tua: et intercedentibus omnibus Sanctis tuis, voces nostras clementia tuæ propitiationis anticipet. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Tum distans ab Altari congruenti spatio genuflexus, et se signans, dicit: Deus in adjutorium meum intende, *et statim surgit, Clero respondente:* Domine, ad adjuvandum me festina: *ipse vero stans dicit,* Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto. *Chorus respondet,* Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

Postea Sacerdos dicit: Oremus.

Ministri. Flectamus genua. ℟. Levate.

Oratio.

Omnipotens, et misericors Deus, qui Sacerdotibus tuis tantam præ ceteris gratiam contulisti, ut quidquid in tuo nomine digne, perfecteque ab eis agitur, à te fieri credatur : quæsumus immensam clementiam tuam, ut quidquid modo visitaturi sumus, visites; et quidquid benedicturi sumus, bene✠dicas : sitque ad nostræ humilitatis introitum, Sanctorum tuorum meritis, fuga dæmonum, Angeli pacis ingressus. Per Dominum, etc.

His dictis, inchoat Antiphonam, Benedic, Domine, domum istam nomini tuo ædificatam, *cum tribus Psalmis sequentibus, videlicet :*

PSALMUS CXIX.

Ad Dominum, cum tribularer, clamavi : * et exaudivit me.

Domine, libera animam meam à labiis iniquis : * et à lingua dolosa.

Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi, * ad linguam dolosam?

Sagittæ potentis acutæ, * cum carbonibus desolatoriis.

Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est! Habitavi cum habitantibus Cedar : * multum incola fuit anima mea.

Cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus : * cum loquebar illis impugnabant me gratis.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, etc.

PSALMUS CXX.

Levavi oculos meos in montes, * unde veniet auxilium mihi.

Auxilium meum à Domino, * qui fecit cœlum, et terram.

Non det in commotionem pedem tuum : * neque dormitet, qui custodit te.

Ecce non dormitabit neque dormiet, * qui custodit Israel.

Dominus custodit te, Dominus protectio tua, * super manum dexteram tuam.

Per diem sol non uret te; * neque luna per noctem.

Dominus custodit te ab omni malo: * custodiat animam tuam Dominus.

Dominus custodiat introitum tuum, et exitum tuum : * ex hoc nunc et usque in sæculum.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, etc.

PSALMUS CXXI.

Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi : * in domum Domini ibimus.

Stantes erant pedes nostri, * in atriis tuis, Jerusalem.

Jerusalem, quæ ædificatur ut civitas: * cujus participatio ejus in idipsum.

Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini : * testimonium Israel ad confitendum nomini Domini.

Quia illic sederunt sedes in judicio: * sedes super domum David.

Rogate, quæ ad pacem sunt Jerusalem: * et abundantia diligentibus te.

Fiat pax in virtute tua: * et abundantia in turribus tuis.

Propter fratres meos, et proximos meos, * loquebar pacem de te.

Propter domum Domini Dei nostri: * quæsivi bona tibi.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, etc.

Antiph. Benedic, Domine, domum istam nomini tuo ædificatam.

Interim aspergit interius parietes in parte superiori et inferiori, inchoans aspersionem à parte Evangelii, dicens: Asperges me, etc., *tum ad Altare reversus, dicit:* Oremus.

Ministri. Flectamus genua. ℟. Levate.

Deus, qui loca nomini tuo dicanda sanctificas, effunde super hanc orationis domum gratiam tuam: ut ab omnibus hic nomen tuum invocantibus auxilium tuæ misericordiæ sentiatur. Per Dominum, etc.

℟. Amen.

His peractis, dicitur Missa de tempore occurrenti, vel de Sancto.

Ecclesia vero, quamvis à simplici Sacerdote, ut supra, sit benedicta, ab Episcopo tamen consecranda est.

RITUS RECONCILIANDI ECCLESIAM VIOLATAM, SI NONDUM ERAT AB EPISCOPO CONSECRATA.

(Ex Rit. Rom.).

Ecclesiæ violatæ reconciliatio per Sacerdotem ab Episcopo delegatum fiat hoc modo: Altare Ecclesiæ omnino nudetur, provideaturque, ut Ecclesia possit libere circumiri tam exterius, quam interius, si fieri potest. Paretur vasculum cum aqua benedicta, et aspergillum de herba hyssopo factum. Sacerdos indutus amictu, alba, cingulo, stola, et pluviali albo, adhibitis aliquot Sacerdotibus et Clericis, procedit ad primariam Ecclesiæ portam: ubi stans, Antiphonam incipit, dicens, Clero prosequente: Asperges me, Domine, hyssopo, et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor.

Psalmus. Miserere, etc., *totus cum* Gloria Patri, *ut supra, pag. 221. Quo finito, Antiphona repetitur. Interim dum Antiphona et Psalmus dicuntur, Sacerdos cum aqua benedicta aspergit in circuitu extrinsecus Ecclesiam et Cœmeterium, simul aspergendo alternatim ad parietes Ecclesiæ, ac ad terram Cœmeterii, præsertim ad loca contaminata. Quo facto, reddit ad locum, ubi incepit aspergere, et stans dicit:*

OREMUS.

Omnipotens, et misericors Deus, qui Sacerdotibus tuis tantam præ ceteris gratiam contulisti, ut quidquid in tuo nomine digne, perfecteque ab eis agitur, à te fieri credatur: quæsumus immensam clementiam tuam, ut quod modo visitaturi sumus, visites, et quidquid

benedicturi sumus, bene✠dicas: sitque ad nostræ humilitatis introitum, Sanctorum tuorum meritis, fuga dæmonum, Angeli pacis ingressus. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde Sacerdos incipit Litanias, ut supra pag. 40, et ingreditur Ecclesiam cum Clero, cantando eas: acceditque ante Altare majus, coram quo genuflectit: cumque dictum fuerit: Ut omnibus fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris. ℟. Te rogamus audi nos, *Sacerdos surgit, et clara voce dicit:* Ut hanc Ecclesiam, et Altare hoc, ac Cœmeterium purgare, et recon✠ciliare digneris, te rogamus audi nos.

Quibus dictis, rursus genuflectit, et Litaniæ perficiuntur. Quibus finitis, Sacerdos versus ad dictum Altare dicit: Oremus.

Et Ministri. Flectamus genua. ℟. Levate.

Præveniat nos, quæsumus Domine, misericordia tua: et intercedentibus omnibus Sanctis tuis, voces nostras clementia tuæ propitiationis anticipet. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde Sacerdos genuflectit ante Altare, et se signo Crucis muniens, clara voce dicit: Deus, in adjutorium meum intende, *tum surgit, et Chorus, seu adstantes Clerici respondent:* Domine, ad adjuvandum me festina; *et Sacerdos stans, dicit:* Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto. ℟. Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

Quo dicto, Sacerdos inchoat, Clero prosequente, Antiphonam: Exurgat Deus, et dissipentur inimici ejus, et fugiant, qui oderunt eum à facie ejus.

PSALMUS LXVII.

In Ecclesiis benedicite Deo Domino, * de fontibus Israel.

Repetitur Antiphona: Exurgat Deus, etc.

Ibi Benjamin adolescentulus, * in mentis excessu.

Repetitur Antiphona: Exurgat Deus, etc.

Principes Juda, duces eorum: * Principes Zabulon, Principes Nephthali.

Repetitur Antiphona: Exurgat Deus, etc.

Manda, Deus, virtuti tuæ: * confirma hoc, Deus quod operatus es in nobis.

Repetitur Antiphona: Exurgat Deus, etc.

A templo sancto tuo in Jerusalem, * tibi offerent reges munera.

Repetitur Antiphona: Exurgat Deus, etc.

Increpa feras arundinis, congregatio taurorum in vaccis populorum: * ut excludant eos, qui probati sunt argento.

Repetitur Antiphona: Exurgat Deus, etc.

Dissipa Gentes, quæ bella volunt: veniant legati ex Ægypto: * Æthiopia prævéniet manus ejus Deo.

Repetitur Antiphona: Exurgat Deus, etc.

Regna terræ, cantate Deo: * psallite Domino.

Repetitur Antiphona: Exurgat Deus, etc.

Psallite Deo, qui ascendit super cœlum cœli * ad Orientem.

Repetitur Antiphona: Exurgat Deus, etc.

Ecce dabit voci suæ vocem virtutis, date gloriam Deo

super Israel: * magnificentia ejus, et virtus ejus in nubibus.

Repetitur Antiphona: Exurgat Deus, etc.

Mirabilis Deus in Sanctis suis, Deus Israel ipse dabit virtutem et fortitudinem plebi suæ: * benedictus Deus.

Et non dicitur Gloria Patri, *sed Antiphona repetitur. Interim dum Antiphona et Psalmi prædicti dicuntur, Sacerdos circuit Ecclesiam intrinsecus aspergendo: aspergit etiam specialiter loca contaminata. Quo facto stans in Presbyterio versus ad Altare, dicit:*

Deus, qui in omni loco dominationis tuæ clemens et benignus purificator assistis: exaudi nos, quæsumus, et concede, ut in posterum inviolabilis hujus loci permaneat benedictio: et tui muneris beneficia, universitas fidelium, quæ supplicat, percipere mereatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde dicitur Missa de die occurrenti.

NOTA EX EODEM RIT. ROM. DESUMPTA.

Simplex Sacerdos tantum ex privilegio Sedis Apostolicæ potest Ecclesiam ab Episcopo consecratam reconciliare. Et tunc utatur ritu in Pontificali præscripto; procedatque indutus amictu, alba, cingulo, stola, et pluviali albi coloris, adhibitis secum aliis Presbyteris et Clericis superpelliceis indutis cum aqua ab Episcopo ad hunc usum rite benedicta. Ideoque ponitur hic sequens ritus ex Pontificali desumptus.

RECONCILIATIO ECCLESIÆ ET CŒMETERII.

(Ex Rit. Rom.).

Ecclesiæ et Cœmeterii reconciliatio omni die fieri potest.

In primis in mane diei qua reconciliatio fieri debet, paratur faldistorium super tapetem in medio Cœmeterii, et altare Ecclesiæ omnino nudatur. Parantur etiam duo vasa cum aqua, unum in Cœmeterio, et aliud in Ecclesia in Presbyterio, et ibidem unum vas vini; vas cum sale; vas cum cineribus; et aspersorium de herba hyssopi factum. Providetur etiam quod Ecclesia possit libere circuiri. Si vero Ecclesia tantum sit reconcilianda, paratur faldistorium super tapetem ante portam principalem Ecclesiæ, et ibidem vas cum aqua, et aspersorium de herba hyssopi factum, ac alia in Ecclesia quæ supra sunt ordinata.

Quibus omnibus sic paratis, Pontifex in sacristia, vel alio condecenti loco, ornatus amictu, alba, cingulo, stola, pluviali albo, mitra simplici, et baculo pastorali, procedit ad Cœmeterium, si est reconciliandum, alias ante portam principalem Ecclesiæ; ubi stans juxta faldistorium sibi paratum, benedicit aquam ibidem in vase positam simpliciter cum sale, prout habetur supra in Benedictione aquæ, pag. 21. Aqua igitur benedicta, Pontifex sine mitra inchoat, schola prosequente, Antiphonam ton. 7.

Asperges me, Domine, hyssopo, et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor.

Psalmus. Miserere mei Deus, * secundum magnam misericordiam tuam, etc., *ut supra pag. 221. Totus dicitur cum* Gloria Patri, et Sicut erat.

Quo finito, Antiphona repetitur. Interim dum Antiphona et Psalmus dicuntur, Pontifex accepta mitra, aspergit cum ipsa aqua in circuitu de foris Ecclesiam et Cœmeterium simul, aspergendo aquam alternatim nunc ad murum Ecclesiæ, nunc ad terram Cœmeterii, et specialiter ad loca contaminata. Quo facto, rediens ad locum ubi aquam benedixit, stans deposita mitra, dicit:

OREMUS.

Omnipotens et misericors Deus, qui Sacerdotibus tuis tantam præ ceteris gratiam contulisti, ut quidquid in tuo nomine digne perfecteque ab eis agitur, à te fieri credatur: quæsumus immensam clementiam tuam, ut quod modo visitaturi sumus, visites; et quidquid benedicturi sumus, bene✠dicas: sitque ad nostræ humilitatis introitum, Sanctorum tuorum meritis, fuga dæmonum, Angeli pacis ingressus. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde iterum dicit:

OREMUS.

Et Ministri: Flectamus genua. ℟. Levate.

Aufer à nobis, quæsumus Domine, cunctas iniquitates nostras: ut ad loca tuo sancto nomini purificanda puris mereamur mentibus introire. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Et si Ecclesia reconciliatur sine Cœmeterio omittitur

sequens Oratio. Si vero Ecclesia simul cum Cœmeterio reconciliatur, Pontifex, finita præcedente, mox dicit:

OREMUS.

Et Ministri: Flectamus genua. ℟. Levate.

Domine pie, qui agrum figuli pretio Sanguinis tui in sepulturam peregrinorum comparari voluisti, quæsumus, dignanter reminiscere clementissimi hujus mysteriii tui. Tu es enim, Domine, figulus noster, tu quietis noster ager, tu agri hujus es pretium, tu dedisti etiam et suscepisti, tu de pretio et in pretio tui vivifici Sanguinis nos requiescere donasti: tu ergo, Domine, qui es offensionis nostræ clementissimus indultor, expectantissimus judicator, judicii tui superabundantissimus miserator, judicium tuæ justæ severitatis abscondens, post miserationem tuæ piæ redemptionis adesto exauditor et effector nostræ reconciliationis; hocque Cœmeterium, mausoleum peregrinorum tuorum cœlestis patriæ incolatum expectantium benignus purifica et reconcilia; et hic tumulatorum et tumulandorum corpora, de potentia et pietate tuæ resurrectionis ad gloriam incorruptionis non damnans, sed glorificans resuscita: Qui venturus es judicare vivos, et mortuos, et sæculum per ignem. ℟. Amen.

Postea cantor incipit Litanias, ut supra pag. 40, et Pontifex accepta mitra ingreditur Ecclesiam cum Clero, cantando eas; acceditque ante altare majus, coram quo paratur ei faldistorium, super quod Pontifex cum mitra procumbit. Cumque dictum fuerit: Ut omnibus fidelibus, etc. ℟. Te rogamus audi nos

Pontifex surgit de accubitu, et baculum pastoralem in sinistra tenens, producit signum crucis super Altare, Ecclesiam, et Cœmeterium, dicens:

Ut hanc Ecclesiam, et altare hoc, ac Cœmeterium purgare, et recon✠ciliare digneris. ℟. Te rogamus audi nos.

Secundo dicit: Ut hanc Ecclesiam, et altare hoc, ac Cœmeterium purgare, recon✠ciliare, et sanc–ti✠ficare digneris. ℟. Te rogamus audi nos.

Tertio dicit: Ut hanc Ecclesiam, et altare hoc, ac Cœmeterium purgare, recon✠ciliare, sancti✠ficare, et conse✠crare digneris. ℟. Te rogamus audi nos.

Si autem Cœmeterium non sit pollutum, et sic neque reconciliandum, non fit de cœmeterio mentio. Quibus dictis, iterum super faldistorio accumbit, cantore Litanias resumente et perficiente. Quibus finitis, Pontifex surgit, et deposita mitra, stans versus ad dictum altare, dicit:

OREMUS.

Et Ministri: Flectamus genua. ℟. Levate.

Deus, qui peccati veteris hæreditariam mortem, in qua posteritatis genus omne successerat, Christi Filii tui Domini nostri passione solvisti: da propitius, ut conformes eidem effecti, sicut imaginem terreni parentis naturæ necessitate portavimus; ita imaginem cœlestis gratiæ sanctificatione portemus, per virtutem ejusdem Christi Filii tui Domini nostri: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Deinde Pontifex genuflectit ante faldistorium prædictum, et sine mitra cantando dicit:

Deus in adjutorium meum intende.

Tunc surgit Pontifex, et Chorus respondet:

Domine, ad adjuvandum me festina.

Tunc Pontifex stans sine mitra, dicit:

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto.

Chorus respondet:

Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen; *absque* Alleluia. *Idem fit eisdem modo et loco secundo, et tertio, voce semper altius elevata. Quibus dictis, Pontifex stans in eodem loco, accepta mitra, benedicit aliam aquam ibidem in Presbyterio in aliquo vase paratam cum sale, cinere, et vino, incipiens absolute:*

Exorcizo te creatura salis, *prout habetur in Pontificali in Dedicatione Ecclesiæ in secunda aquæ benedictione continuans usque ad Orationem,* Omnipotens sempiterne Deus, creator et conservator humani generis, etc., *inclusive* [1].

Qua dicta, Pontifex inchoat, schola prosequente, Antiphonam, ton. 7.

Exurgat Deus, et dissipentur inimici ejus: et fugiant qui oderunt eum, à facie ejus.

Incepta Antiphona Pontifex facit, ut in fine Psalmi habetur.

[1] Nota. Quia hujusmodi secunda benedictio aquæ cum sale, cinere et vino facienda est tantum ab Episcopo, non autem à Sacerdote, omittitur hic.

PSALMUS LXVII.

Qui quidem Psalmus LXVII *dicitur eodem modo cum repetitione Antiphonæ in unoquoque versiculo ut supra pag. 232 et 233.*

Et non dicitur Gloria Patri, *sed Antiphona repetitur. Interim dum Antiphona et Psalmus prædicti dicuntur, Pontifex accepta mitra, circuit ter Ecclesiam intrinsecus, aspergendo in primo circuitu parietes in superiori parte; in secundo autem in inferiori parte eorum; in tertio vero pavimentum Ecclesiæ: aspergit etiam specialiter loca contaminata, quando Ecclesia principaliter est polluta, vel violata. Quo facto, Pontifex stans in Presbyterio cum mitra versus ad altare, dicit:*

Deum indultorem criminum, Deum sordium mundatorem, Deum qui corruptum peccatis originalibus mundum adventus sui nitore purificavit, fratres carissimi, supplices deprecemur: ut contra diaboli furentis insidias fortis nobis propugnator assistat; ut si quid ejus virosa calliditate quotidianis insectationibus maculatum in isto loco corruptumque fuerat, efficiatur cœlesti miseratione purgatum: quia sicut illius est solidum perfectumque quassare, ita auctoris est nostri lapsa restituere, nutantia stabilire, et corrupta purgare: Qui cum Deo Patre et Spiritu Sancto, etc.

Deinde deposita mitra, mediocri voce, extensis manibus ante pectus, dicit Præfationem.

Per omnia sæcula sæculorum.

℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

℣. Sursum corda.

℟. Habemus ad Dominum.

℣. Gratias agamus Domino Deo nostro.

℟. Dignum et justum est.

Vere dignum et justum est, æquum et salutare nos tibi semper, et ubique gratias agere: Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: cujus immensa bonitas, ut non habuit principium, ita nec terminum habebit. Qui divina naturalique pietate plenus, eligis in nobis magis restituere perdita, quam percutere peritura. Et si quid aut negligentia polluit, aut ira committit, aut stimulat ebrietas, aut libido subvertit, hoc, Domine, clementi patientia sustines; ut ante per gratiam purifices, quam percutias per furorem. Et operis tui providus plasmator eligis potius erigere jacentia, quam punire damnanda. Te, Domine, supplices deprecamnr; ut hujus tabernaculi receptaculum placatus aspicias, et altare tuum, quod insectantis est inimici fraude pollutum, per infusionem gratiæ cœlestis purifices, purificatum possideas, possessumque, ne deinceps aliqua labe sordescat, custodias. Absint in posterum omnes nequitiæ spirituales et eliminentur, extinguatur antiqui serpentis invidia, et cum omnibus fraudibus suis diaboli turma propellatur. Efferat secum maculam, quam ingessit, et perennibus quandoque suppliciis deputandus operum suorum semina secum colligat peritura. Nihil hic in posterum noceat præteriti culpa contagii: nihil sit quod remaneat inimici fraude pollutum, quandoquidem spiritus tui est infu-

sione purgatum. Resurgat Ecclesiæ tuæ pura simplicitas, et candor innocentiæ hactenus maculatus, dum receperit gratiam, resurgat ad gloriam; ut populorum fidelium hic turba conveniens dum petitionis ingerit vota, votorum sentiat se obtinuisse suffragia.

Quod sequitur dicit submissa voce legendo, ita tamen quod à circumstantibus audiri possit.

Per Dominum nostrum Jesum-Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Post hæc Pontifex, accepta mitra, ascendit ad altare, et ibi inchoat, schola prosequente, Antiphonam ton. 4.

Introibo ad altare Dei: ad Deum, qui lætificat juventutem meam.

PSALMUS XLII.

Judica me Deus, et discerne causam meam de Gente non sancta, * ab homine iniquo et doloso erue me.

Quia tu es Deus fortitudo mea: * quare me repulisti? et quare tristis incedo, dum affligit me inimicus?

Emitte lucem tuam et veritatem tuam: * ipsa me deduxerunt, et adduxerunt in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua.

Et introibo ad altare Dei: * ad Deum, qui lætificat juventutem meam.

Confitebor tibi in cithara Deus, Deus meus: * quare tristis es anima mea, et quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: * salutare vultus mei, et Deus meus.

Et non dicitur Gloria Patri, *sed Antiphona repetitur. Qua repetita, Pontifex deposita mitra dicit :*

OREMUS.

Et Ministri. Flectamus genua. ℟. Levate.

Deus qui in omni loco dominationis tuæ clemens ac benignus dedicator assistis : exaudi nos, quæsumus, et concede ; ut in posterum inviolabilis hujus loci permaneat consecratio, et tui muneris beneficia universitas fidelium, quæ supplicat, percipere mereatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde stans ibidem inchoat, schola prosequente, Antiphonam :

Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis : à templo sancto tuo, quod est in Jerusalem.

PSALMUS LXVII.

Exurgat Deus, et dissipentur inimici ejus : * et fugiant qui oderunt eum à facie ejus.

Sicut deficit fumus, deficiant : * sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei.

Et justi epulentur, et exultent in conspectu Dei : * et delectentur in lætitia.

Cantate Deo, psalmum dicite nomini ejus : * iter facite ei, qui ascendit super occasum : * Dominus nomen illi.

Exultate in conspectu ejus : * turbabuntur à facie ejus, patris orphanorum, et judicis viduarum.

Deus in loco sancto suo : * Deus qui inhabitare facit unius moris in domo.

Qui educit vinctos in fortitudine, * similiter eos qui exasperant, qui habitant in sepulcris.

Deus cum egredereris in conspectu populi tui, * cum pertransires in deserto?

Terra mota est, etenim cœli distillaverunt à facie Dei Sinai, * à facie Dei Israel.

Pluviam voluntariam segregabis Deus hereditati tuæ: * et infirmata est, tu vero perfecisti eam.

Animalia tua habitabunt in ea: * parasti in dulcedine tua pauperi Deus.

Dominus dabit verbum evangelizantibus: * virtute multa.

Rex virtutum dilecti dilecti: * et speciei domus dividere spolia.

Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, * et posteriora dorsi ejus in pallore auri.

Dum discernit cœlestis reges super eam, nive dealbabuntur in Selmon: * mons Dei, mons pinguis.

Mons coagulatus, mons pinguis: * ut quid suspicamini montes coagulatos?

Mons, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo: * etenim Dominus habitabit in finem.

Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium: * Dominus in eis in Sina in sancto.

Ascendisti in altum, cœpisti captivitatem: * accepisti dona in hominibus.

Etenim non credentes, * inhabitare Dominum Deum.

Benedictus Dominus die quotidie; * prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum.

Deus noster, Deus salvos faciendi : * et Domini Domini exitus mortis.

Verumtamen Deus confringet capita inimicorum suorum : * verticem capilli perambulantium in delictis suis.

Dixit Dominus : Ex Basan convertam, * convertam in profundum maris.

Ut intingatur pes tuus in sanguine ; * lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso.

Viderunt ingressus tuos Deus, * ingressus Dei mei, regis mei, qui est in sancto.

Prævenerunt principes conjuncti psallentibus, * in medio juvencularum tympanistriarum.

In Ecclesiis benedicite Deo Domino, * de fontibus Israel.

Ibi Benjamin adolescentulus, * in mentis excessu.

Principes Juda, duces eorum, * principes Zabulon, principes Nephthali.

Manda Deus virtuti tuæ : * confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.

A templo tuo in Jerusalem, * tibi offerent reges munera.

Increpa feras arundinis, congregatio taurorum in vaccis populorum : * ut excludant eos, qui probati sunt argento.

Dissipa Gentes, quæ bella volunt, venient legati ex Egypto : * Ethiopia præveniet manus ejus Deo.

Regna terræ cantate Deo : * psallite Domino.

Psallite Deo, qui ascendit super cœlum cœli, * ad Orientem.

Ecce dabit voci suæ vocem virtutis ; date gloriam Deo

super Israel, * magnificentia ejus et virtus ejus in nubibus.

Mirabilis Deus in sanctis suis, Deus Israel ipse dabit virtutem et fortitudinem plebi suæ : * benedictus Deus.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, etc.

Antiph. Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis : à templo sancto tuo, quod est in Jerusalem. *Incœpta Antiphona, Pontifex accipit mitram, stans cum ea in dicto loco, usque ad finem Psalmi. Quo dicto, Pontifex deposita mitra, stans adhuc ibidem dicit :*

OREMUS.

Deus, qui Ecclesiam tuam sanctam, de omnibus mundi finibus congregatam, per tui lateris admirabile sacramentum cunctarum Gentium matrem esse dixisti, quam etiam populorum varietate depictam, sanctorum Martyrum tuorum meritis decorasti : bene ✠ dic, Domine quæsumus, Sanctorum tuorum opitulante suffragio, tam altare, quod eorum exornatur, te juvante, Reliquiis, quam Ecclesiam, ac fidelium tuorum tibi pie offerentium vota in illa sanctifica : Qui cum Deo Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas Deus, in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Tum Pontifex benedicit populo solemniter, dicens : Sit nomen Domini benedictum, etc.

Deinde, si velit, parat se ad celebrandum Missam. Sed si celebrare noluerit, facit per aliquem Sacerdotem solemniter Missam celebrari.

Missa dicitur de die, et cum oratione diei dicitur sequens Collecta sub uno Per Dominum.

Oratio.

Deus, qui dixisti : Domus mea domus orationis vocabitur ; domum istam infidelium spurcitiis contaminatam mundare et sanctificare digneris : et omnium preces et vota hoc in loco ad te clamantium clementer exaudias, et benignus suscipias. Per Dominum nostrum Jesum-Christum Filium tuum : Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Secreta.

Hæc hostia, quæsumus Domine, et locum istum ab omnibus immunditiis expurget : et supplicationes nostras semper et ubique reddat tibi acceptas. Per Dominum nostrum Jesum-Christum Filium tuum : Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Postcommunio.

Percipientes, Domine, munera salutis æternæ supplices exoramus : ut templum hoc, et cœmeterium ab infidelium inquinamentis emundatum benedictione tua maneat sanctificatum, et pectora nostra ab omni sorde vitiorum alienata, tibique devota semper existant. Per Dominum nostrum Jesum-Christum Filium tuum : Qui tecum vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

RITUS BENEDICENDI NOVUM CŒMETERIUM PER SACERDOTEM AB EPISCOPO DELEGATUM.

(Ex Rit. Rom.).

Pridie quam fiat benedictio, ponitur in medio Cœmeterii benedicendi lignea Crux, alta ad staturam hominis, et ante ipsam Crucem in terra figitur paxillus tridens ligneus altus ad cubitum unum, aptus ad affigendum illi tres candelas.

Sequenti die mane Sacerdos in Sacristia paratus amictu, alba, cingulo, stola, ac pluviali albi coloris, adhibitis aliquot Sacerdotibus et Clericis indutis superpelliceis, qui deferant vasculum aquæ benedictæ, aspergillum, et thuribulum cum incensi navicula, et hoc libro, vel alio et tribus candelis cereis, procedit ad Cœmeterium benedicendum, ante Crucem in medio positam, et affiguntur, et accenduntur tres candelæ super ligneum paxillum : et Sacerdos ante Crucem et candelas stans, discooperto capite, dicit :

OREMUS.

Omnipotens Deus, qui es custos animarum, et tutela salutis, fides credentium : respice propitius ad nostræ servitutis officium, et ad introitum nostrum purgetur, bene✠dicatur, et sancti✠ficetur hoc Cœmeterium, ut humana corpora hic post vitæ cursum quiescentia, in magno judicii die simul cum felicibus animabus mereantur adipisci vitæ perennis gaudia. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Mox ante ipsam Crucem omnes genibus flexis dicunt

Litanias ordinarias ut supra pag. 40, incipiente Cantore, ceteris respondentibus; et cum dictum fuerit : Ut omnibus fidelibus defunctis, etc. Te rogamus, audi nos; *Sacerdos surgit et clara voce dicit, producens manu signum Crucis :* Ut hoc Cœmeterium purgare, et bene ✠ dicere digneris, te rogamus audi nos. *Deinde Sacerdos, ut prius, genuflectit, et Litaniæ perficiuntur.*

Quibus finitis, surgunt omnes, et Sacerdos Crucem aspergit aqua benedicta, dicens :

Antiph. Asperges me, Domine, hyssopo, et mundabor : lavabis me, et super nivem dealbabor.

Psalmus L. *Miserere, etc., ut supra pag. 221, dicitur totus ab adstantibus, cum* Gloria Patri. *Quo dicto, repetitur Antiphona. Dum dicitur Psalmus, Sacerdos circuit, et perambulat totum Cœmeterium, incipiens ad ejus dexteram, aspergens ubique aqua benedicta : quo facto, redit ante Crucem, et ad ipsam respiciens dicit :*

OREMUS.

Deus, qui es totius orbis conditor, et humani generis Redemptor, cunctarumque creaturarum visibilium et invisibilium perfectus dispositor : te supplici voce, ac puro corde exposcimus, ut hoc Cœmeterium, in quo famulorum, famularumque tuarum corpora quiescere debent, post curricula hujus vitæ labentia, pur ✠ gare, bene ✠ dicere, et sancti ✠ ficare digneris : quique remissionem omnium peccatorum per tuam magnam misericordiam in te confidentibus præstitisti, corporibus quoque eorum in hoc Cœmeterio quiescentibus, et tubam primi Archangeli expectanti-

bus consolationem perpetuam largiter impertire. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Tunc figit in summitate Crucis unam ex tribus candelis ardentibus, et alias duas similiter ardentes in duobus brachiis ejusdem Crucis. Deinde incensat ipsam Crucem, et aspergens aqua benedicta, redit cum ministris in sacristiam.

ORDO RECONCILIANDI CŒMETERIUM VIOLATUM SIVE ECCLESIÆ CONTIGUUM SIT, SIVE SEPARATUM, UBI ECCLESIA NON EST POLLUTA.

(Ex Rit. Rom.).

Mane diei, qua facienda est reconciliatio, Sacerdos, si ab Episcopo facultatem habeat, adhibitis aliis Sacerdotibus et clericis indutis superpelliceis, in sacristia, aut alio decenti loco vestitus amictu, alba, cingulo, stola, et pluviali albi coloris, accedit ad medium Cœmeterii, Clerico vasculum aquæ benedictæ, et aspergillum deferente, et ibi super tapete genuflectit una cum ministris, et cantores, aliique omnes genibus flexis, dicunt Litanias ut supra pag. 40. In quibus cum dictum fuerit : Ut omnibus fidelibus defunctis, etc. Te rogamus, audi nos; *Sacerdos surgit, et manu dextera producens signum Crucis super Cœmeterium, clara voce dicit :* Ut hoc Cœmeterium recon ✠ ciliare, et sancti ✠ ficare digneris. Te rogamus audi nos.

Quibus dictis, ut prius genuflectit, Cantoribus Litanias perficientibus. Quibus finitis, surgunt omnes, et Sacerdos, accepto aspergillo cum aqua benedicta, inchoat :

Antiph. Asperges me, Domine, hyssopo, *Clero pro-*

sequente, et mundabor : lavabis me, et super nivem dealbabor.

Psalmus L, Miserere, etc., *ut supra pag. 221, dicitur totus sine* Gloria Patri.

In fine repetitur Antiphona, Asperges me, etc.

Dum hæc dicuntur, Sacerdos circuit totum Cœmeterium, incipiens ad ejus dexteram, aspergens ubique aqua benedicta, presertim in loco, ubi violatio commissa est. Quo peracto, redit ad locum ubi Litaniæ dictæ fuerunt, et ibi stans dicit : Oremus.

Et Ministri. Flectamus genua. ℟. Levate.

Domine pie, qui agrum figuli pretio Sanguinis tui in sepulturam peregrinorum comparari voluisti, quæsumus, dignanter reminiscere clementissimi hujus mysterii tui. Tu es enim, Domine, figulus noster : tu quietis nostræ ager : tu agri hujus pretium. Tu dedisti etiam, et suscepisti. Tu de pretio tui vivifici Sanguinis nos requiescere donasti. Tu ergo, Domine, qui es offensionis nostræ clementissimus indultor, expectantissimus judicator, judicii tui superabundantissimus miserator, judicium tuæ justissimæ severitatis abscondens post miserationem tuæ piæ redemptionis, adesto exauditor, et effector nostræ reconciliationis : hocque Cœmeterium peregrinorum tuorum cœlestis patriæ incolatum expectantium, benignus purifica et reconcilia; et hic tumulatorum et tumulandorum corpora, de potentia, et pietate tuæ resurrectionis ad gloriam incorruptionis non damnans, sed glorificans resuscita. Qui venturus es judicare vivos, et mortuos, et sæculum per ignem. ℟. Amen.

BENEDICTIO SIGNI VEL CAMPANÆ.

(Ex Pontif. et Rit. Rom.).

Campanæ benedicuntur ad convocandum populum, et Clerum ad Ecclesiam ; populum ad audiendum divinum verbum ; Clerum ad divinas laudes decantandas ; et ut ad auditum illarum vocum fideles ad preces moveantur, in ipsis devotio fidei crescat, et etiam ad hoc, ut illarum sonitu paveant et fugiant dæmones : frœnentur et cessent tempestates tonitruorum, fulgurum, grandinum, ventorum, etc. ; et sic semper salvi, et absque damno fructus terræ remaneant, et ad alios pios, et sasalutares effectus.

Campana debet benedici, antequam in campanili ponatur, ad cujus benedictionem hæc observabuntur :

1 Campana benedicenda debet in altum ita suspendi, ut facile possit intus, et extra tangi, tractari, et circumiri.

2 Deinde prope ipsam campanam benedicendam paratur faldistorium, vas aquæ benedicendæ, et etiam vas cum sale, aspersorium, lintea munda ad extergendam campanam, dum opus fuerit, thus, et myrrha, et thuribulum cum igne.

3 His paratis, Sacerdos, de licentia Episcopi, aut Vicarii Generalis, campanam benedicturus, in Sacristia, aut alio decenti loco, simul cum Ministris (si facile haberi possint), induetur amictu, alba, cingulo, stola, et pluviali albi coloris, processionaliter ibit ad locum, ubi reposita est campana, Subdiacono (si adest)

aut alio Ministro crucem in altum deferente, et duobus Acolytis cereos accensos deferentibus, et dum pervenerit ad locum, stans dicet Psalmos sequentes, et in fine cujusvis Psalmi versum Gloria Patri, etc.

Psalmus L. Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam, etc., *ut supra pág. 221.*

PSALMUS LIII.

Deus in nomine tuo salvum me fac, * et in virtute tua judica me.

Deus exaudi orationem meam : * auribus percipe verba oris mei.

Quoniam alieni insurrexerunt adversum me, et fortes quæsierunt animam meam : * et non proposuerunt Deum ante conspectu suum.

Ecce enim Deus adjuvat me : * et Dominus susceptor est animæ meæ.

Averte mala inimicis meis : * et in veritate tua disperde illos.

Voluntarie sacrificabo tibi, * et confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum est.

Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me : * et super inimicos meos despexit oculus meus.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, etc.

PSALMUS LVI.

Miserere mei Deus, miserere mei : * quoniam in te confidit anima mea.

Et in umbra alarum tuarum sperabo, * donec transeat iniquitas.

Clamabo ad Deum Altissimum, * Deum qui benefecit mihi.

Misit de cœlo, et liberavit me, * dedit in opprobrium conculcantes me.

Misit Deus misericordiam suam, et veritatem suam, * et eripuit animam meam de medio catulorum leonum : dormivi conturbatus.

Filii hominum, dentes eorum arma, et sagittæ; * et lingua eorum gladius acutus.

Exaltare super cœlos Deus, * et in omni terra gloria tua.

Laqueum paraverunt pedibus meis, * et incurvaverunt animam meam.

Foderunt ante faciem meam foveam : * et inciderunt in eam.

Paratum cor meum Deus, paratum cor meum : * cantabo, et psalmum dicam.

Exurge gloria mea, exurge psalterium, et cithara : * exurgam diluculo.

Confitebor tibi in populis Domine : * et psalmum dicam tibi in Gentibus.

Quoniam magnificata est usque ad cœlos misericordia tua, * et usque ad nubes veritas tua.

Exaltare super cœlos Deus, * et super omnem terram gloria tua.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, etc.

Psalmus LXVI. Deus miseratur nostri, et benedicat nobis, etc., *ut supra pag. 51 et 172.*

Psalmus LXIX. Deus in adjutorium meum intende, etc., *ut supra pag. 44.*

PSALMUS LXXXV.

Inclina Domine aurem tuam, et exaudi me : * quoniam inops, et pauper sum ego.

Custodi animam meam, quoniam sanctus sum : * salvum fac servum tuum, Deus meus, sperantem in te.

Miserere mei Domine, quoniam ad te clamavi tota die : * lætifica animam servi tui, quoniam ad te Domine animam meam levavi.

Quoniam tu Domine suavis, et mitis, * et multæ misericordiæ omnibus invocantibus te.

Auribus percipe Domine orationem meam : * et intende voci deprecationis meæ.

In die tribulationis meæ clamavi ad te : * quia exaudisti me.

Non est similis tui in diis Domine : * et non est secundum opera tua.

Omnes Gentes, quascumque fecisti, venient, et adorabunt coram te Domine : * et glorificabunt nomen tuum.

Quoniam magnus es tu, et faciens mirabilia : * tu es Deus solus.

Deduc me Domine in via tua, et ingrediar in veritate tua : * lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum.

Confitebor tibi Domine Deus meus in toto corde meo, * et glorificabo nomen tuum in æternum.

Quia misericordia tua magna est super me : * et eruisti animam meam ex inferno inferiori.

Deus, iniqui insurrexerunt super me, et synagoga po-

tentium quæsierunt animam meam : * et non proposuerunt te in conspectu suo.

Et tu Domine Deus miserator, et misericors, * patiens, et multæ misericordiæ, et verax.

Respice in me, et miserere mei : * da imperium tuum puero tuo, et salvum fac filium ancillæ tuæ.

Fac mecum signum in bonum, ut videant, qui oderunt me, et confundantur : * quoniam tu Domine adjuvisti me, et consolatus es me.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, etc.

Psalmus CXXIX. De profundis clamavi ad te Domine, etc., *ut supra pag. 174.*

Expletis Psalmis, Sacerdos benedicit sal et aquam, dicens :

℣. Adjutorium nostrum, etc., *prout habetur supra in titulo primo* Ordo ad faciendam aquam benedictam, *pag. 21, et continuans usque ad Orationem* Deus qui ad salutem, etc., *inclusive. Qua finita prosequitur dicens sequentem Orationem :*

OREMUS.

Bene ✠ dic, Domine, hanc aquam benedictione cœlesti, assistat super eam virtus Spiritus Sancti; ut cum hoc vasculum ad invitandos filios sanctæ Ecclesiæ præparatum, in ea fuerit tinctum ; ubicumque sonuerit hoc tintinnabulum, procul recedat virtus insidiantium, umbra phantasmatum, incursio turbinum, percussio fulminum, læsio tonitruorum, calamitas tempestatum, omnisque spiritus procellarum, et cum clangorem illius audierint filii Christianorum, crescat in

eis devotionis augmentum, ut festinantes ad piæ Matris Ecclesiæ gremium, cantent tibi in Ecclesia Sanctorum canticum novum, deferentes in sono præconium tubæ, modulationem psalterii, suavitatem organi, exultationem tympani, jucunditatem cymbali; quatenus in templo sancto gloriæ tuæ suis obsequiis, et precibus invitare valeant multitudinem exercitus Angelorum. Per Dominum nostrum Jesum-Christum Filium tuum, qui tecum vivit, et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Immediate Sacerdos faciet commixtionem salis et aquæ in modum Crucis, dicendo :

Commixtio salis et aquæ pariter fiat : In nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus✠Sancti. ℟. Amen.

Commixtione facta, dicet Sacerdos super sal et aquam :

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus invictæ virtutis auctor, et insuperabilis imperii Rex, ac semper magnificus triumphator, qui adversæ dominationis vires reprimis, qui inimici rugientis sævitiam superas, qui hostiles nequitias potenter expugnas : te, Domine, trementes et supplices deprecamur ac petimus, ut hanc creaturam salis et aquæ dignanter aspicias, benignus illustres, pietatis tuæ rore sanctifices, ut ubicumque fuerit aspersa, per invocationem sancti tui nominis, omnis infestatio immundi spiritus abigatur, terrorque venenosi serpentis procul pellatur; et præsentia Sancti Spiritus nobis misericor-

diam tuam poscentibus ubique adesse dignetur. Per Dominum nostrum Jesum-Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

His peractis, Sacerdos accipiet aspersorium, et cum eo aqua benedicta Campanam intus et extra incipit lavare; et ministri prosequuntur lotionem lavantes eam totaliter intus et extra, deinde cum linteo mundo extergunt illam; et interim Sacerdos cum Ministris dicet sequentes Psalmos:

PSALMUS CXLV.

Lauda anima mea Dominum, laudabo Dominum in vita mea : * psallam Deo meo, quamdiu fuero.

Nolite confidere in principibus, * in filiis hominum, in quibus non est salus.

Exibit Spiritus ejus : et revertetur in terram suam : * in illa die peribunt omnes cogitationes eorum.

Beatus, cujus Deus Jacob adjutor ejus, spes ejus in Domino Deo ipsius; * qui fecit cœlum et terram, mare, et omnia, quæ in eis sunt.

Qui custodit veritatem in sæculum, facit judicium injuriam patientibus; * dat escam esurientibus.

Dominus solvit compeditos : * Dominus illuminat cæcos.

Dominus erigit elisos : * Dominus diligit justos.

Dominus custodit advenas, pupillum, et viduam suscipiet : * et vias peccatorum disperdet.

Regnabit Dominus in sæcula, Deus tuus Sion, * in generationem, et generationem.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, etc.

Psalmus CXLVI. Laudate Dominum, quoniam bonus est psalmus, etc., *ut supra pag. 48.*

PSALMUS CXLVII.

Lauda Jerusalem Dominum : * lauda Deum tuum Sion.

Quoniam confortavit seras portarum tuarum : * benedixit filiis tuis in te.

Qui posuit fines tuos pacem : * et adipe frumenti satiat te.

Qui emittit eloquium suum terræ : * velociter currit sermo ejus.

Qui dat nivem sicut lanam, * nebulam, sicut cinerem spargit.

Mittit crystallum suam, sicut buccellas : * ante faciem frigoris ejus quis sustinebit?

Emittet verbum suum, et liquefaciet ea : * flabit spiritus ejus, et fluent aquæ.

Qui annuntiat verbum suum Jacob, * justitias, et judicia sua Israel.

Non fecit taliter omni nationi : * et judicia sua non manifestavit eis.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, etc.

PSALMUS CXLVIII.

Laudate Dominum de cœlis : * laudate eum in excelsis.

Laudate eum omnes Angeli ejus : * laudate eum omnes virtutes ejus.

Laudate eum sol, et luna : * laudate eum omnes stellæ, et lumen.

Laudate eum cœli cœlorum: * et aquæ omnes, quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini.

Quia ipse dixit, et facta sunt: * ipse mandavit, et creata sunt.

Statuit ea in æternum, et in sæculum sæculi: * præceptum posuit, et non præteribit.

Laudate Dominum de terra; * dracones, et omnes abyssi.

Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, * quæ faciunt verbum ejus.

Montes, et omnes colles, * ligna fructifera, et omnis cedri.

Bestiæ, et universa pecora, * serpentes, et volucres pennatæ.

Reges terræ, et omnes populi, * principes, et omnes judices terræ.

Juvenes, et virgines, senes cum junioribus laudent nomen Domini: * quia exaltatum est nomen ejus solius.

Confessio ejus super cœlum, et terram: * et exaltavit cornu populi sui.

Hymnus omnibus sanctis ejus, * filiis Israel, populo appropinquanti sibi.

Hic non dicitur Gloria Patri.

PSALMUS CXLIX.

Cantate Domino canticum novum: * laus ejus in Ecclesia sanctorum.

Lætetur Israel in eo, qui fecit eum: * et filii Sion exultent in rege suo.

Laudent nomen ejus in choro : * in tympano, et psalterio psallant ei.

Quia beneplacitum est Domino in populo suo : * et exaltabit mansuetos in salutem.

Exultabunt sancti in gloria : * lætabuntur in cubilibus suis.

Exaltationes Dei in gutture eorum, * et gladii ancipites in manibus eorum.

Ad faciendam vindictam in nationibus, * increpationes in populis.

Ad alligandos reges eorum in compedibus, * et nobiles eorum in manicis ferreis.

Ut faciant in eis judicium conscriptum : * gloria hæc est omnibus sanctis ejus.

Hic non dicitur Gloria Patri.

PSALMUS CL.

Laudate Dominum in sanctis ejus : * laudate eum in firmamento virtutis ejus.

Laudate eum in virtutibus ejus : * laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus.

Laudate eum in sono tubæ : * laudate eum in psalterio et cithara.

Laudate eum in tympano, et choro : * laudate eum in chordis, et organo.

Laudate eum in cymbalis benesonantibus : laudate eum in cymbalis jubilationis : * omnis spiritus laudet Dominum.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, etc.

Quibus finitis, Sacerdos dicet sequentem Orationem :

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, qui ante arcam fœderis per clangorem tubarum muros lapideos, quibus adversantium cingebatur exercitus, cadere fecisti; tu hoc tintinnabulum cœlesti bene ✠ dictione perfunde; ut ante sonitum ejus longius effugentur ignita jacula inimici, percussio fulminum, impetus lapidum, læsio tempestatum, ut ad interrogationem propheticam, quid est tibi mare quod fugisti? suis motibus cum Jordanico retroactis fluento respondeant: A facie Domini mota est terra, à facie Dei Jacob, qui convertit petram in stagna aquarum, et rupem in fontes aquarum. Non ergo nobis, Domine, non nobis; sed nomini tuo da gloriam super misericordia tua; ut cum præsens vasculum tua bene ✠ dictione sanctificetur, et quod arte, aut metalli specie non potest fieri dignum, sit tua benedictione perfusum: ut quicumque ad sonitum ejus convenerint, ab omnibus inimici tentationibus liberi, semper fidei catholicæ documenta sectentur. Per Dominum nostrum Jesum-Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Tum Sacerdos ponit in thuribulo thus, incensum et myrrham, si facile haberi possint, alioquin, quæ ex ipsis habentur: quibus impositis, supponet thuribulum campanæ, ita, ut totum fumum accipiat, Clero interim cantante Antiphonam et Psalmum sequentem:

Antiph. Deus in sancto via tua: Quis Deus magnus, sicut Deus noster?

PSALMUS. LXXVI.

Viderunt te aquæ, Deus, viderunt te aquæ: * et timuerunt, et turbatæ sunt abyssi.

Multitudo sonitus aquarum: * vocem dederunt nubes.

Etenim sagittæ tuæ transeunt: * vox tonitrui tui in rota.

Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ: * commota est et contremuit terra.

In mari via tua, et semitæ tuæ in aquis multis: * et vestigia tua non cognoscentur.

Deduxisti sicut oves populum tuum, * in manu Moysi et Aaron.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, etc.

Postea Sacerdos dicet:

OREMUS.

Omnipotens Dominator Christe, quo secundum carnis assumptionem dormiente in navi, dum oborta tempestas mare conturbasset, te protinus excitato, et imperante, dissiluit; tu necessitatibus populi tui benignus succurre; tu hoc tintinnabulum Sancti Spiritus rore perfunde: ut ante sonitum illius semper fugiat bonorum inimicus; invitetur ad fidem populus Christianus; hostilis terreatur exercitus; confortetur in Domino per illud populus tuus convocatus: ac sicut Davidica cithara delectatus desuper descendat Spiritus Sanctus: atque ut Samuele agnum lactentem mactante in holocaustum Regis æterni imperii, fragor aurarum turbam repulit adversantium, ita dum hujus vasculi sonitus

transit per nubila, Ecclesiæ tuæ conventum manus conservet angelica, fruges credentium, mentes et corpora salvet protectio sempiterna. Per te Christe-Jesu, qui cum Deo Patre vivis et regnas in unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus, etc. ℟. Amen.

Finita oratione, Diaconus, si aderit, dicet sequens Evangelium, et dicet : Munda cor meum, etc., *et petet benedictionem à Sacerdote dicens :* Jube Domne benedicere ; *et Sacerdos dicet :* Dominus sit in corde tuo, etc. *At si Sacerdos sit solus dicet :* Munda cor meum, etc. Jube Domne benedicere. Dominus sit in corde meo, etc.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.
℣. Sequentia Sancti Evangelii secundun Joannem.
℟. Gloria tibi Domine.

In illo tempore : Intravit Jesus in quoddam castellum : et mulier quædam, Martha nomine, excepit illum in domum suam, et huic erat soror nomine Maria, quæ etiam sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius. Martha autem satagebat circa frequens ministerium ; quæ stetit, et ait : Domine, non est tibi curæ quod soror mea relinquit me solam ministrare ? Dic ergo illi, ut me adjuvet. Et respondens dixit illi Dominus : Martha, Martha, sollicita es, et turbaris erga plurima. Porro unum est necessarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.

Et postea Diaconus porrigit Sacerdoti osculari librum Evangeliorum, qui deinde formabit signum Crucis super campanam benedictam dicens :

Benedictio Dei omnipotentis Pa ✠ tris, et Filii, et Spiritus Sancti, descendat, et maneat super hoc tintinnabulum, et super audientes illud. ℟. Amen.

In hac benedictione Campanæ non fit mentio unctionum sacri Olei et Chrismatis, prout fit in Pontificali Romano, quia hujusmodi unctiones tantum spectant ad Episcopum, ut decrevit Sacra Rituum Congregatio, et notatur in principio hujus libri.

TITULUS VIII.

DE BENEDICTIONIBUS INDUMENTORUM SACERDOTALIUM ET IMAGINUM IN DUO CAPITA DIVISIS.

CAPUT PRIMUM.

Benedictiones quæ continentur in hoc primo capite non possunt fieri nisi ab Episcopis, vel ab aliis facultatem habentibus.

BENEDICTIO SACERDOTALIUM INDUMENTORUM IN GENERE.

(Ex Miss. Pont. et Rit. Rom., ex Cerem. Ord. S. P. Aug. et Col. P. Sannig).

Prælatus, vel habens privilegium illa benedicendi, primo benedicat in communi omnia indumenta præsentia modo sequenti:

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, qui per Moysen famulum tuum Pontificalia et Sacerdotalia, seu Levitica vestimenta, ad explendum in conspectu tuo ministerium eorum, ad honorem et decorem nominis tui fieri decrevisti : adesto propitius invocationibus nostris, et hæc indumenta sacerdotalia, desuper irrigante gratia tua, ingenti benedictione per nostræ humilitatis servitium puri ✠ ficare, bene ✠ dicere, et conse ✠ crare digneris : ut divinis cultibus et sacris mysteriis apta et benedicta existant : his quoque sacris vestibus Pontifices, et Sacerdotes, seu Levitæ tui induti, ab omnibus impulsionibus, seu tentationibus malignorum spirituum muniti et defensi esse mereantur ; tuisque mysteriis apte et condigne servire et inhærere, atque in his tibi placite et devote perseverare tribue. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

OREMUS.

Deus, invictæ virtutis triumphator, et omnium rerum creator ac sanctificator, intende propitius preces nostras : et hæc indumenta Leviticæ, Sacerdotalis et Pontificalis gloriæ, ministris tuis fruenda, tuo ore proprio bene ✠ dicere, sancti ✠ ficare et conse ✠ crare digneris : omnesque eis utentes, tuis mysteriis aptos, et tibi in eis devote et laudabiliter servientes, gratos efficere digneris. Per Dominum nostrum. ℟. Amen.

OREMUS.

Domine, Deus omnipotens, qui vestimenta Pontificibus, Sacerdotibus, et Levitis in usum tabernaculi fœderis necessaria Moysen famulum tuum agere jussisti, eumque spiritu sapientiæ ad id peragendum replevisti : hæc vestimenta in usum et cultum mysterii tui bene ✠ dicere, sancti ✠ ficare, et conse ✠ crare digneris ; atque ministros Altaris tui, qui ea induerint, septiformis Spiritus gratia dignanter repleri, atque castitatis stola, beata facias cum bonorum fructu operum, ministerii congruentis immortalitate vestiri. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde aspergit ipsa indumenta aqua benedicta.

BENEDICTIO SPECIALIS CUJUSLIBET ORNAMENTI.

(Ex Pontif. et Miss. Rom.).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus omnipotens, bonorum et virtutum dator, et omnium benedictionum largus infusor, supplices te rogamus, ut manibus nostris opem tuæ benedictionis infundas, et has caligas et sandalia, *vel* amictum, *vel* albam, *vel* cingulum, *vel* stolam, *vel* manipulum, *vel*

tunicellam, *vel* dalmaticam, *vel* planetam divino cultui præparatam virtute Sancti Spiritus bene ✠ dicere, sancti ✠ ficare, et conse ✠ crare digneris : et omnibus ea, *vel* eo, *vel* eis utentibus gratiam sanctificationis sacri mysterii tui benignus concede ; ut in conspectu tuo sancti et immaculati atque irreprehensibiles appareant, et auxilium misericordiæ tuæ acquirant. Per Dominum nostrum Jesum-Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Deinde aspergit ea aqua benedicta.

BENEDICTIO AMICTUS.

(Ex Cerem. Ord. S. P. Aug. Man. Brev. Ord. B. V. Mar. de Mercede, et Col. P. Sannig).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Immensæ pietatis, et plenitudinis gratiarum infusor Deus, qui per os prophetæ tui dixisti : expandi amictum meum super te, et operui ignominiam tuam, plenitudinem gratiæ et bene ✠ dictionis tuæ super hunc Amictum propitius extende ; ut omnes, qui eo usi fuerint, perfectam quam designat Amictus castigationem vocis et gulæ sentiant, fiantque perfecti, virtute deco-

ri, et ex Amictu ipso reddantur tibi Deo omnipotenti moribus et gratia speciosi. Qui cum Patre et Filio vivis et regnas in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Deinde aspergit eum aqua benedicta.

BENEDICTIO ALBÆ.

(Ex Cerem. Ord. S. P. Aug. Man. Brev. Ord. B. V. Mariæ de Mercede, et Col. P. Sannig).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine, Deus omnipotens, qui Aaron et filiis ejus tunicis lineis in decorem et gloriam Sacerdotii indui præcepisti, cum quibus et ipsi sanctificati, tibi etiam in Sanctuario ministrarent; hanc, quæsumus, lineam tunicam tuæ virtutis sanctificatione bene ✠ dicere, et sancti ✠ ficare digneris; quatenus omnes, qui ea induti in sancto ministerio usi fuerint, digni fiant Altaris tui Ministri, ipsosque septiformis gratia Spiritus repletos, et castitatis zona præcinctos, beata facias cum ministris Angelicis immortalitatis fruitione vestiri. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde aspergit eam aqua benedicta.

BENEDICTIO CINGULI.

(Ex Cerem. Ord. S. P. Aug. Man. Brev. Ord. B. V. Mariæ de Mercede, et Col. P. Sannig).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus innocentiæ restitutor, puritatis amator, qui utriusque testamenti Patres lumbos suos præcingere instruxisti, quo videlicet carnalem lumborum lasciviam discerent sobrietate continentiæ coarctare : sancti ✠ fica, et bene ✠ dic quæsumus, Domine, cingugulum istud, ut omnes qui eo usi fuerint, ab æstu voluptatum carnalium refrigerium sentiant, et Spiritus Sancti rore perfusi, quæ tua sunt, mundo corde et casto corpore desiderent et lætentur. Per Dominum nostrum Jesum-Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Deinde aspergit illud aqua benedicta.

BENEDICTIO MANIPULI.

(Ex Cerem. Ord. S. P. Aug. Man. Brev. Ord. B. V. Mariæ de Mercede, et Col. P. Sannig).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.

℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus, qui de fructu operum tuorum terram satias, et secundum opera tua retribuis et judicas unumquemque; Manipulum istud, per quem fructus bonorum operum designatur, tuæ benedictionis dono sancti✠fica, quatenus ministri Altaris tui ipso utentes Manipulo per bonorum operum fructum digna se gaudeant assequi præmia meritorum. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde aspergit illud aqua benedicta.

BENEDICTIO STOLÆ.

(Ex Cerem. Ord. S. P. Aug. Man. Brev. Ord. B. V. Mariæ de Mercede, et Col. P. Sannig).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Ineffabilis benignitatis et clementiæ Deus, cujus jugum onusque leve esse tu ipse perhibes; quippe per os Sapientis collum nos subjicere jugo tuæ sapientiæ docuisti: bene✠dic, quæsumus, et sancti✠fica Stolam istam, jugum tuæ mansuetudinis præsignantem;

ut Sacerdotes et Levitæ tui, qui eidem stolæ humeros et colla submiserint, suavitatis tuæ sentiant levitatem, quatenus inter illam magnam et innumerabilem turbam, quam Beatus Joannes vidit in conspectu Agni, stolis albis amictam, stolas suas lavare in ipsius Agni sanguine mereantur, atque tamquam formosi in stola sua, et in multitudine suæ fortitudinis gradientes, stola induantur gloriæ æternaliter cum electis. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde aspergit eam aqua benedicta.

BENEDICTIO PLANETÆ SEU CASULÆ.

(Ex Cerem. Ord. S. P. Aug. Man. Ord. B. V. M. de Mercede, et Col. P. Sannig).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus fons bonitatis et justitiæ, qui tui operis ministros ad extremum vestimento Casulæ, cujus munimine interius omnia tegerentur, vestiri sanxisti, bene ✠dic, quæsumus, et sancti ✠fica Planetam istam, et concede propitius petitionibus nostris, ut omnes hac casula induti, enumeratis intus omnium virtutum ornamentis, vinculum perfectæ charitatis super omnia habeant, quo perficere quæ desiderant, te præstante, valeant. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde aspergit illam aqua benedicta.

BENEDICTIO STRICTÆ SEU TUNICELLÆ.

(Ex Man. Brev. B. V. Mariæ de Mercede, et Col. P. Sannig).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, qui Moysi famulo tuo levitica indumenta, quæ ad cultum Sanctuarii pertinent, facere præcepisti : bene ✠ dic, quæsumus, hanc Strictam seu Tunicellam, ut Subdiaconatus ministeriis, quibus famuli tui decenter sunt ornati, et virtutum percipiant incrementa, et vitiorum monstra devitantes, ad te, qui via, et veritas, et vita es, gratiosi valeant pervenire. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde aspergit eam aqua benedicta.

BENEDICTIO DALMATICÆ.

(Ex Man. Brev. Ord. B. V. Mariæ de Mercede, et Col. P. Sannig).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus omnipotens, bonarum virtutum dator, et omnium benedictionum largus infusor, supplices te rogamus ac petimus, ut mentibus nostris opem tuæ benedictionis infundas, et hanc Dalmaticam digno cultui tuo præparatam virtuti Sancti Spiritus bene ✠ dicere, sancti ✠ ficare, et conse ✠ crare digneris, et omnibus eam portantibus gratiam sanctificationis sacri ministerii tui benigne concede, ut in conspectu tuo sancti, et immaculati, atque irreprehensibiles appareant, et auxilium tuæ misericordiæ acquirant. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde aspergit illam aqua benedicta.

BENEDICTIO PLUVIALIS.

(Ex Col. P. Sannig).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine Deus, Pater omnipotens, Rex, ac magnificus triumphator, qui per sanctos Patres nostros, qui tibi in sacerdotali Ordine placuerunt, diversi generis ornamenta et vestimenta sacerdotalia fieri, et in his ornari sacerdotes tibi servientes voluisti; exaudi propitius orationem nostram, et hanc Cappam seu pluviale,

dextera tua sancta bene ✠ dicere, sancti ✠ ficare, et conse ✠ crare digneris, quatenus hoc vestimentum Ministris, et Levitis, Sacerdotibus, ac Pontificibus tuis ad divinum cultum ordinandum, atque explendum proficiat, sanctisque Altaribus mundi et ornati, in veste ministraturi, irreprehensibiles in actu, et dicto, interius, exteriusque appareant, et tibi soli Deo puro corde, et mundo corpore, omnibus diebus vitæ suæ irreprehensibiliter SS. Patrum exempla sequentes, servire valeant; iisque sacris ministeriis secundum tuam voluntatem, quando tibi placuerit, expletis, cœlestis regni gloriam, cum omnibus nobis, sibique commissis percipere mereantur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde aspergit illud aqua benedicta.

BENEDICTIO MAPPARUM ET TOBALEARUM SEU LINTEAMINUM SACRI ALTARIS.

(Ex Pontif. Rit. et Miss. Rom. et Col. P. Sannig).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Exaudi Domine preces nostras : et hæc linteamina sacri Altaris usui præparata bene ✠ dicere, et sancti ✠ ficare digneris. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

OREMUS.

Domine Deus omnipotens, qui ornamenta et linteamina facere Moysen per quadraginta dies docuisti, quæ etiam Maria texuit et fecit in usum ministerii tabernaculi fœderis : bene ✠ dicere, sancti ✠ ficare, et conse ✠ crare digneris hæc linteamina ad tegendum involvendumque Altare gloriosissimi Filii tui Domini nostri Jesu-Christi, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Deinde aspergit ea aqua benedicta.

BENEDICTIO CORPORALIUM ET PALLARUM.

(Ex Pont. Rit. et Miss. Rom. et Col. P. Sannig).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Clementissime Domine, cujus inenarrabilis est virtus, cujus mysteria arcanis mirabilibus celebrantur : tribue quæsumus, ut hoc linteamen tuæ propitiationis bene ✠ dictione sanctificetur, ad consecrandum super illud Corpus et Sanguinem Dei et Domini nostri Jesu-Christi Filii tui : qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, bene ✠ dicere, sancti ✠ ficare, et conse ✠ crare digneris linteamen istud ad tegendum involvendumque Corpus et Sanguinem Domini nostri Jesu-Christi Filii tui, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

OREMUS.

Omnipotens Deus, manibus nostris opem tuæ benedictionis infunde : ut per nostram bene ✠ dictionem hoc linteamen sanctificetur, et Corporis ac Sanguinis Redemptoris nostri novum sudarium Spiritus Sancti gratia efficiatur. Per eumdem Dominum nostrum Jesum-Christum Filium tuum : Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Deinde aspergit aqua benedicta.

BENEDICTIO LINTEAMINIS, QUO TEGENDUM, ET SERVANDUM EST CORPUS DOMINICUM.

(Ex Col. P. Sannig).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, bene ✠ dic linteamen istud, ad tegendum, involvendumque Corpus et Sanguinem Domini nostri Jesu-Christi, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Deinde aspergit aqua benedicta.

BENEDICTIO PALLARUM, CORPORALIUM, ET LINTEAMINUM SACRORUM POST EORUM ABLUTIONEM.

(Ex Col. P. Sannig).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, innocentiæ restitutor, qui per Moysem famulum tuum præcepisti Sacerdotibus, et Ministris, ut in Sanctuario vestes nitidæ asservarentur, et maculatæ mundarentur, ne quid inessent, quod tuæ oculos offenderet Majestatis, tibi has vestes, tua bene ✠ dictione consecratas, referimus mundas, et nitidas, suppliciter deprecantes, ut eas in usum ministerii tui pristinum, placidus ac benignus reassumere digneris, quatenus sacrificium tibi acceptum, et nobis salutiferum super eis offerre valeamus. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde aspergit aqua benedicta, dicens :

Reconciliare, et ad usum pristinum sacri ministerii revocare : In nomine Pa✠tris, et Filii, et Spiritus Sancti. ℟. Amen.

BENEDICTIO SACRORUM VASORUM ET ALIORUM ORNAMENTORUM IN GENERE.

(Ex Pontif. Rom. et Col. P. Sannig).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Exaudi, Domine, Pater clementissime, preces nostras : et hæc purificanda vasa et ornamenta sacri Altaris atque Ecclesiæ tuæ sacri ministerii usui præparata bene✠dicere, et sancti✠ficare, digneris. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, à quo omnia immunda purgantur, et in quo omnia purgata clarescunt, supplices omnipotentiam tuam invocamus : ut ab his vasis et ornamentis, quæ tibi offerunt famuli tui, omnis spiritus immundus confusus longe discedat, et per tuam bene✠dictionem ad usum et ministerium sancti

Altaris et Ecclesiæ tuæ sanctificata permaneant. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde aspergit ea aqua benedicta.

BENEDICTIO TABERNACULI SIVE VASCULI PRO SACROSANCTA EUCHARISTIA CONSERVANDA ET CONFERENDA.

(Ex Pontif. Rit. et Miss. Rom. et Col. P. Sannig).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, Majestatem tuam supplices deprecamur : ut vasculum hoc, pro corpore Filii tui Domini nostri Jesu-Christi in eo condendo fabricatum, bene ✠ dictionis tuæ gratia dicare digneris. Per eumdem Dominum nostrum Jesum-Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Tum aspergit illud aqua benedicta.

BENEDICTIO THURIBULI.

(Ex Collect. P. Sannig).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo

OREMUS.

Deus, ad cujus sepulchrum cum aromatibus in specie animarum sanctarum virtutes sanctorum operum gestantium, diluculo mulieres venisse memorantur; et in cujus conspectu Angelus habens thuribulum aureum, et stetisse, et datis incensis de orationibus omnium Sanctorum ante thronum Domini adolevisse, cœlesti jussione divulgatur; adesto propitius invocationibus nostris, et hoc thuribulum cœlesti bene ✠ dictione perfunde, ut quicumque ex eo thimiamatis, vel thuris fragrantiam senserint, tua donante immensa clementia, odores orationum ante conspectum Majestatis tuæ per manus sanctorum emittant Angelorum, atque persolvant, Salvator mundi. Qui vivis et regnas, etc. ℟. Amen.

Deinde aspergit illud aqua benedicta.

BENEDICTIO CAPSARUM PRO RELIQUIIS, ET ALIIS SANCTUARIIS INCLUDENDIS.

(Ex Pontif. Rom. et Col. P. Sanmig).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.

Oremus, dilectissimi nobis, Deum Patrem omnipotentem: ut qui omnia per Unigenitum Filium suum in virtute Spiritus Sancti valde bona creavit, ipse nobis indignis ad consecrationem harum capsarum Reliquiis Sanctorum suorum condendis paratarum, rorem gratiæ suæ clementer infundere dignetur. Per eumdem

Dominum nostrum Jesum-Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus.

Deinde extensis manibus ante pectus dicit Præfationem.

℣. Per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.
℣. Sursum corda. ℟. Habemus ad Dominum.
℣. Gratias agamus Domino Deo nostro.
℟. Dignum et justum est.

Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper, et ubique gratias agere : Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus inæstimabilis, Deus ineffabilis, Deus misericordiarum, et totius consolationis. Qui Moysi famulo tuo præcepisti, ut juxta exemplar, quod ei in Monte demonstrasti, arcam de lignis imputribilibus construeret, et eam auro mundissimo circumdaret, in qua urna aurea manna cœlesti plena, cum tabulis testamenti digito Majestatis tuæ conscriptis, in testimonium futuris generationibus servari deberent; quique nostris sæculis eadem sacratius intelligenda manifestasti, dum Corpus unici Filii tui, opere Spiritus Sancti de incorrupta Virgine conceptum, et anima rationali vivificatum, omni plenitudine divinitatis replesti, te suppliciter imploramus, omnipotens Deus, Pater Domini nostri Jesu-Christi, ex quo omnis paternitas in cœlo et in terra nominatur, ut hæc vascula Sanctorum tuorum pignoribus præparata, eisdem Sanctis tuis intercedentibus, cœlesti bene ✠dictione perfundere digneris : quatenus qui horum patrocinia

requirunt, ipsis intercedentibus cuncta sibi adversantia te adjuvante superare, et omnia commode profutura, abundantia largitatis tuæ mereantur invenire. Et sicut illi, te Domine inspirante, spiritualium nequitiarum versutias cavere, et humanitus exquisita tormenta non solum contemnere, sed etiam penitus evincere, Christo Domino confortante, potuerunt : ita ipsorum merita venerantibus, et Reliquias humiliter amplectentibus, contra diabolum et angelos ejus, contra fulmina et tempestates, contra grandines et varias pestes, contra corruptum aerem et mortes hominum, vel animalium, contra fures et latrones, sive gentium incursiones, contra malas bestias, et serpentium ac reptantium diversissimas formas, contra malorum hominum adinventiones pessimas, eorumdem Sanctorum tuorum precibus complacatus, dexteram invictæ potentiæ tuæ ad depulsionem nocivorum, et largitatem proficuorum semper et ubique propitius extende.

Quod sequitur dicit submissa voce legendo, ita tamen, quod à circumstantibus possit audiri.

Per eumdem Dominum nostrum Jesum-Christum Filium tuum : Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Deinde dicit :

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine Deus omnipotens, qui ut murmur insani populi compesceres, et sacerdotium Aaron tibi placi-

tum comprobares, virgam ejus aridam germinare, et flores fructiferos producere fecisti, eamdemque in arca testamenti pro signo virtutis tuæ poni jussisti, sed et nobis eodem præsagio Christum in ara crucis arefactum, tertia die resurrectione reflorescere, et in Ecclesia novissimo tempore resuscitanda, per mortem suam die ac nocte fructificare demonstrasti : te, quæsumus, indulgentissime generis humani provisor, ut hæc vascula Sanctorum tuorum receptaculo præparata, ita gratuita gratia sanctifices, ut ubicumque in tuo nomine perlata fuerint intercedentibus habitatorum ipsorum meritis, cuncta adversa repellas et nullifices, et omnia utilia multiplices, atque custodias; quatenus fideles tui magnitudine, sive universitate beneficiorum tuorum, in parte modica Reliquiarum, integra Sanctorum corpora se percepisse gratulentur; et per temporalia loca ipsorum precibus impensa, et æterna cum eis gaudia possidenda fiducialius animentur per eumdem Dominum nostrum Jesum-Christum Filium tuum : Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Tunc aspergat eas aqua benedicta.

BENEDICTIO NOVÆ CRUCIS.

(Ex Pontif. Rom.).

Nova Crux seu tabula, in qua Crucifixus est depictus, hoc modo benedicitur. Paratis thure thuribuloque cum igne et aqua benedicta, Pontifex vel Sacerdos paratus Rocheto, stola, pluviali rubri coloris, stans dicit :

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Bene✠dic, Domine Jesu-Christe, hanc Crucem tuam, per quam eripuisti mundum à potestate dæmonum, et superasti Passione tua suggestorem peccati, qui gaudebat in prævaricatione primi hominis per ligni vetiti sumptionem : Qui cum Deo Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

OREMUS.

Rogamus te, Domine sancte, Pater omnipotens, sempiterne Deus, ut digneris bene✠dicere hoc signum Crucis tuæ, ut sit remedium salutare generi humano : sit soliditas fidei ; profectus bonorum operum ; redemptio animarum ; sit solamen et protectio ac tutela contra sæva jacula inimicorum. Per Dominum nostrum Jesum-Christum Filium tuum : Qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus.

Deinde dicit mediocri voce, extensis manibus ante pectus, præfationem.

℣. Per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.
℣. Sursum corda. ℟. Habemus ad Dominum.
℣. Gratias agamus Domino Deo nostro.
℟. Dignum et justum est.

Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, cujus sanctum ac terribile nomen inter ceteras visibiles creaturas, ligna quoque fructifera laudare ac benedicere non cessant : Qui in figuram unigenitæ sapientiæ tuæ ligno vitæ à principio paradisum voluptatis ornasti, ut ejusdem fructus sacro mysterio protoparentes nostri generis mortem cavere, et vitam admoneres obtinere perpetuam : Quique nos vetitæ arboris attactu justæ morti addictos, ejusdem coæternæ tibi sapientiæ Dei et Domini nostri Jesu-Christi innoxia morte ad vitam misericorditer revocare dignatus es; te supplices exoramus, ut hoc singulare signum, quod ad exemplum primi illius sacratissimi vexilli, quo pretioso Filii tui sanguine triumphasti, fidelium tuorum devotione compactum erectumque est, cœlesti tua bene ✠ dictione sanctificare digneris; ut omnibus hic genua flectentibus ac tuæ Majestati supplicantibus largior et cordis compunctio, et admissorum indulgentia concedatur; atque intercedente ipsa victoriosissima unigeniti Filii tui Passione, et tibi placita postulare, et citius valeant postulata percipere. Da, quæsumus clementissime Pater, in quo vivimus, movemur, et sumus, ut quoties triumphum divinæ humilitatis, quæ superbiam nostri hostis dejecit, oculis intuemur, quotiesque mente recolimus, et contra hostem ipsum fiduciam fortitudinis, et majorem tibi devotæ humilitatis gratiam consequamur. Quatenus in illo tremendo tuæ majestatis examine, cum paventibus elementis, cœlorumque com-

motis virtutibus, signum istud glorificum Redemptionis nostræ apparuerit in cœlo, ipsi de morte ad vitam transire, ac perpetua beatæ resurrectionis videre gaudia mereamur.

Quod sequitur dicit submissa voce legendo, ita tamen quod à circumstantibus audiri possit.

Per eumdem Dominum nostrum Jesum-Christum Filium tuum : Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

OREMUS.

Deus, qui beatæ Crucis patibulum, quod prius erat scelestis ad pœnam, convertisti redempti ad vitam : concede plebi tuæ ejus vallari præsidio, cujus est armata vexillo. Sit ei Crux fidei fundamentum : spei suffragium, in adversis defensio, in prosperis adjuvamen : sit ei in hostes victoria, in civitate custodia, in campis protectio, in domo fultura ; ut per eam pastor in futuro gregem conservet incolumem, quæ nobis Agno ✠ vincente, conversa es in salutem. Per eumdem Dominum nostrum Jesum-Christum Filium tuum : Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

OREMUS.

Sancti ✠ fica, Domine Jesu-Christe, signaculum istud Passionis tuæ, ut sit inimicis tuis obstaculum, et credentibus in te perpetuum efficiatur victoriæ vexillum : Qui cum Deo Patre vivis et regnas in unitate

Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Tum offertur Pontifici seu Sacerdoti thus in navicula, quod benedicit, dicens:

OREMUS.

Domine Deus omnipotens, cui assistit exercitus Angelorum cum tremore, quorum servitium spirituale et igneum esse cognoscitur, dignare respicere, bene✠dicere, et sancti✠ficare hanc creaturam incensi; ut omnes languores, omnesque infirmitates atque insidiæ inimici odorem ejus scientes effugiant, et separentur à plasmate tuo; ut numquam lædatur à morsu antiqui serpentis quod pretioso Filii tui sanguine redemisti. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Quo facto, Pontifex seu Sacerdos imponit thus in thuribulum. Deinde aspergit Crucem aqua benedicta, et mox eam incensat. Postea stans dicit:

Sanctificetur lignum istud, in nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus✠ Sancti: et benedictio illius ligni, in quo membra sancta Salvatoris suspensa sunt, sit in isto ligno; ut orantes inclinantesque se propter Deum ante istam Crucem, inveniant corporis et animæ sanitatem. Per eumdem Dominum, etc. ℟. Amen.

Tum flexis ante Crucem genibus, ipsam devote adorat, et osculatur. Idem faciunt quicumque alii voluerint.

Si vero Crux est ex metallo vel lapide, loco præcedentis orationis, videlicet, Sanctificetur, etc., *stans dicit sequentem orationem:*

Deus gloriæ, Deus excelse Sabaoth, fortissime Em-

manuel, Deus Pater veritatis, Pater sapientiæ, Pater beatitudinis, Pater illuminationis, ac vigilationis nostræ, qui mundum regis, qui cuncta regna disponis, qui es bonorum collator munerum, et bonorum omnium attributor; cui omnes gentes, populi, tribus, et linguæ serviunt; cui assistit omnis Angelorum legio; qui largiris famulis tuis fidem et laudem tui nominis, ut debita tibi oblata persolvant, cui prius fides offerentium complacet, deinde sacrificatur oblatio: quæsumus exorabilem misericordiæ tuæ pietatem, ut sancti ✠ fices tibi hoc signum Crucis et conse ✠ cres, quod tota mentis devotione famulorum tuorum religiosa fides construxit, trophæum scilicet victoriæ tuæ ac redemptionis nostræ, quod in amorem Christi triumphalis gloria consecravit. Aspice hoc signum Crucis insuperabile, per quod diaboli est exinanita potestas, mortalium restituta libertas: quæ licet fuerit aliquando in pœnam, sed nunc versa est in honorem per gratiam; et quæ reos quondam puniebat supplicio, nunc et noxios absolvit à debito. Et tibi quid per hoc placere potuit, nisi id per quod tibi placuit nos redimere? Et nullum tibi debitum amplius munus est, quam quod tibi nunc corporis dedicavit affixo; nec tibi est magis familiaris oblatio, quam quæ familiari manuum tuarum extensione sacrata est. Illis ergo manibus hanc Crucem accipe, quibus illam amplexus es, et de sanctitate illius hanc sancti ✠ fica; et sicuti per illam mundus expiatus est à reatu, ita offerentium famulorum tuorum animæ devotissimæ hujus Crucis merito, omni careant perpe-

trato peccato; et tuæ veræ Crucis obtectu, enitescant successibus assiduis triumphatores. Radiet hic unigeniti Filii tui Domini nostri splendor divinitatis in auro; emicet gloria passionis ejus in ligno; in Cruce rutilet nostræ mortis redemptio; in crystalli splendore vitæ nostræ purificatio. Sit suorum protectio; spei certa fiducia; eos simul cum gente et plebe, fide confirmet; spe et pace consociet; augeat triumphis, amplificet in secundis; proficiat eis ad perpetuitatem temporis, ad vitam æternitatis; ut eos temporali florentes gloria muniat, et ad perpetuam redemptos coronam, ad regna cœlestia potenti virtute perducat. Præsta per propitiationem Sanguinis ejus, per ipsum datorem, qui seipsum dedit redemptionem pro multis, qui se hostiam pro delictis offerre dignatus est, qui exaltatus in ligno Crucis suæ principatus et potestates humiliavit: qui tecum sidereo considet throno, indissolubili connexione Spiritus Sancti, per infinita sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Tum flexis ante Crucem genibus, eam devote adorat, et osculatur; idem faciunt quicumque alii voluerint.

BENEDICTIO IMAGINUM JESU-CHRISTI DOMINI NOSTRI, BEATÆ MARIÆ VIRGINIS, ET ALIORUM SANCTORUM.

(Ex Pont. et Rit. Rom. et Col. P. Sannig).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, qui Sanctorum tuorum imagines (*sive* effigies) sculpi, aut pingi non reprobas, ut quoties illas oculis corporis intuemur, toties eorum actus et sanctitatem ad imitandum memoriæ oculis meditemur : hanc, quæsumus, imaginem (*seu* sculpturam in honorem et memoriam Unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu–Christi, *vel* Beatissimæ Virginis Mariæ Matris Domini nostri Jesu-Christi, *vel* beati N. Apostoli tui, *vel* Martyris, *vel* Confessoris, *aut* Pontificis, *aut* Virginis) adaptatam bene ✠ dicere, et sancti ✠ ficare digneris : et præsta ut quicumque coram illa Unigenitum Filium tuum (*vel* Beatissimam Virginem, *vel* gloriosum Apostolum, *sive* Martyrem, *sive* Confessorem, *aut* Virginem) suppliciter colere et honorare studuerit, illius meritis et obtentu à te gratiam in præsenti, et æternam gloriam obtineat in futurum. Per Dominum nostrum Jesum-Christum Filium tuum : Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, etc. ℟. Amen.

Ultimo aspergat eas aqua benedicta.

ALIA BENEDICTIO ICONIS, SEU IMAGINIS.

(Ex Collectar. Sacr. Ord. FF. PP. et Col. P. Sannig).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, Majestatem tuam suppliciter exoramus : ut Iconem hanc, in qua gloriosissima Imago *(vel* Imagines*)* tua, et Filii tui Domini nostri Jesu-Christi, *vel* gloriosæ Virginis Mariæ Matris ejus, *vel* Sanctorum N. et N. depicta est *(vel* sunt*)* bene ✠ dicere, et sancti ✠ ficare digneris, atque quicumque ob devotionem se ad ipsam devote adorandam inclinaverint, salutem mentis et corporis consequantur, et à cunctis periculis liberentur : et quidquid juste petierint, obtinere mereantur : Per eumdem Christum, etc.

Aspergatur aqua benedicta.

ALIA BENEDICTIO IMAGINIS B. MARIÆ VIRGINIS.

Ex Pontif. Rom.).

Pontifex seu Sacerdos benedicturus imaginem beatæ Mariæ Virginis, paratus supra rochetum, stola, pluviali albi coloris stans, dicit :

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus, qui de beatæ Mariæ Virginis utero Verbum tuum, Angelo nuntiante, carnem suscipere voluisti :

præsta supplicibus tuis: ut qui vere eam Genitricem Dei esse credimus, ejus apud te intercessionibus adjuvemur. Per eumdem Christum Dominum nostrum ℟. Amen.

Quo facto, aspergit figuram aqua benedicta. Deinde inchoat, schola prosequente antiphonam:

Sub tuum præsidium.

Qua incepta, et dum ea cantatur, thurificat imaginem ipsam ter ducens thuribulum. Deinde sedet, donec compleantur Antiphonæ et Psalmi sequentes.

Sub tuum præsidium confugimus, sancta Dei Genitrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus: sed à periculis cunctis libera nos semper, Virgo gloriosa et benedicta.

Tempore paschali Antiphona: Alleluia, alleluia.

PSALMUS LXXXVI.

Fundamenta ejus in montibus sanctis: * diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob.
Gloriosa dicta sunt de te, * civitas Dei.
Memor ero Rahab et Babylonis, * scientium me.
Ecce alienigenæ, et Tyrus, et populus Æthiopum, * hi fuerunt illic.
Numquid Sion dicet, Homo, et homo natus est in ea: * et ipse fundavit eam Altissimus?
Dominus narravit in scripturis populorum et principum; * horum qui fuerunt in ea.
Sicut lætantium omnium, * habitatio est in te.
Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, etc.

Deinde dicitur Antiphona :

Ave Maria, gratia plena. Dominus tecum : Benedicta tu in mulieribus. Alleluia.

PSALMUS CXXII.

Ad te levavi oculos meos, * qui habitas in cœlis.

Ecce sicut oculi servorum, * in manibus dominorum suorum.

Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ : * ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.

Miserere nostri Domine, miserere nostri : * quia multum repleti sumus despectione.

Quia multum repleta est anima nostra : * opprobrium abundantibus, et despectio superbis.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, etc.

Finitis Antiphonis et Psalmis prædictis surgit et dicit :

OREMUS.

Deus, qui virginalem aulam beatæ Mariæ Virginis, in qua habitares, eligere dignatus es : da quæsumus, ut sua nos defensione munitos, jucundos facias suæ interesse commemorationi : Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Deinde incipit Antiphonam, schola prosequente :

O gloriosa Dei Genitrix Virgo semper Maria, quæ Dominum omnium meruisti portare, et Regem Angelorum sola Virgo lactare : nostri, quæsumus, pia memorare, et pro nobis Jesum-Christum deprecare, ut

tuis fulti patrociniis, ad cœlestia regna mereamur pervenire.

Canticum B. Mariæ Virg. Lucæ, 1.

Magnificat * anima mea Dominum.
Et exultavit spiritus meus * in Deo salutari meo.
Quia respexit humilitatem ancillæ suæ : * ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.
Quia fecit mihi magna qui potens est, * et sanctum nomen ejus.
Et misericordia ejus à progenie in progenies * timentibus eum.
Fecit potentiam in brachio suo : * dispersit superbos mente cordis sui.
Deposuit potentes de sede, * et exaltavit humiles.
Esurientes implevit bonis : * et divites dimisit inanes.
Suscepit Israel puerum suum, * recordatus misericordiæ suæ.
Sicut locutus est ad patres nostros, * Abraham, et semini ejus in sæcula.
Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, etc.

Deinde dicit :

OREMUS.

Deus, qui de beatæ Mariæ Virginis utero Verbum tuum, Angelo nuntiante, carnem suscipere voluisti : præsta supplicibus tuis ; ut qui vere eam Genitricem Dei esse credimus, ejus apud te intercessionibus adjuvemur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, clementissima cujus dispositione cuncta creantur ex nihilo, hanc imaginem in honorem piissimæ Genitricis Filii tui Domini nostri Jesu-Christi venerabiliter adaptatam bene ✠ dicere, et sancti ✠ ficare digneris : et præsta misericordissime Pater, per invocationem nominis tui, atque ejusdem unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu-Christi, quem pro salute generis humani integritate Virginis Mariæ servata incarnari voluisti, quatenus precibus ejusdem sacratissimæ Virginis, quicumque eamdem misericordiæ Reginam, et gratiosissimam Dominam nostram coram hac effigie suppliciter honorare studuerit, et de instantibus periculis eruantur, et in conspectu divinæ Majestatis tuæ de commissis veniam impetrent ; ac mereantur, in præsenti gratiam quam desiderant adipisci ; et in futuro perpetua salvatione cum electis tuis valeant gratulari. Per eumdem Dominum nostrum Jesum-Christum Filium tuum : Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Ultimo aspergat imaginem aqua benedicta.

CAPUT SECUNDUM.

BENEDICTIONES CRUCIS, CORONÆ VEL ROSARII, NUMISMATIS VEL IMAGINIS D. N. J. C., B. V. MARIÆ ET ALIORUM SANCTORUM, QUÆ FIUNT CUM APPLICATIONE INDULGENTIARUM D. BIRGITTÆ NUNCUPATARUM, ET EARUM, QUÆ A SUMMO PONTIFICE SUNT CONCESSÆ ET CONTINENTUR IN ELENCHO EX TYP. R. C. A. ANNO 1831 EDITO.

Hujusmodi benedictiones fieri non possunt nisi ab habentibus facultatem seu privilegium Sedis Apostolicæ.

PRO CRUCE, ET ETIAM PRO CRUCE NOVA.

(Ex Rit. Rom. ex Hor. diur. Brev. et Col. P. Sannig).

Si fuerint plures, mutetur numerus.

℣. Adjutorium nostrum ✠ in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Rogamus te, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, ut digneris bene ✠ dicere hoc signum Crucis, ut sit remedium salutare generi humano, sit soliditas fidei, profectus bonorum operum, redemptio animarum, sit solamen et protectio, ac tutela contra sæva jacula inimicorum. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

OREMUS.

Bene ✠ dic, Domine Jesu-Christe, hanc Crucem tuam, per quam eripuisti mundum à potestate dæmonum, et superasti passione tua suggestorem peccati, qui gaudebat in prævaricatione primi hominis per ligni vetiti sumptionem.

Hic aspergat Crucem aqua benedicta, et dicat:

Sanctificetur hoc signum Crucis in nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti, ut orantes, inclinantesque se propter Dominum ante istam Crucem inveniant corporis et animæ sanitatem. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Postea Sacerdos genuflexus ante Crucem devote adorat, et osculatur, et idem faciunt quicumque voluerint.

PRO CORONA VEL ROSARIO.

(Ex Horis diurnis Breviarii).

Si fuerint plures mutetur numerus.

℣. Adjutorium nostrum ✠ in nomine Domini
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Omnipotens et misericors Deus, qui propter eximiam charitatem tuam, qua dilexisti nos, Filium tuum

unigenitum Dominum nostrum Jesum-Christum de cœlis in terram descendere, et de Beatæ Virginis Mariæ Dominæ nostræ utero sanctissimo, Angelo nuntiante, carnem suscipere, Crucemque et mortem subire, et tertia die gloriose à mortuis resurgere voluisti, ut nos eriperes de potestate tenebrarum; obsecramus immensam clementiam tuam, ut hoc signum Rosarii in honorem et laudem ejusdem Genitricis Filii tui bene ✠ dicas, et sancti ✠ fices, eique tantam infundas virtutem Spiritus Sancti ut quicumque illud super se portaverit, atque attente et devote recitaverit, per invocationem sancti Nominis tui, corporis et animæ tutelam percipiat. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde aspergit illud aqua benedicta.

PRO IMAGINE VEL NUMISMATE.

(Ex Horis diurnis Breviarii).

Si fuerint plures vel plura mutetur numerus.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, qui Sanctorum tuo-

rum imagines (*sive* effigies) sculpi aut pingi non reprobas, ut quoties illas oculis corporis intuemur, toties eorum actus et sanctitatem ad imitandum memoriæ oculis meditemur : hanc, quæsumus, imaginem (*seu* sculpturam) in honorem et memoriam Unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu-Christi (*vel* Beatissimæ Virginis Mariæ Matris Domini nostri Jesu-Christi, *vel* Beati N. Apostoli, *vel* Martyris, *vel* Confessoris, *aut* Pontificis, *aut* Virginis) adaptatam bene ✠ dicere, et sancti ✠ ficare digneris : et præsta, ut quicumque coram illa Unigenitum Filium tuum (*vel* Beatissimam Virginem, *vel* gloriosum Apostolum, *sive* Martyrem, *sive* Confessorem, *aut* Virginem) suppliciter colere et honorare studuerit, illius meritis et obtentu à te gratiam in præsenti, et æternam gloriam obtineat in futuro. Per eumdem Christum, etc.

Deinde aspergit eas vel ea aqua benedicta.

Nota. *Prædictæ indulgentiæ possunt applicari sequenti modo :*

Et ego, ex facultate mihi ab Apostolica Sede commissa, applico tibi, concedo et facio participem Indulgentiarium, quæ continentur in Elencho ex Typographia Reverendæ Cameræ Apostolicæ anno 1831 edito, et Divæ Birgittæ nuncupatarum : In nomine Pa ✠ tris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

TITULUS IX, ET ULTIMUS.

DE BENEDICTIONIBUS SCAPULARIUM, DE FORMULIS ADMITTENDI IN CONFRATERNITATES ET EMITTENDI PROFESSIONEM, ATQUE DE APPLICATIONE INDULGENTIÆ IN ARTICULO MORTIS.

Benedictiones et applicationes Indulgentiarum in hoc nono et ultimo titulo contentæ fieri non possunt nisi ab habentibus facultatem à respectivis Superioribus.

BENEDICTIO ROSARIORUM.

(Ex Collect. Sacri Ord. FF. PP. et Rit. Vicen. et Urg.).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Omnipotens, et misericors Deus, qui propter eximiam charitatem tuam, qua dilexisti nos, Filium tuum unigenitum Dominum nostrum Jesum-Christum de cœlis in terram descendere, et de Beatissimæ Virginis Mariæ Dominæ nostræ utero sacratissimo Angelo nuntiante, carnem suscipere, crucemque ac mortem subire, et tertia die gloriose à mortuis resurgere voluisti, ut nos eriperes de potestate diaboli : obsecramus im-

mensam clementiam tuam, ut hæc signa Rosarii in honorem et laudem ejusdem Genitricis Filii tui ab Ecclesia tua fideli dicata, bene ✠ dicas, et sancti ✠ fices, eisque tantam infundas virtutem Spiritus Sancti, ut quicumque horum quodlibet secum portaverit, atque in domo sua reverenter tenuerit, et in eis ad te secundum ejusdem sanctæ societatis instituta divina contemplando mysteria devote oraverit, salubri et perseveranti devotione abundet, sitque consors et particeps omnium gratiarum, privilegiorum, et indulgentiarum quæ eidem societati per sanctam Sedem Apostolicam concessa fuerunt, ab omni hoste visibili et invisibili semper et ubique in hoc sæculo liberetur; et in exitu suo ab ipsa Beatissima Virgine Maria Dei Genitrice tibi plenus bonis operibus præsentari mereatur. Per eumdem Jesum-Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Aspergantur, etc., dicendo : In nomine Patris, etc.

BENEDICTIO ROSARUM IN FESTO ROSARII B. MARIÆ VIRGINIS (VULGO DEL ROSARIO).

(Ex Collect. Sacri Ord. FF. PP. Rit. Vicen. et Urg.).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus, Creator, et Conservator generis humani, da-

tor gratiæ spiritualis et largitor æternæ salutis, benedictione tua sancta bene ✠ dic has Rosas, quas pro gratiis tibi exolvendis, cum devotione, ac veneratione Beatæ semperque Virginis Mariæ Rosarii hodie tibi præsentamus, et petimus benedici, et infundi in eis per virtutem sanctæ Cru ✠ cis benedictionem cœlestem; ut qui eas ad odoris suavitatem, et repellendas infirmitates humano usui tribuisti, talem signaculo sanctæ Cru ✠ cis benedictionem accipiant, ut quibuscumque infirmitatibus appositæ fuerint, seu qui eas in domibus suis portaverint ab infirmitate sanentur; discedant diaboli, contremiscant, et fugiant pavidi, cum suis ministris de habitationibus illis; nec amplius tibi servientibus inquietare præsumant. Per Jesum-Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Aspergantur, etc., dicendo : In nomine Patris, etc.

BENEDICTIO CEREORUM ET CANDELARUM SOCIETATIS SS. ROSARII CUM INDULG. PLEN. PRO CONFRATRIBUS IN ART. MORTIS CONSTITUTIS.

(Ex Collect. Sacri Ord. FF. PP.).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine Jesu-Christe, lux vera, qui illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, effunde

per intercessionem Virginis Mariæ Matris tuæ, et per quindecim ejus Rosarii mysteria bene ✠ dictionem tuam super hos cereos, et candelas, et sanctifica eas lumine tuæ gratiæ; et concede propitius, ut sicut hæc luminaria igni visibili accensa, nocturnas depelluut tenebras, ita corda nostra invisibili igne, id est Spiritus ✠ Sancti splendore illustrata, omnium vitiorum cæcitate careant; ut pro mentis oculo cernere semper possimus, quæ tibi sunt placita, et nostræ saluti utilia quatenus post hujus sæculi caliginosa discrimina ad lucem indeficientem pervenire mereamur. Qui vivis et regnas Deus in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Aspergantur, etc., dicendo: In nomine Patris, etc.

BENEDICTIO PUTEI, VEL AQUÆ IN VIGILIA S. DOMINICI ORD. PP. PRÆDICAT.

(Ex Ritual. Ord. FF. PP.).

Antiph. Sub tuum præsidium confugimus, Sancta Dei Genitrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus, sed à periculis cunctis libera nos semper Virgo gloriosa et benedicta.

Antiph. Magne Pater, Sancte Dominice, mortis hora nos tecum suscipe, et hic semper nos pie respice.

℣. Post partum Virgo inviolata permansisti.

℟. Dei Genitrix intercede pro nobis.

℣. Ora pro nobis Sancte Pater Dominice.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo

OREMUS.

Protege, Domine, famulos tuos subsidiis pacis, et Beatæ Mariæ semper Virginis patrociniis confidentes à cunctis hostibus redde securos.

Concede, quæsumus omnipotens Deus, ut qui peccatorum nostrorum pondere premimur, beati Dominici confessoris tui Patris nostri patrocinio sublevemur.

Magnitudinem tuæ potentiæ interpellamus, omnipotens Deus, qui ex uno paradisi fonte quatuor flumina produxisti; qui preces pueri Abrahæ in Mesopotamia exaudisti; qui famulo tuo Moysi petram percutere jussisti, et populum tuum in deserto ex aqua de petra potasti; qui aquam amaram immisso ligno dulcorasti; te supplices exoramus, ut nobis bene ✠ dicentibus hanc aquam bene ✠ dicas, et sancti ✠ fices in nomine Sanctissimi Patris nostri Dominici; ut quicumque biberint ex ea ab omni febri atque infirmitate sanentur. Per Dominum, etc.

Hic cum reliquiis fit super aquam signum sanctæ Crucis, et statim canitur, vel dicitur Te Deum, etc.

ABSOLUTIO SEU APPLICATIO INDULGENTIÆ PLENARIÆ CONFRATRIBUS SS. ROSARII IN ARTICULO MORTIS CONSTITUTIS, CUJUS PARTICIPES SUNT TERTIARII, SIVE CONFRATRES SINT, SIVE NON, PROPTER COMMUNICATIONEM INDULGENTIARUM CONCESSAM A SUMMIS PONTIFICIBUS.

(Ex Collect. et Brev. Sacri Ord. FF. PP.).

Infirmus dicat ore vel corde : Confiteor Deo, etc.

Sacerdos. Misereatur tui omnipotens Deus et di-

mittat tibi omnia peccata tua, liberet te ab omni malo, salvet, et confirmet in omni opere bono, et perducat te ad vitam æternam. *Infirmus.* Amen.

Sacerdos. Indulgentiam, absolutionem, et remissionem omnium peccatorum tuorum tribuat tibi Omnipotens et misericors Dominus. *Infirmus.* Amen.

Sacerdos. Dominus noster Jesus-Christus Filius Dei vivi, qui Beato Petro Apostolo suo dedit potestatem ligandi, atque solvendi; per suam piissimam misericordiam accipiat confessionem tuam, et remittat tibi omnia peccata quæcumque, et quomodocumque in toto vitæ decursu commisisti; de quibus corde contritus, et ore confessus es, restituens tibi stolam primam quam in baptismate recepisti. Et per indulgentiam plenariam à Summis Pontificibus Innocentio VIII, et Pio V, confratribus sanctissimi Rosarii in articulo mortis constitutis concessam, liberet te à præsentis, ac futuræ vitæ pœnis, dignetur Purgatorii cruciatus remittere, portas inferni claudere, Paradisi januam aperire, teque ad gaudia sempiterna perducere, per sacratissima suæ vitæ, passionis, et glorificationis mysteria Sanctissimo Rosario comprehensa. Qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

BENEDICTIO CINGULI D. THOMÆ AQUINATIS

(Ex Collect. Sacri Ord. FF. PP.).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine Jesu-Christe Fili Dei vivi, puritatis amator et custos; obsecramus clementiam tuam, ut sicut ministerio Angelorum Beatum Thomam cingulo castitatis cingere, et à labe corporis et animæ præservari fecisti, ita ad honorem, et gloriam ejus bene ✠ dicere, et sancti ✠ ficare digneris hoc cingulum, ut quicumque ipsum circa renes reverenter portaverit, ab omni immunditia mentis et corporis purificetur, atque in exitu suo per manus sanctorum Angelorum tibi digne præsentari mereatur. Qui cum Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas Deus per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Aspergatur aqua benedicta.

MODO DE RECIBIR EL HÁBITO DE LA TERCERA ÓRDEN TITULADA PRIMERAMENTE DE LA MILICIA DE JESUCRISTO, Y DESPUÉS DE LA PENITENCIA DEL PADRE SANTO DOMINGO DE GUZMAN.

(Ex Regul. et Constitut. 3 Ord. P. S. Dominici).

Aquel que habrá de tomar el santo hábito de la Tercera Órden, será admitido en el lugar del Capítulo de dicha Órden Tercera, ó en el Altar mayor del convento de Predicadores del Lugar ó Ciudad por el P. M. Director, ó su Vicario, asistido de algunos Religiosos de la Órden de Predicadores, y estando presente el Prior de dicha Tercera Órden, ó su sustituto. Arrodillado

allí el pretendiente se le preguntará : ¿Qué pide V.? *Y habiendo respondido :* La misericordia de Dios y de la Tercera Órden : *después de la breve exhortacion que le hará el P. Director, bendecirá el hábito como se sigue :*

BENEDICTIO HABITUS [1], ET SCAPULARIS BEATÆ MARIÆ VIRGINIS ROSARII.

(Ex Reg. præd. ex Collect. S. Ord. FF. PP. et ex Rit. Vic.).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Ostende nobis Domine misericordiam tuam.
℟. Et salutare tuum da nobis.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℣. Et clamor meus ad te veniat.
℟. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine Jesu-Christe, qui tegimen nostræ mortalitatis induere dignatus es, obsecramus immensæ largitatis tuæ abundantiam, ut hoc genus vestimentorum, quod Sancti Patres ad innocentiæ et humilitatis indicium ferre sanxerunt, ita bene ✠ dicere digneris, ut qui hoc usus fuerit, te induere mereatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Después de bendecido el hábito, inmediatamente vestirá al pretendiente el P. M. Director, entonando : Ve-

[1] El Escapulario es el hábito, que regularmente se bendice para semejantes funciones: por lo que deben considerar los Hermanos, que él es la divisa de una vida inocente, y que vestidos de tal prenda quedan bajo la proteccion especial de María santísima y del P. S. Domingo

ni Creator Spiritus; *cuyo himno proseguirán cantando todos los Religiosos.*

Veni Creator Spíritus,
Mentes tuorum visita:
Imple superna gratia,
Quæ tu creasti pectora.
Qui Paraclitus diceris,
Donum Dei Altissimi:
Fons vivus, ignis, charitas,
Et spiritalis unctio.
Tu septiformis munere,
Dexteræ Dei tu digitus:
Tu rite promissum Patris,
Sermone ditans guttura.
Accende lumen sensibus,
Infunde amorem cordibus:
Infirma nostri corporis
Virtute firmans perpeti.
Hostem repellas longius,
Pacemque dones protinus:
Ductore sic te prævio,
Vitemus omne noxium.
Per te sciamus, da Patrem
Noscamus atque Filium:
Te, utriusque Spiritum,
Credamus omni tempore.
Sit laus Patri cum Filio,
Sancto simul Paraclito:
Nobisque mittat Filius
Charisma S. Spiritus. Amen.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster, etc.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos à malo.
℣. Emitte Spiritum tuum, et creabuntur.
℟. Et renovabis faciem terræ.
℣. Ora pro nobis, Beate Pater Dominice.
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.
℣. Salvum fac servum tuum Domine.
℟. Deus meus sperantem in te.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere.

Concede quæsumus Omnipotens Deus, ut qui pec-

catorum nostrorum pondere premimur, B. Dominici Confessoris tui Patris nostri patrocinio sublevemur.

Prætende, Domine, famulo tuo dexteram cœlestis auxilii, ut te toto corde perquirat, ut quæ digne postulat assequatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Si fuesen muchos, mudará el singular en plural, y en órden á las Hermanas se hará lo mismo que se ha dicho de los Hermanos, á excepcion del ósculo de paz que se hace con solas las otras Hermanas entre sí, y la Priora ú otra Hermana en su lugar las vestirá el hábito, así como á los Hermanos el P. M. Director. Este después los bendecirá, aspergerá agua bendita, y con los Hermanos presentes los recibirá al ósculo de paz.

DE LA PROFESION.

Cumplido el año de noviciado, ó antes, si parece al P. M. Director, al Prior de la Tercera Órden, ó á quien estos hubiesen hecho comision, juntamente con la mayor parte de los Hermanos de dicha Tercera Órden, que el Novicio se halla hábil para poder profesar, será admitido á la Profesion, y se ejecutará en la forma siguiente en manos del P. M. Director, ó de aquel que queda en su lugar, y en manos del Prior, ó Priora.

A honra y gloria de Dios omnipotente, Padre, Hijo, y Espíritu Santo, y de la bienaventurada Vírgen María, y del P. S. Domingo, yo N. delante de Vuestras Reverencias el P. N. Director, y el señor Prior de la Órden de la Penitencia de Santo Domingo de este lugar, ó ciudad, profeso que quiero vivir en adelante

segun la Regla y forma de los Hermanos y Hermanas de la misma Órden de la Penitencia hasta la muerte.

Profesarán del mismo modo las mujeres delante del P. M. Director.

ABSOLUCION, É INDULGENCIA CONCEDIDA POR SIXTO IV, QUE SE APLICA Á LOS TERCIARIOS MORIBUNDOS.

Dicha la Confesion general por el enfermo, ó por otro en lugar de él, dirá el Sacerdote, Misereatur tui, etc., *y luego :*

Dominus Noster Jesus-Christus Filius Dei vivi, qui Beato Petro Apostolo suo dedit potestatem ligandi atque solvendi, per suam piissimam misericordiam te absolvat. Et autoritate ipsius, et Beatorum Petri et Pauli, et autoritate Apostolica mihi commissa, et tibi concessa : Ego absolvo te à vinculo excommunicationis majoris et minoris, suspensionis et interdicti, si teneris, in quantum ego possum : Et restituo te Sanctis Sacramentis Ecclesiæ, Communioni et unitati fidelium. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. ℟. Amen.

Item, eadem autoritate mihi commissa, et tibi concessa ab eadem Sede Apostolica, Ego absolvo te ab omnibus peccatis tuis, quæcumque toto decursu vitæ tuæ quomodocumque commisisti, de quibus corde contritus, et ore confessus es, et quorum memoriam non habes, nec recordaris usque in præsentem diem, et de quibus confiteri minime recordatus fuisti ; et restituo te illi innocentiæ, in qua eras, quando baptizatus fuisti, ac puritati eidem, in quantum claves Sanctæ Matris Ecclesiæ se extendunt.

Remitto tibi etiam pœnas Purgatorii, quas propter culpas et offensas contra Deum, et proximum, et te ipsum commissas incurristi; si de qua ægrotas infirmitate decedas; si non, ex misericordia Dei salva, sit tibi donec fueris in mortis articulo constitutus. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. ℟. Amen.

BENEDICTIO SACRI SCAPULARIS BEATÆ MARIÆ VIRGINIS DE MONTE CARMELO.

(Ex Spec. Carm. et Col. P. Sannig).

℣. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam.
℟. Et salutare tuum da nobis.
℣. Domine Deus virtutum converte nos.
℟. Et ostende faciem tuam, et salvi erimus.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Suppliciter te, Domine, rogamus, ut super hunc habitum servo tuo imponendum bene ✠ dictio tua benigna descendat, ut sit benedictus, atque divina virtute procul pellantur hostium nostrorum visibilium et invisibilium tela nequissima. ℟. Amen.

OREMUS.

Caput omnium fidelium Deus, et humani generis Salvator, hunc habitum, quem propter tuum, tuæque Genitricis V. Mariæ de Monte Carmelo amorem, atque devotionem servus tuus est delaturus, dextera tua

sancti ✠ fica, et hoc, quod per illum mystice datur intelligi, tua semper custodia corpore et animo servetur, et ad remunerationem perpetuam cum Sanctis omnibus felicissime perducatur. Qui vivis et regnas, etc. ℟. Amen.

OREMUS.

Creator, et Conservator, et Salvator omnium, largitor humanæ salutis Deus, et dator gratiæ spiritualis, bene ✠ dictionem tuam super hunc habitum immitte, ut qui eum gestaverit, cœlesti virtute munitus, et fidem integram, spem firmam, et charitatem desideratam teneat, et à te numquam separari permittas. Qui vivis et regnas, etc. ℟. Amen.

Aspergatur aqua benedicta.

ALIA BENEDICTIO SCAPULARIS S. V. MARIÆ DE MONTE CARMELO.

(Ex Praxi S. Alph. M. de Ligorio)

Sacerdos conversus ad habitum dicat :

℣. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam, etc., *ut supra pag. 311.*

OREMUS.

Caput omnium fidelium Deus, etc., *ut supra pag. 311.*

Deinde aspergat aquam benedictam super Habitum, et postea ipsum imponat personæ recipienti dicens :

Accipe, vir devote, hunc Habitum benedictum, precans SS. Virginem, ut ejus meritis illum perferas

sine macula, et te ab omni adversitate defendat, atque ad vitam perducat æternam. ℟. Amen.

Deinde dicat:

Ego ex potestate mihi tradita, et concessa suscipio, ac recipio te ad participationem omnium orationum, disciplinarum, precum, suffragiorum, eleemosynarum, jejuniorum, vigiliarum, Missarum, Horarum canonicarum, ac ceterorum bonorum spiritualium, quæ passim die nocteque (cooperante misericordia Jesu-Christi) à Religiosis peraguntur. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. ℟. Amen.

Bene ✠ dicat te Conditor Cœli et terræ Deus omnipotens, qui te eligere dignatus est ad Beatæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo Societatem et Confraternitatem; quam precamur, ut in hora obitus tui conterat caput serpentis, qui tibi est adversarius, et tandem tamquam viator palmam et coronam sempiternam hæreditatis consequaris. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Aspergatur recipiens aqua benedicta.

BENEDICTIO AQUÆ S. ALBERTI.

(Ex Spec. Carm.).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Sit nomen Domini benedictum.
℟. Ex hoc nunc et usque in sæculum.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo

OREMUS.

Fidelium Deus omnium fortitudo et salus, qui sacrum B. Petri Apostoli tui febribus magnis detentam, pio rogationis intuitu perfecte sanasti; sancti ✠ fica, et bene ✠ dic creaturam hanc aquæ in tuo sacratissimo nomine, et reliquiis sanctissimi confessoris tui Alberti, quem spreto sæculo ad almæ tuæ Genitricis Religionem vocare dignatus es, et concede ejus gloriosis meritis, atque intercessionibus; ut quicumque febrium vexatione gravantur, per hujus aquæ sumptionem humilem à cunctis animæ et corporis languoribus liberentur, atque Ecclesiæ tuæ repræsentari mereantur, gratiarum tibi actiones in ea jugiter referendo. Qui vivis et regnas cum Deo Patre, etc.

Deinde ponat ter reliquias faciendo tres cruces in aqua, dicendo absolute semel:

Bene ✠ dic, Domine, meritis S. Alberti creaturam ✠ hanc aquæ: qui glorioso tuo corpore bene ✠ dixisti aquas Jordanis; et præsta, ut omnes gustantes ex ea tam corporis quam animæ recipiant sanitatem. Qui vivis et regnas, etc.

Deinde dicitur Antiphona:

O Alberte, norma munditiæ, puritatis et continentiæ, ora Matrem misericordiæ ut in hac valle miseriæ nos defendat ab hoste vetere, ut exuto mortali corpore, perfruamur æterna requie.

℣. Ora pro nobis, B. Alberte.
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

OREMUS.

Concede, quæsumus omnipotens et misericors Deus, ut per virtutem benedictionis hujus aquæ, et per meritum passionis Domini nostri Jesu-Christi, et per intercessionem B. Mariæ V. et B. Alberti, et omnium sanctorum Dei, omnes fideles, qui pie et devote aquam istam gustaverint, et animæ et corporis sanitatem recipere valeant, et in tuo sancto servitio semper permanere. Per Dominum, etc.

Alia Antiphona:

Vacant ægri vigilantes ad Alberti limina, surdi, claudi, consequenter invocantes numina: febres fugat: morbos curat omnes: sanat noxium: ventos placat: maris sedat tœdium.

℣. Jesu dulcis Alberti meritis. ℟. Tuam nobis infunde gratiam.

OREMUS.

Deus, qui B. Albertum confessorem tuum, spreto sæculo, ad almæ tuæ Genitricis Mariæ Religionem vocare dignatus es; tribue nobis quæsumus, ut ejus meritis et exemplis digne tibi servientes, cum ipso in æterna gloria perpetuo te perfrui mereamur. Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

FORMA Y CEREMONIAS DE DAR EL SANTO HÁBITO EN LA TERCERA ÓRDEN DE LA VÍRGEN DEL CÁRMEN.

(Ex Regula tert. Ordinis Carmelitar.).

En el dia en que alguna persona determina vestir el santo hábito de la Tercera Orden de Nuestra Señora del

Cármen, deberá confesar y comulgar devotamente para ganar la indulgencia plenaria, que está concedida para el dia del ingreso, y para prevenirse y disponerse para un fin tan santo. Llevará una vela blanca, que entregará al P. Director, y arrodillada á sus piés, responderá á las siguientes preguntas.

P. Director: Señor, ó Señora, ¿qué es lo que pide?

Responde: Pido por la misericordia de Dios el hábito de la Tercera Órden de Nuestra Señora del Cármen, para servir mas por este medio á Dios y á su santísima Madre, y alcanzar la salvacion de mi alma.

Aquí si parece bien al P. Director podrá hacer una breve exhortacion, é informado el pretendiente de las obligaciones de la regla, le hará la siguiente pregunta:

Director: ¿Podrá V. y se determina á observar y cumplir la regla de dicha Tercera Órden, y perseverar en ella?

Responde: Pienso y creo cumplirla, observarla con la gracia de Dios, y patrocinio de la Vírgen santísima, y oraciones de los hermanos, y perseverar en ella.

Director: Deus qui te incepit in nobis, ipse te perficiat: Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Teniendo en una bandeja el cirio ó vela entregada, un escapulario algo largo (y si puede ser todo estameña), una correa, rosarios ó corona, ó libro (si es que sepa el latin, ó es Sacerdote el pretendiente), hará las bendiciones siguientes el P. Director vestido con el roquete ó capa y estola.

Benedictio Habitus.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Sit nomen Domini benedictum.
℟. Ex hoc nunc et usque in sæculum.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine Jesu-Christe, qui tegumen nostræ mortalitatis induere dignatus es : obsecramus immensam tuæ largitatis abundantiam ; ut hoc genus vestimenti, quod Sancti Patres ad innocentiæ, et humilitatis indicium abrenuntiantes sæculo ferre sanxerunt ; tu ita bene✠dicere digneris, ut hic famulus tuus, *(vel famula tua)* qui *(vel quæ)* hoc indutus *(vel induta)* fuerit vestimento te quoque induere mereatur : qui vivis, et regnas per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen [1].

Benedictio Corrigiæ.

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, pius, et misericors, qui peccatoribus pietatis tuæ misericordiam quærentibus, veniam, et misericordiam tribuisti : oramus immensam clementiam tuam, ut hanc corrigiam bene✠dicere, et sancti✠ficare digneris, ut quicumque ea pro peccatis suis cinctus fuerit, et misericordiam tuam

[1] Hac forma benedictionis utuntur Patres ordinis discalceatorum B. V. Mariæ de Monte Carmelo ad benedicendum suum scapulare.

imploraverit, veniam et indulgentiam tuæ sanctæ misericordiæ consequatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Benedictio Candelæ.

OREMUS.

Domine Jesu-Christe, qui illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, illustra faciem tuam super servum tuum *(vel ancillam tuam)* ut te verum Deum lumen agnoscat, et ardenti caritate diligat. Qui vivis, etc. ℟. Amen.

Benedictio Pater noster vel libri.

OREMUS.

Domine Jesu-Christe, qui discipulos tuos orare docuisti : suscipe quæsumus benedicendo ✠ orationes servi tui *(vel famulæ tuæ)* et eum *(vel eam)* aspirando præveni, et adjuvando prosequere : ut cuncta ejus oratio à te semper incipiat, et per te cœpta finiatur. Per Christum, etc. ℟. Amen.

Aspergantur omnia simul aqua benedicta. Postea dicitur :

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Adesto, Domine supplicationibus nostris, ut famulum tuum *(vel famulam tuam)* bene ✠ dicere digneris, et eum *(vel eam)* cui in tuo nomine habitum sanctæ

Religionis V. Mariæ imponimus, à mundi impedimento vel sæculari desiderio defende, et concede ei in hoc sancto proposito devote persistere, et remissione peccatorum percepta ad electorum valeat pervenire consortium. Per Christum, etc. ℟. Amen.

Director. Antiphona: Suscepimus, Deus, *y se dirán á coros los salmos siguientes:*

PSALMUS XLVII.

Magnus Dominus, et laudabilis nimis: * in civitate Dei nostri in monte sancto ejus.

Fundatur exultatione universæ terræ mons Sion: * latera Aquilonis, Civitas Regis magni.

Deus in domibus ejus cognoscetur: * cum suscipiet eam.

Quoniam ecce Reges terræ congregati sunt: * convenerunt in unum.

Ipsi videntes sic admirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt: * tremor apprehendit eos.

Ibi dolores ut parturientis: * in spiritu vehementi conteres navis Tharsis.

Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Domini virtutum; * in civitate Dei nostri, Deus fundavit eam in æternum.

Suscepimus Deus misericordiam tuam: * in medio templi tui.

Secundum nomen tuum Deus, sic et laus tua in fines terræ: * justitia plena est dextera tua.

Lætetur mons Sion, et exultent filiæ Judæ, * propter judicia tua Domine.

Circumdate Sion, et complectimini eam : * narrate in turribus ejus.

Ponite corda vestra in virtute ejus ; * et distribuite domos ejus ut enarretis in progenie altera.

Quoniam hic est Deus, Deus noster in æternum, et in sæculum sæculi, * ipse reget nos in sæcula.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, etc.

PSALMUS CXXXII.

Ecce quam bonum, et quam jucundum, * habitare fratres in unum.

Sicut unguentum in capite, * quod descendit in barbam barbam Aaron.

Quod descendit in oram vestimenti ejus : * sicut ros Hermon, quod descendit in montem Sion.

Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem, * et vitam usque in sæculum.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, etc.

Antiph. Suscepimus, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui : secundum nomen tuum Deus, sic et laus tua in fines terræ : justitia plena est dextera tua.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos à malo.

℣. Salvum fac servum tuum.

℟. Deus meus sperantem in te.

℣. Mitte ei Domine auxilium de Sancto.

℟. Et de Sion tuere eum.

℣. Nihil proficiat inimicus in eo.

℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Suscipiat te Christus in numero fidelium suorum, et nos licet indigni, te suscipimus in orationibus nostris. Concedat tibi Deus per Unigenitum suum, mediatorem Dei et hominum, tempus bene vivendi, locum bene agendi, constantiam bene perseverandi, et ad æternæ vitæ hereditatem feliciter perveniendi. Et sicut nos hodie fraterna caritas spiritualiter jungit in terris, ita divina pietas, quæ dilectionis est autrix, et amatrix nos cum fidelibus suis conjungere dignetur in cœlis. Per eumdem Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

OREMUS.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, et hunc famulum tuum *(vel famulam tuam)* quem in tuo sancto nomine participationem omnium bonorum spiritualium, et fraternitatem recipimus hujus sacræ Religionis. B. Genitrici tuæ Virgini Mariæ specialiter dicatæ, bene ✠ dicere digneris: et præsta, ut te largiente, devotus in Ecclesiis persistere valeat cum augmento virtutum, atque suffragiis hujusmodi sacri Ordinis adjutus, vitam percipere mereatur æternam. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Director immediate dicit : Induat te Dominus novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, et sanctitate veritatis, in nomine Pa ✠ tris, et Filii, et Spiritus Sancti. ℟. Amen.

Correa. *Deinde porrigat corrigiam dicens :*

Accipe corrigiam super lumbos tuos, ut sint præcincti in signum temperantiæ, et castitatis, in nomine Pa ✠ tris, etc. ℟. Amen.

Escapulario. *Deinde porrigat scapulare dicens :*

Tolle jugum Christi suave, et onus ejus leve, in nomine Pa ✠ tris, etc. ℟. Amen.

Libro ó Corona. *Director accipiens librum, vel Rosarium aut coronam; versus ad altare dicat :*

Septies in die laudes dicat tibi, Domine Jesu-Christe ; ut mens ejus ad superna cœlestia erecta tibi, qui es omnium in te credentium salus sempiterna, inhæreat, qui vivis et regnas, etc. ℟. Amen.

Deinde tradat petenti dicens :

Accipe signum orationum in manibus tuis, ut more contemplantium, contempta felicitate terrena, præsentem vitam habeas in patientia, et in desiderio futurorum cupiens dissolvi, et esse cum Christo : in nomine Pa ✠ tris, etc. ℟. Amen.

Vela. *Deinde tradit candelam dicens :*

Accipe candelam in manibus tuis in signum supernæ illustrationis, et inflammatæ caritatis. In nomine Pa ✠ tris, etc.

℟. Amen.

Luego se arrodillan todos, y se entona el himno Veni Creator, *ó se reza.*

Veni Creator Spiritus,
Mentes tuorum visita :
Imple superna gratia,
Quæ tu creasti pectora.
Qui diceris Paraclitus,
Altissimi donum Dei :
Fons vivus, ignis, charitas,
Et spiritalis unctio.
Tu septiformis munere,
Digitus Paternæ dexteræ :
Tu rite promissum Patris,
Sermone ditans guttura.
Accende lumen sensibus,
Infunde amorem cordibus :
Infirma nostri corporis
Virtute firmans perpeti.
Hostem repellas longius,
Pacemque dones protinus :
Ductore sic te prævio,
Vitemus omne noxium.
Per te sciamus, da Patrem
Noscamus atque Filium :
Teque utriusque Spiritum,
Credamus omni tempore.
Deo Patri sit gloria,
Et Filio qui à mortuis,
Surrexit ac Paraclito,
In sæculorum sæcula. Amen.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos à malo.
℣. Repleti sunt omnes Spiritu Sancto.
℟. Et cœperunt loqui.
℣. Nihil proficiat inimicus in eo.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
℣. Ora pro nobis Sancta Dei Genitrix.
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti : da ei in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere.

Concede famulum tuum *(vel famulam tuam)* quæ-

sumus, Domine Deus, perpetua mentis et corporis sanitate gaudere, et gloriosa B. Mariæ semper V. intercessione, à presenti liberari tristitia, et æterna perfrui lætitia.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris: et hunc famulum tuum, quem in sancto Religionis flamine sociamus, perpetua firmitate corroborari, ut perseveranti proposito in omni sanctitate tibi valeat famulari: Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

℣. Sit nomen Domini benedictum.

℟. Ex hoc nunc et usque in sæculum.

Benedicat te Divina Majestas, Pa✠ter, et Filius, et Spiritus Sanctus. ℟. Amen.

Aspergatur aqua benedicta; et post aspersionem dicat:

Ego autoritate, qua fungor, et mihi commissa; te recipio ad nostram sanctam Religionem, et investio, ac participem te facio omnium orationum, Missarum, prædicationum, disciplinarum, et omnium bonorum spiritualium ejusdem Ordinis, in nomine Pa✠tris, et Filii, et Spiritus Sancti. ℟. Amen.

Acabadas estas ceremonias, se levanta la persona que ha vestido el santo hábito, da gracias á Dios Nuestro Señor y á María santísima con mucha devocion y reverencia del beneficio recibido; como tambien agradece el favor de haberla admitido á la Tercera regla al Reverendo P. Director, señor hermano Prior, ó si es mujer, á la señora hermana Priora, y demás hermanos y hermanas de la Tercera Órden. Luego después el P. Director la escribirá en el libro mayor de la

Tercera Órden, notando el nombre, dia, mes y año de la entrada para saber después el tiempo para la profesion. A no ser que por enfermedad peligrosa de muerte, se le dispensase para la profesion, que en tal caso se puede, para no ser privada de los sufragios y de esta tan grande gracia y especial consuelo.

ALIA FORMULA AD BENEDICENDUM ET CONFERENDUM PARVUM HABITUM B. M. V. DE MONTE CARMELO.

(Ex Hor. diur. Brev. Rom. et Col. P. Sannig).

Mutetur genus et numerus pro sexu et numero recipientium.

Genuflexo ad altare recipiente, Sacerdos conversus ad eum dicat :

Suscepimus, Deus, misericordiam tuam, in medio templi tui, secundum nomen tuum, Deus, sic et laus tua in fines terræ, justitia plena est dextera tua.

Kyrie eleison, etc., *ut supra pag. 320 usque ad conclusionem secundæ orationis.*

Deinde conversus ad habitum in altari repositum, dicat :

℣. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam.
℟. Et salutare tuum da nobis.
℣. Domine Deus virtutum converte nos.
℟. Et ostende faciem tuam, et salvi erimus.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Suppliciter te, Domine, rogamus, etc., *ut supra pag. 311 cum duabus orationibus ibi sequentibus.*

Deinde aqua benedicta habitum aspergit, eumque recipienti imponit, dicens :

Accipe, vir devote, hunc habitum benedictum, precans Sanctissimam Virginem, ut ejus meritis illum perferas sine macula, et te ab omni adversitate defendat, atque ad vitam perducat æternam.

Postea addit :

Ego ex potestate mihi tradita et concessa, suscipio ac recipio te ad participationem omnium orationum, disciplinarum, precum, suffragiorum, eleemosynarum, jejuniorum, vigiliarum, Missarum, Horarum canonicarum, ac cæterorum bonorum spiritualium, quæ passim die noctuque (cooperante misericordia Jesu-Christi) à Religiosis totius nostræ sacræ Religionis peraguntur. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. ℟. Amen.

Tum signo crucis confratrem benedicit dicens :

Bene✠dicat te conditor cœli et terræ, Deus omnipotens, qui te eligere dignatus est ad beatissimæ Virginis Mariæ de Monte Carmeli societatem et confraternitatem ; quam precamur, ut in hora obitus tui conterat caput serpentis, qui tibi est adversarius, et tandem tamquam victor palmam et coronam sempiternæ hereditatis consequaris. Per Christum Dominum. ℟. Amen.

Denique illum aqua benedicta aspergit, nomenque ejus in codice scribit.

MODO Y FORMA DE PROFESAR LOS NOVICIOS Y NOVICIAS DE LA TERCERA ÓRDEN DE NUESTRA SEÑORA DEL CÁRMEN.

Finido el año del noviciado de la persona que vistió el santo hábito en la Tercera Órden de Nuestra Señora del Cármen, y no hallándose impedimento alguno, se señalará el dia para la profesion, que será uno de los dias de los ejercicios: y practicadas las mismas diligencias de confesar y comulgar, como en el dia de la entrada, para ganar la indulgencia plenaria concedida para el dia de la profesion, estando el P. Director con capa ó roquete y estola, se arrodillará la persona que ha de profesar á los piés del P. Director, asistida del señor hermano Prior, y Maestro de novicios; ó si es mujer, de la señora hermana Priora y Maestra de novicias ó Subpriora, el P. Director la hará las siguientes preguntas:

Director. Señor, ó Señora, ¿qué es lo que pide?

Responde: Pido, por la misericordia de Dios profesar en la Tercera Órden de Nuestra Señora del Cármen para mas servir á Dios y á su soberana Madre, y alcanzar la salvacion de mi alma.

Aquí podrá el P. Director hacer una breve exhortacion á la persona que ha de profesar, y sino dirá luego:

Director. ¿Podrá y se determina á cumplir la dicha regla?

Responde. Procuraré cumplirla y observarla con la gracia de Dios, y con el favor de María santísima y oraciones de los hermanos.

Luego hará la profesion en la forma siguiente, la que repetirá tres veces.

En nombre del Padre, y del Hijo y del Espíritu Santo. Amen.

Yo el hermano (ó la hermana) N. hago mi profesion, y prometo obediencia y castidad (segun el estado en que me hallo, ó en tiempo tendré) á Dios Nuestro Señor, y á la bienaventurada siempre Vírgen María del Monte Carmelo, y al Reverendísimo P. General del mismo Órden, y á sus sucesores, segun la regla de la Tercera Órden, hasta la muerte.

Esta es la forma de la profesion de N. N. hermanos terciarios y terciarias, la que llevará escrita el que profesa en una cartilla; y luego de hecha la profesion la entregará al P. Director, y levantándose todos, á excepcion del que profesa, dirá el P. Director:

Deus, qui te incepit in nobis, ipse te perficiat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Sempiterne Deus, omnipotens Pater, qui humanæ fragilitatis infirmitatem agnoscis, respice, quæsumus, super hunc N. (*vel* hanc N.) famulum tuum (*vel* famulam tuam) et larga tuæ benedictionis abundantia imbecillitatem ejus corroborare digneris; ut promissa vota, quæ præveniendo aspirasti, per auxilium gratiæ tuæ, sancte, pie, ac religiose vivendo, valeat vigilanter observare, et observando vitam promereri sempiternam. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Después de esta oracion, se dirá todo lo que pertenece á las bendiciones, y vestir el santo hábito como en el dia de la entrada, pág. 317 hasta al Veni Creator, *en lugar del cual se cantará, ó rezará el Himno* Te Deum laudamus, *como se sigue :*

HYMNUS.

Te Deum laudamus : te Dominum confitemur.
Te æternum Patrem : omnis terra veneratur.
Tibi omnes Angeli : tibi cœli, et universæ potestates.
Tibi Cherubim et Seraphim : incessabili voce proclamant.
Sanctus, Sanctus, Sanctus : Dominus Deus Sabaoth.
Pleni sunt cœli et terra majestatis gloriæ tuæ.
Te gloriosus Apostolorum chorus,
Te Prophetarum laudabilis numerus,
Te Martyrum candidatus laudat exercitus.
Te per orbem terrarum, sancta confitetur Ecclesia.
Patrem immensæ majestatis,
Venerandum tuum verum, et unicum Filium.
Sanctum quoque Paraclitum Spiritum.
Tu Rex gloriæ Christe.
Tu Patris sempiternus es Filius.
Tu ad liberandum suscepturus hominem : non horruisti Virginis uterum.
Tu devicto mortis aculeo : aperuisti credentibus regna cœlorum.
Tu ad dexteram Dei sedes : in gloria Patris.
Judex crederis esse venturus.

Te ergo quæsumus, tuis famulis subveni: quos pretioso sanguine redemisti.

Æterna fac cum sanctis tuis: in gloria numerari.

Salvum fac populum tuum Domine: et benedic hereditati tuæ.

Et rege eos: et extolle eos usque in æternum.

Per singulos dies, benedicimus te.

Et laudamus nomen tuum in sæculum: et in sæculum sæculi:

Dignare Domine die isto: sine peccato nos custodire.

Miserere nostri Domine: miserere nostri.

Fiat misericordia tua Domine super nos: quemadmodum speravimus in te.

In te Domine speravi: non confundar in æternum.

Después del Te Deum *se dirán los versículos y oraciones que allí están notados después del* Veni Creator Spiritus; *y todo lo demás hasta el fin de la pag. 324. y después el P. Director escribirá en el libro el dia, mes y año de la profesion de la persona que ha profesado, para que conste en todo tiempo.*

FORMA DE APLICAR LA INDULGENCIA PLENARIA Ó ABSOLUCION Á LOS TERCIARIOS Y TERCIARIAS DEL CÁRMEN CONSTITUIDOS EN EL ARTÍCULO DE LA MUERTE, POR PRIVILEGIO Á ELLOS CONCEDIDO.

Entrando el P. Director (que es el que ha de aplicar esta indulgencia, ó el Subdirector en su ausencia) en el aposento del moribundo con estola morada sobre sí, dirá:

℣. Pax huic domui. ℟. Et omnibus habitantibus in ea.

Antiph. Asperges me, etc. *Psalm.* Miserere mei Deus, etc. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, etc. *Antiph.* Asperges me, etc.

℣. Salvum fac servum tuum, Domine.
℟. Deus meus sperantem in te.
℣. Nihil proficiat inimicus in eo.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
℣. Mitte ei Domine auxilium de Sancto.
℟. Et de Sion tuere eum.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Exaudi nos, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, et mittere digneris sanctum Angelum tuum de cœlis, qui custodiat, protegat, foveat, visitet, atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde dicat:

Sub tuum præsidium confugimus, sancta Dei Genitrix, etc.

℣. Ora pro nobis sancta Dei Genitrix.
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

OREMUS.

Deus, qui Beatissimæ semper V., et Genitricis tuæ Mariæ singulari titulo Carmeli Ordinem decorasti: con-

cede propitius, ut cujus hodie commemorationem celebramus, ejus muniti præsidiis ad gaudia sempiterna pervenire mereamur.

Omnipotens sempiterne Deus, salus æterna credentium, exaudi nos pro infirmo famulo tuo, pro quo misericordiæ tuæ imploramus auxilium : ut reddita sibi sanitate, gratiarum tibi in Ecclesia tua referat actionem. Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum.

℟. Amen.

Aquí preguntará al moribundo si tiene que reconciliarse, si perdona de corazon todas las injurias y agravios, y si pide igualmente perdon á todos. Y luego dirá la confesion :

Confiteor Deo, etc. *Y si el enfermo no puede, los circunstantes la dirán por él.*

Misereatur tui, etc.

Indulgentiam, absolutionem, etc.

Dominus noster Jesus-Christus, Dei filius, qui omnia mirabilia tormenta pro peccatoribus subiit, ut eos ad vitam revocaret, qui salvat omnes, et neminem vult perire, nec mortem peccatorum, sed vitam semper inquirit : ipse nunc sua piissima misericordia te respiciat, avertat omnem iram, et indignationem, atque per indulgentissima misericordiæ suæ viscera, tibi remittat universas iniquitates tuas, et quascumque pœnas ex rigore maximæ justitiæ suæ debitas. Ego autem ipsius Domini nostri Jesu-Christi indignus famulus et minister ex auctoritate sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, ac sanctæ Romanæ Ecclesiæ, item ex privilegiis per Summos Pontifices concessis fra-

tribus, sororibus, et confratribus Sanctissimæ Matris Mariæ de Monte Carmelo, atque ex licentia, potestate, et commissione mihi à meis Superioribus imposita; ego, in quantum possum et debeo, applico tibi indulgentiam plenariam, et remissionem omnium peccatorum tuorum, si tamen hac vice è vita migraveris, alias eamdem tibi reservo indulgentiam pro ultimo articulo mortis tuæ: In nomine Patris, etc.

℟. Amen.

Aquí se excitará el enfermo á invocar el dulcísimo nombre de Jesús y de María; y si no puede con la boca, que lo haga á lo menos con el corazon, excitándole igualmente á los actos de fe, esperanza y caridad, y luego dirá:

Ego eadem auctoritate te absolvo ad omni negligentia, siquam contraxisti, in istum sacrum habitum deferendo, et declaro ac significo, te creaturam Dei fore absolutam hic, et ante tribunal Domini nostri Jesu-Christi, ab omnibus pœnis tibi in Purgatorio debitis, propter peccata, quæ contra bonitatem Dei vivi et veri commisisti, teque manifesto restitutam illi innocentiæ, qua in Baptismo per sacrum Salvatoris lavacrum induta fuisti, quantum est ex parte Ecclesiæ, et tua patitur dispositio in nomine Patris, etc.

℟. Amen.

OREMUS.

Dominus noster Jesus-Christus Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui dixit, nolo mortem peccatoris, sed ut magis convertatur et vivat,

nec venit vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam; ipse sua ineffabili misericordia, et solita pietate ad veram cordis contritionem te vocet, et gratiam devotæ pœnitentiæ inspiret, ut digne remissionem negligentiarum tuarum acquirere, et indulgentias hujus sancti Carmelitici habitus, atque cum electis ejus ad æterna gaudia valeas feliciter pervenire. ℟. Amen.

OREMUS.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, et istam creaturam ad tuam sanctissimam imaginem creatam, tuo proprio sanguine redemptam, tua providentia ineffabili conservatam, gubernatam, custoditam, et salvatam, quam nos in tuo sancto nomine ad participationem omnium bonorum spiritualium, et fraternitatem recipimus, bene ✠ dicere digneris, et præsta; ut, te largiente, devote te diligat, te quærat, te inveniat, ad te tendat, et suffragiis hujus sancti Ordinis Beatæ Virginis Mariæ adjuta, vitam percipere mereatur æternam. Per Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

Maria Mater gratiæ, Mater misericordiæ, tu hanc ab hoste protege, et hora mortis suscipe.

℣. Ora pro ea Sancta Dei Genitrix.

℟. Ut digni efficiatur promissionibus Christi.

OREMUS.

Defende, quæsumus Domine, Beata Maria semper Virgine intercedente, istam ab omni adversitate creaturam tuam, et toto corde tibi prostratam, ab hostium

propitius tuere clementer insidiis. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

In omni tribulatione, et angustia succurrat tibi pia Virgo Maria. ℟. Amen.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.

℟. Amen.

Et aspergatur infirmus aqua benedicta.

FORMA DE LA ABSOLUCION, QUE DEBE DAR CUATRO VECES AL AÑO Á LOS TERCIARIOS Y TERCIARIAS DEL CÁRMEN EL P. DIRECTOR Ó CONFESOR CARMELITA EN EL MISMO ACTO DE LA CONFESION.

(Ex Bulla Prætiosus Benedicti XIII).

Estos cuatro dias son: el dia de la Circuncision, Pascua de Resurreccion, dia de nuestra santísima Madre del Cármen, y el dia de nuestra madre santa Teresa de Jesús.

Dominus noster Jesus-Christus, te absolvat, et ego auctoritate tibi concessa et mihi commissa te absolvo ab omni sententia excommunicationis majoris, vel minoris, à jure, vel ab homine lata, suspensionis et interdicti, in quantum possum : et eadem auctoritate Apostolica te absolvo ab omnibus peccatis tuis, et remitto per plenariam indulgentiam omnem pœnam in purgatorio tibi debitam, et sanctam Benedictionem Papalem tibi impertior. In nomine, Patris et Filii, et Spiritus Sancti. ℟. Amen.

Forma de la absolucion que debe dar el Padre Director á los hermanos y hermanas de la Tercera Órden juntos ó reunidos en la capilla en los dias de ejercicios de las festividades de Navidad, Pascua de Resurreccion y de Pentecostes, Ascension, santísima Trinidad, todos los Santos, san José, y todas las festividades principales de María santísima, á saber: nuestra santísima Madre del Cármen, Asuncion, Natividad, Concepcion, Purificacion y Anunciacion.

Dicha la confesion por los hermanos, el Padre Director dirá: Misereatur, et indulgentiam, etc., *y después lo siguiente:*

Si tenemini aliquo vinculo excommunicationis, suspensionis et interdicti, in quantum se extendunt gratiæ et privilegia Ordini nostro indulta mihi commissa, et vobis concessa, ego absolvo vos et restituo vos sacrosanctis Sacramentis Ecclesiæ, communioni et unitati fidelium. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. ℟. Amen.

BENEDICTIO SCAPULARIS SEPTEM DOLORUM B. V. MARIÆ.

(Ex Congr. Perf.).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, qui morte Unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu-Christi mundum collapsum restaurare dignatus es, ut nos à morte æterna liberares, et ad gaudia regni cœlestis perduceres: respice, quæsumus, hanc familiam tuam in tuo nomine congregatam, de cujus gremio hic famulus tuus *(vel hæc famula tua)* esse cupit, ut augeatur numerus tibi fideliter servientium, ut omnibus sæculi, et carnis perturbationibus liberatus, et à laqueis diaboli securus intercessione B. Mariæ V., et beatorum Augustini, Philippi, ac septem nostrorum Patrum Fundatorum nostri Ordinis, vera gaudia possideat. Per eumdem Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

OREMUS.

Domine Jesu-Christe, qui tegumen nostræ mortalitatis induere dignatus es: obsecramus immensæ largitatis tuæ abundantiam, ut hoc genus vestimentorum, quod Sancti Patres ad innocentiæ, et humilitatis indicium nos ferre sanxerunt: ita bene✠dicere digneris, ut qui illis fuerit indutus, mente pariter, ac animo induat te Salvatorem nostrum. Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum.

℟. Amen.

Aspergatur aqua benedicta.

ALIA BENEDICTIO SCAPULARIS S. MARIÆ SEPTEM DOLORUM.

(Ex Praxi S. Alph. M. Lig.).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine Jesu-Christe, qui tegumen nostræ mortalitatis induere dignatus es, obsecramus immensam largitatis tuæ abundantiam, ut hoc genus vestimentorum quod Sancti Patres ad innocentiæ humilitatisque indicium in memoriam septem Dolorum B. V. Mariæ nos ferre sanxerunt, ita bene ✠ dicere digneris, ut qui illis fuerit indutus, corpore pariter, ac anima induat te Salvatorem nostrum. Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Postea Sacerdos, asperso Scapulare aqua benedicta, illud imponat dicens :

Accipe, carissime frater, habitum B. Mariæ Virginis, singulare signum servorum suorum in memoriam septem Dolorum, quos ipsa in vita et morte Unigeniti Filii sui substinuit, ut ita indutus sub ejus patrocinio perpetuo vivas.

Benedictio Dei omnipotentis Pa ✠ tris, et Filii, et Spiritus Sancti descendat super te, et maneat semper. Passio Domini nostri Jesu-Christi, et compassio B. Mariæ Virginis sit in corde et corpore nostro. ℟. Amen.

BENEDICTIO CORONÆ SEPTEM DOLORUM B. V. MARIÆ.

(Ex Congr. Perf.).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Omnipotens, et misericors Deus, qui propter nimiam caritatem, qua dilexisti nos, Filium tuum Unigenitum Dominum nostrum Jesum-Christum, pro redemptione nostra de cœlis ad terram descendere, carnem suscipere, et crucis tormentum subire voluisti : obsecramus immensam clementiam tuam, ut hanc Coronam in memoriam septem Dolorum Genitricis Filii tui, ab Ecclesia tua fideli dicatam bene ✠ dicas, sancti ✠ fices, et ei tantam Spiritus Sancti virtutem infundas, ut quicumque eam recitaverit, ac secum portaverit, atque in domo sua reverenter tenuerit, ab omni hoste visibili et invisibili semper, ubique in hoc sæculo liberetur, et in exitu suo, à Beatissima Virgine Maria sibi bonis operibus coronatus præsentari mereatur. Per eumdem Christum Dominum nostrum.
℟. Amen.

Aspergatur aqua benedicta.

RITO Y CEREMONIAS PARA DAR EL SANTO HÁBITO DE LA VÍRGEN DE LOS DOLORES.

Hecha la bendicion del Hábito, y arrodillado el que lo desea á los piés del Padre Corrector, dirá este al Hermano (y si fueren muchos les hablará siempre en número plural; y si mujeres en género femenino):

Corr. Hermano, ¿quiere recibir el santo Hábito de la viudez de la Vírgen María, luto por la muerte de Cristo, y vivir en la Congregacion de sus siervos? ℟. Sí Padre.

Corr. Benedictus sis à Domino, quia bonam partem elegisti, quæ non auferetur à te.

Hymnus (arrodillados):

Corr. Veni, Creator Spiritus, etc., *ut supra pagina 308, y concluida la primera estrofa se levantan.*

℣. Emitte spiritum tuum, et creabuntur.

℟. Et renovabis faciem terræ.

OREMUS.

Deus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Corr. Antiph. Hic accipiet benedictionem à Domino, et misericordiam à Deo salutari suo, quia hæc est veneratio quærentium faciem Dei Jacob.

Psalmus XXIII. Domini est terra, etc., *ut supra pag. 194. Corr.* Gloria Patri, et Filio, etc. *Tod.* Sicut erat, etc.

Harán todos inmediatamente la confesion general: el nuevo siervo postrado en tierra, y los demás arrodillados, la cual acabada, dirá el Padre Corrector:

Misereatur tui omnipotens Deus, et dimissis peccatis tuis, perducat te ad vitam æternam. ℟. Amen.

Indulgentiam, absolutionem, et remissionem peccatorum vestrorum tribuat vobis omnipotens, et misericors Dominus. ℟. Amen.

OREMUS.

Adaperiat Dominus cor tuum, carissime Frater, in lege sua, et in præceptis suis, et faciat pacem, et reconcilietur tibi, neque te deserat in tempore malo; det tibi cor, et spiritum novum, ut facias in omnibus voluntatem ejus, sicut in cœlo, et in terra; exaudiat te semper in die tribulationis; mittat tibi auxilium de sancto; et de Sion tueatur te, quoniam in hac Congregatione Servorum Dominus mandavit tibi benedictionem, et vitam, usque in sæculum. ℟. Amen.

Echa agua bendita sobre el nuevo siervo diciendo:

Lavare, carissime Frater, et mundus esto, aufer malum cogitationum ab oculis tuis, luctum unigeniti, fac tibi planctum amarum, educ quasi torrentem lacrymas, ut benedictionem accipias, et misericordiam à Deo salutari suo.

Vuelto al altar dirá el Corrector:

OREMUS.

Deus, cui proprium est misereri semper, et parcere, visita quæsumus hanc novam creaturam, et me-

ritis Beatæ Mariæ semper Virginis, sub cujus triumphale passionis vexillum in hac nostra Congregatione servorum tibi militare exorsa est, omnes insidias inimici ab ea longe repelle, et angeli tui sancti habitent in ea, qui eam in tua pace custodiant, et bene✠dictio tua sit super eam semper. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Darále el Hábito diciendo :

Corr. Accipe, carissime Frater, Habitum Beatæ Mariæ Virginis in memoriam tuæ receptæ viduitatis in morte Filii sui Domini nostri Jesu-Christi, et sit signum humilitatis, ut ita indutus, observes ea, quæ à regularibus institutis, et majorum præceptis mandantur. ℟. Amen.

Darále la Corona dolorosa diciendo :

Accipe signum orationum in manibus tuis, ut more contemplantium, præsentem vitam in patientia degas : atque futuram gloriam quærens, spreto mundo, cupias dissolvi, et esse cum Christo. ℟. Amen.

℣. Ostende nobis Domine misericordiam tuam.

℟. Et salutare tuum da nobis.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Mentes nostras, quæsumus Domine, lumine tuæ claritatis illustra, ut videre possimus quæ agenda sunt, et quæ recta sunt agere valeamus.

Concede nos famulos tuos, quæsumus Domine Deus, perpetua mentis, et corporis sanitate gaudere, et glo-

riosa Beatæ Mariæ semper Virginis intercessione à præsenti liberari tristitia, et æterna perfrui lætitia.

Deus, qui nos à sæculi vanitate conversos ad æternam accendis felicitatem, pectoribus nostris illabere, et gratiam, qua in te perseveremus, infunde, ut protectionis tuæ muniti præsidiis, quod te donante promisimus, te adjuvante, impleamus, ut professionis, vel actionis nostræ executores effecti, ad ea quæ perseverantibus promisisti, pervenire valeamus. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Corr. Dirá después al nuevo siervo que persevere, y dé gracias á la Vírgen por el grande favor que le ha hecho en admitirle en el número de sus siervos, etc.

Después el nuevo siervo besará las manos al Padre Corrector, y dará al Prior y demás Oficiales mayores el osculum pacis, *abrazándose con ellos.*

RITO Y CEREMONIAS PARA PROFESAR EN LA CONGREGACION DE LA VÍRGEN DE LOS DOLORES.

Puesto el Congregante ó Congregantes en presencia del Padre Corrector, les dirá este:

Corr. ¿Quieren, hermanos, profesar en la Congregacion de la Vírgen de los Dolores? ℟. Sí Padre.

Corr. Benedicti sitis à Domino, etc., *como en la recepcion hasta la Confesion general, la cual hecha, y habiendo dicho el Corrector* Misereatur tui, *hará la profesion en la forma siguiente; con advertencia que si fueren muchos, dirá uno por todos lo que se sigue:*

Santísima Vírgen María, de Cristo crucificado Madre dolorosa, y verdadero consuelo de los que afligi-

dos, y desconsolados imploran vuestra intercesion poderosísima: yo N. indigno de ser participante de vuestros Dolores, confiado en vuestra piedad admirable, y con deseo de serviros; os elijo hoy, delante mi Ángel custodio, mis santos Patronos, y todos los bienaventurados del cielo, en Madre, Señora y Abogada mia, y hago profesion de ser, y querer ser, mientras viviere, vuestro hijo, vuestro siervo, y vuestro esclavo humilde: y asimismo firmemente propongo de no dejaros jamás, y de procurar, en cuanto pudiere, que otros logren la misma dicha que yo. Ruégoos, pues, afligida Madre, por la sacratísima Pasion de vuestro dulcísimo Hijo, y por vuestros Dolores santísimos, que os digneis de admitirme entre el número de aquellos que con corazon compasivo os sirven en esta santa Congregacion; y que en todas mis aflicciones, peligros y necesidades, y singularmente en la hora de mi muerte me asistais y seais propicia, para que sea digno de acompañaros en la gloria. ℟. Amen.

Dirán luego el himno Te Deum laudamus, etc., *pág. 329, el cual acabado, dará el Padre Corrector el santo Cristo, diciendo:*

Corr. Accipe, carissime Frater, memoriam Dominicæ Passionis, quam semper in corde tuo retineas, et in ipsa contemplans, quo te Christus amore dilexit, qui propria morte te liberavit, non immemor tanti beneficii existas, sed in hac vita ipsius laudes incipias, quas in æternum complere valeas, eodem Domino nostro Jesu-Christo hoc præstante; cui laus, et honor in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Darále la Corona de los Dolores, diciendo:

Accipe signum orationum in manibus tuis, ut more contemplantium, præsentem vitam in patientia degas; atque futuram gloriam quærens, spreto mundo, cupias dissolvi, et esse cum Christo. ℟. Amen.

Dándole la vela encendida, dirá:

Accipe lucernam ardentem in manibus tuis, de bonis operibus exempla demonstrans, Deoque perpetuo benedicens, qui fecit tecum misericordiam suam.

℟. Amen.

Corr. Ostende nobis Domine, *como arriba, página 342.*

Absolucion en el artículo de la muerte para los Congregantes, y los que visten el Hábito de los Dolores de María santísima, la cual dará el Padre Corrector, ú otro religioso que tenga comision del Superior.

Hecha la Confesion general por el enfermo, ú otro por él, con dolor de sus pecados, dirá el Sacerdote:

Misereatur tui, etc. Indulgentiam, absolutionem, etc. Dominus noster Jesus-Christus Filius Dei vivi, qui Beato Petro Apostolo suo dedit potestatem ligandi, atque solvendi, per suam piissimam misericordiam te absolvat, recipiatque confessionem tuam, et remittat tibi omnia peccata quæcumque, et quomodocumque, in toto vitæ decursu commisisti, de quibus corde contritus, et ore confessus es, restituens tibi stolam primam, quam in baptismate recepisti, et ego auctoritate ipsius, et Beatissimorum Apostolorum Petri, et Pauli, et Sanctissimi Patris, et Domini nostri, divina

providentia Papæ N. in hac parte tibi concessa, et mihi commissa, in quantum possum, valeo, et debeo, et mihi permittitur. Absolvo te ab omni sententia excommunicationis majoris, vel minoris (suspensionis, et interdicti) si aliquam forsitan incurristi, et ego restituo te sacrosanctis Sacramentis, Ecclesiæ communioni, et unitati fidelium. Item, eadem auctoritate absolvo te ab omnibus peccatis tuis confessis pariter, et oblitis. Et per indulgentiam plenariam à summo Pontifice Paulo V Confratribus Societatis septem Dolorum Beatæ Mariæ Virginis, in articulo mortis constitutis concessam, liberet te à præsentis, ac futuræ vitæ pœnis, dignetur Purgatorii cruciatus remittere, portas inferni claudere, Paradisi januam aperire, teque ad gaudia sempiterna perducere. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.

Et si de hac (qua ægrotas infirmitate) moriaris : sin autem ; salus sit tibi, donec fueris in articulo mortis constitutus. In nomine Patris, etc.

Absolucion cuando se concede indulgencia plenaria en los dias festivos.

Misereatur vestri, etc. Indulgentiam, etc.

Ego auctoritate Dei omnipotentis, et Sanctorum Apostolorum ejus, Petri, et Pauli, et Sanctissimi Domini nostri Papæ N. vobis concessa, et mihi comissa. Absolvo vos ab omni vinculo excommunicationis majoris, vel minoris, si quam incurristis (et à sententia suspensionis, vel interdicti), et restituo vos unitati fidelium, et sanctis Sacramentis Ecclesiæ. In nomine

Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Item, eadem auctoritate mihi commissa, et vobis concessa, in quantum possum, absolvo vos ab omnibus peccatis vestris, cum plenaria indulgentia, et remissione omnium peccatorum vestrorum. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. ℟. Amen.

BENEDICTIO SACRI HABITUS, SEU SCAPULARII B. V. MARIÆ DE MISERICORDIA SEU DE MERCEDE.

(Ex Manual. Brev. Ord. Beatæ Virginis Mariæ de Mercede).

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.
℟. Amen.
℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Ostende nobis, Domine misericordiam tuam.
℟. Et salutare tuum da nobis.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine, Jesu-Christe, qui legimen nostræ mortalitatis induere dignatus es : obsecramus immensæ largitatis tuæ abundantiam, ut hæc indumenta, seu operimenta, quæ sancti, ac venerabiles Patres ad innocentiæ, sanctitatis et devotionis indicium ferre sanxerunt, ita bene ✠ dicere digneris, ut qui fuerit eis usus, te induere mereatur. Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

OREMUS.

Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui te maxime mirabilem, et laudabilem præbes in gloriosissima Virgine Maria, Unigeniti tui Matre; qui nobis eam in Misericordiæ Matrem donasti, captivorumque Redemptricem effecisti, in ipsaque glorificari complaces : tuam supplices exoramus clementiam, ut super hoc signum, Scapulare, seu vestimentum, pro ipsius Sanctissimæ Virginis veneratione adaptatum, et super quamlibet ipsius partem, sacram tuam bene✠dictionem benignus effundas, et præstes, ut qui ea devote coluerit, potentissimum Redemptricis Supernæ experiatur auxilium, tuamque misericordiam piissimam in præsenti, et futuro sæculo. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

OREMUS.

Clementissime Domine Deus, qui Beatissimam Virginem Mariam, Filii tui felicissimam Matrem, byssino splendenti, et candido in æternum fulgere fecisti; bene✠dicere, quæsumus, velis album istud operimentum, in ejusdem Virginis Matrem, captivorum Auxiliatricis honorem consecratum; ut qui veneretur devote à malis omnibus sit liber, et superno byssino in cœlis vestiri mereatur. Per eumdem Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

Divinum auxilium maneat semper nobiscum.

℟. Amen.

Cum vestiendum Scapulare, seu habitus, genuflexo devote induendo, dicit Sacerdos:

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.

℟. Amen.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum et terram.

Ego auctoritate Domini nostri Jesu-Christi, et Sanctorum Apostolorum Petri, et Pauli, et ab Ordine mihi commissa, trado tibi Habitum (seu Scapulare) quem (vel quod) portare desideras, in honorem Purissimæ ac Immaculatæ Virginis Mariæ de Misericordia, seu de Mercede (Matris, et Institutricis nostræ dulcissimæ). In nomine Pa✠tris, et Filii, et Spiritus Sancti.

Sitque tibi, deprecor omnipotentem Deum, in necessitatis humanæ auxilium, in felicitatis ærarium, et in pignus æternæ hereditatis, cum quo in præsenti sæculo gratiam Spiritus Sancti adipisci valeas, et in futuro vitam æternam. ℟. Amen.

Veni Sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, et tui amoris in eis ignem accende.

Sub tuum præsidium confugimus, Sancta Dei Genitrix, etc.

Monstra te esse Matrem, etc.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster, etc.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos à malo.

℣. Emitte spiritum tuum, et creabuntur.

℟. Et renovabis faciem terræ.

℣. Salvum fac servum tuum (vel ancillam tuam) Domine.

℟. Deus meus sperantem in te.

℣. Ora pro nobis Sancta Dei Genitrix.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, et hunc famulum tuum (vel famulam tuam) cui tuo sancto nomine Habitum (seu Scapulare) Beatissimæ Virginis Mariæ de Mercede, seu de Misericordia imponimus, ita bene ✠ dicere digneris, ut, te largiente, et devotum in Ecclesia persistere, et incolumem vitam ducere, et percipere mereatur æternam. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

OREMUS.

Deus, qui per gloriosissimam Filii tui Matrem, ad liberandos Christi fideles à potestate Paganorum, nova Ecclesiam tuam prole amplificare dignatus es: præsta quæsumus, ut quam pie veneramur tanti operis institutricem, ejus pariter meritis, et intercessione, à peccatis omnibus, et captivitate dæmonis liberemur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Per intercessionem piissimam Beatissimæ Virginis Mariæ, Misericordiæ, et Mercedis Matris, captivorumque Redemptricis, descendat super te benedictio Cœli

copiosa, ut sis benedictus (vel benedicta) ex hoc nunc, et usque in sæculum, benedictione Dei omnipotentis, Pa✠tris, et Filii, et Spiritus Sancti. ℟. Amen.

Loco deprecationis Veni Sancte Spiritus, *potest dici Hymnus* Veni Creator Spiritus, *ut supra pag. 308, præcipue si solemniter fiat.*

BENEDICTIO INDUMENTORUM IMAGINUM BEATISSIMÆ V. DE MERCEDE.

(Ex Manual. Brev. Ord. B. Mariæ de Mercede).

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.
℟. Amen.
℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine Jesu-Christe, qui beatissimam Virginem Mariam, felicissimam Matrem tuam, super choros Angelorum, et Beatorum exaltatam, cœlesti byssino splendenti, et candido ornasti, ut in æternum decorata fulgeat: tuam sacram bene✠dictionem, et dignationem effunde benignus super hanc vestem albam, in ejusdem virginei byssini honorem consecratam, ut dignum fiat operimentum Imaginis ipsius Virginis, et nostræ venerationis assumptum. Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

OREMUS.

Subveniat, Domine, plebi tuæ Dei Genitricis oratio, ut hæc sua ipsius vestis, et quælibet ejusdem pars, devote venerata, fiat nobis ex morali contactu universale cujusvis indigentiæ remedium. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Asperges me, etc.

BENEDICTIO AQUÆ IN HONOREM S. RAYMUNDI NONNATI.

(Ex eod. Man. Brev. Ord. B. Mariæ de Mercede).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Fidelium Deus omnium fortitudo et salus, qui sacrum B. Petri Apostoli tui febribus magnis detentam, piæ rogationis intuitu perfecte sanasti: sancti ✠ ficare, et bene ✠ dicere digneris creaturam hanc aquæ, in tuo sanctissimo nomine, et Confessoris tui Raymundi Nonnati, quem spreto sæculo ad almæ Genitricis Virginis Mariæ Religionem vocare dignatus es: concede quæsumus, ejus gloriosis meritis, et intercessionibus, ut quicumque febrium vexatione gravantur, per hujus lotionem, vel aspersionem, vel potionem aquæ, à cunctis animæ, et corporis noxiis liberentur; atque Ecclesiæ tuæ incolumes repræsentari mereantur, gra-

tiarum tibi actiones in ea jugiter referentes. Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

OREMUS.

Bene ✠ dic, Domine, meritis B. Raymundi Nonnati creaturam hanc aquæ ✠, qui glorioso tuo corpore benedixisti aquas Jordanis : et præsta, ut omnes gustantes ex ea, vel eam attingentes, tam corporis, quam animæ recipiant sanitatem. Qui vivis, et regnas in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

O Raymunde Nonnate! norma munditiæ, puritatis et continentiæ, ora Matrem Misericordiæ, ut in hac valle miseriæ nos defendat à pravo scelere, et exuti à mortali corpore, perfruamur æterna requie.

OREMUS.

Concede quæsumus, omnipotens Deus, ut per virtutem benedictionis hujus aquæ, et per merita Passionis Domini nostri Jesu-Christi, et per intercessionem B. Mariæ Virginis, et B. Raymundi Nonnati, et omnium Sanctorum, omnes fideles, qui pie, et devote aquam istam gustaverint, vel attingerint, animæ, et corporis sanitatem valeant recipere, et in tuo sancto servitio permanere. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione veræ fidei æternæ Trinitatis gloriam agnoscere, et in potentia Majestatis adorare unitatem;

quæsumus, ut ejusdem fidei firmitate, ab omnibus semper muniamur adversis.

Concede nos famulos tuos, quæsumus Domine Deus, perpetua mentis, et corporis sanitate gaudere, et gloriosæ B. Mariæ semper Virginis intercessione à præsenti liberari tristitia, et æterna perfrui lætitia.

Deus, qui in liberandis fidelibus tuis ab impiorum captivitate, B. Raymundum Nonnatum Confessorem tuum mirabilem effecisti, ejus nobis intercessione concede, ut à peccatorum vinculis absoluti, quæ tibi sunt placita liberis mentibus exequamur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Benedictio Dei omnipotentis Pa✠tris, et Filii, et Spiritus Sancti descendat super has aquas, et maneat semper. ℟. Amen.

Aspergantur aqua benedicta.

BENEDICTIO CANDELARUM IN HONOREM S. RAYMUNDI NONNATI, QUÆ VULGO APPELLANTUR (DEL BUEN ALUMBRAMIENTO).

(Ex cod. Man. Brev. Ord. B. Mariæ de Mercede).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine Jesu-Christe Fili Dei vivi, æternæ vitæ lumen, qui Candelarum usus ad repellendas tenebras tribuisti : bene✠dic Candelas istas meritis B. Ray-

mundi Nonnati supplicationibus nostris inclinatus, et infunde eis per virtutem Sanctæ Crucis tuam benedictionem cœlestem; talemque virtutem signaculo Sanctæ ✠ Crucis accipiant, ut quibuscumque locis accensæ, sive positæ fuerint, discedant principes tenebrarum, et contremiscant, et fugiant pavidi cum omnibus ministris suis ab habitationibus illis; nec præsumant amplius inquietare, nec molestare servientes tibi omnipotenti Deo. Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

OREMUS.

Deus, qui B. Raymundum Nonnatum, è mortuæ matris dissecto latere, in lucem eduxisti vitæ; educ fœtus invocantium te humiliter matrum, meritis ipsius, in lucem temporalis vitæ, simulque perpetuæ, et matribus concede sanitatem. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, *ut supra pag. 353. Deinde:* Benedictio Dei omnipotentis Patris, et Fi✠lii, et Spiritus Sancti descendat super has Candelas, et maneat semper. ℟. Amen.

Aspergantur aqua benedicta.

BENEDICTIO MENSURARUM (VULGO DE MIDAS) S. RAYMUNDI NONNATI ET B. MARIÆ VIRGINIS DE MERCEDE.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum et terram.

℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, qui Sanctorum tuorum mensuras non reprobas, ut quoties illas intuemur toties electorum tuorum actus et sanctitatem ad imitandum memoriæ oculis meditemur : has quæsumus mensuras in honorem Beati Raymundi Nonnati (vel Beatæ Virginis Mariæ de Mercede) adaptatas, bene ✠ dicere et sancti ✠ ficare digneris : et præsta, ut quicumque in illis Beatum Raymundum Nonnatum (vel Beatissimam Virginem Mariam de Mercede) suppliciter colere et honorare studuerit, illius meritis et obtentu à te gratiam in præsenti, et æternam gloriam obtineat in futurum. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Aspergantur aqua benedicta.

BENEDICTIO MIRABILIS OLEI SANCTI SERAPIONIS MARTYRIS.

(Ex Man. Brev. Ord. B. Mariæ de Mercede).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, totius humani gene-

ris pharmacum, et levamen; sancti ✠ ficare digneris olei creaturam hanc, quam bene ✠ dicimus in nomine tuo, strenuique tui athletæ Serapionis almi; ut ulceribus, fracturis, atque omnigeni doloris gravamine decumbentes, hoc sancto oleo peruncti, ejus, qui in cruciatu tot fuit truces perpessus dolores, intervenientibus precibus, et juvamine, temporalem sentiant opem, et salutem adipiscantur æternam. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Serapion, athleta nobilis, Marianæ militiæ signifer, Virgini Matri dilectus, passione præclarus, intercede pro nobis ad Dominum, qui in tot dolorum strepitu, virtutum tibi contulit, et constantiam.

OREMUS.

Corda nostra tui amoris igne, Jesu Redemptor inflamma, ut sicut B. Serapion pro fidelibus redimendis actus in crucem, te sequutus occubuit; ita pia ejus intercessione nullis frangamur adversis, et tuæ Crucis semper inhæreamus amplexibus. Qui vivis, et regnas in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

OREMUS.

Miserator et misericors Domine, bene ✠ dic egregiis meritis acerbissimæ passionis neoterici legis gratiæ Machabæi Sancti Serapionis Martyris tui, et per virtutem tuæ bene ✠ dictionis sanctifica oleum istud; et præsta, ut quicumque, quovis doloris genere vexentur, in honorem Martyris tui devote sint peruncti, te adjuvante, corporis nanciscantur solamen; ac men-

tis medelam, te opitulante, recipiant; ut tandem reddita sibi sanitate, gratiarum tibi in Ecclesia referant actiones. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Benedictio Dei omnipotentis Pa✠tris, et Filii, et Spiritus Sancti descendat super hoc oleum, et maneat semper. ℟. Amen.

Sacerdos aqua benedicta aspergit Oleum.

BENEDICTIO HABITUS PRO PARVULIS AD INDUENDUM EOS PRO DEVOTIONE, VEL VOTO.

(Ex Manual. Brev. Ord. B. Mariæ de Mercede).

Simplex Sacerdos potest benedicere indumenta parvulorum.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine Jesu-Christe, qui pro nostra salute suscipiens humanam naturam, te vestimento carnis induere dignatus es; benedictione tua bene✠dic ista parvula vestimenta, quæ pro gratiis tibi exolvendis omni cum devotione, sanctoque voto, ac veneratione Beatissimæ Virginis Mariæ, infans iste (*vel* puella ista) super se suscepturus (*vel* susceptura) est: infunde in eum (*vel* eam) quæsumus, tuam bene✠dictionem, ut cum primum induerit hunc habitum Religio-

nis B. Mariæ de Mercede intercedentibus S. Petro Nolasco P. N. et cunctis nostri Ordinis Sanctis, descendat super eum (*vel* eam) gratia tua, quæ protegat illum (*vel* illam) ab omni malo mentis et corporis. Qui vivis et regnas, etc. ℟. Amen.

Deinde aspergat vestes aqua benedicta, exuensque parvulum vestibus sæcularibus dicat :

Eripiat Dominus de corde tuo sæculi pompas, quibus abrenuntiasti, dum baptismum susciperes.

Postea induitur parvulus habitu, cui cum Sacerdos imponit tunicam dicit :

Immittat in te Dominus sanctum Religionis amorem, sanctoque fervore succendaris, ut ardeas cœlestium bonorum desiderio. ℟. Amen.

Deinde præcingat illud dicens :

Præcingat te Dominus zona justitiæ, ut immaculata conserves omnia mandata sua. ℟. Amen.

Deinde induit eum cum scapulario dicens :

Tolle jugum Christi suave et onus ejus leve, in nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti. ℟. Amen.

Postremo dicit :

Accipe hoc pallium in signum puritatis, et continentiæ, ut Deo servias in simplicitate et charitate, in nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti. ℟. Amen.

Tandem dicitur totus Psalmus sequens : Laudate pueri Dominum, etc. Gloria Patri, etc.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine Jesu-Christe, lux vera de lumine, quæsumus clementiam tuam, ut per intercessionem Beatissimæ Virginis Mariæ, et S. Petri Nolasci P. N. et omnium nostræ Religionis Sanctorum, mentem parvuli (*vel* puellæ) hujus illumines, ut cum ad annos discretionis pervenerit, sancto tibi animo, corporeque deserviat. Qui vivis et regnas, etc. ℟. Amen.

Ultimo aspergat aqua benedicta, et dicat :

Benedicat te omnipotens Deus Pa ✠ ter, et Filius, et Spiritus Sanctus. ℟. Amen.

FORMULA CONFERENDI INDULGENTIAM PLENARIAM FRATRIBUS, CONFRATRIBUS, ET SORORIBUS ORD. B. M. V. DE MERCEDE IN ARTICULO MORTIS CONSTITUTIS.

(Ex Man. Brev. Ord. B. M. V. de Mercede).

Dictis Confiteor, Misereatur, et Indulgentiam, *dicit Sacerdos :*

Dominus Jesus-Christus, qui dixit discipulis suis : quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlis : et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlis : de quorum numero quamvis indignos nos esse voluit, ipse te absolvat per ministerium nostrum ab omnibus peccatis tuis : quæcumque cogitatione, vel locutione, atque operatione negligenter egisti : atque à nexibus peccatorum tuorum absolutum perducere dignetur ad regna cœlorun. Qui vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, etc. ℟. Amen.

Et si teneris aliquo vinculo excommunicationis,

(suspensionis, vel interdicti, in quantum se extendunt privilegia, et gratiæ nostro Ordini indulta, et mihi commissa, et tibi concessa, ego te absolvo, et restituo sacrosanctis Ecclesiæ Sacramentis, unioni et unitati fidelium. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Eademque auctoritate dispenso tecum super quacumque irregularitate, si quam contraxisti, et absolvo ab omni transgressione regulæ, ac constitutionum nostrarum et ab omnibus aliis, prout mihi committitur, et tibi conceditur, ut sis absolutus ante tribunal Domini nostri Jesu-Christi, habeasque vitam æternam in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Exaudi nos, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, et mittere digneris sanctum Angelum tuum de cœlis qui custodiat, foveat, protegat, visitet, et defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

BENDICION Y RECEPCION DEL SANTO ESCAPULARIO DE LA ILUSTRE ESCLAVITUD DE LA MERCED.

El fiel que desee entrar en la ilustre Esclavitud de Nuestra Señora de las Mercedes, habiendo confesado y comulgado para ganar la indulgencia plenaria á este efecto concedida, se arrodillará delante el altar de la ilustre Esclavitud, ó delante de alguna imágen de Nuestra santísima Madre, ó cuando menos delante alguna devota estampa suya, y tomando y teniendo en su derecha

la vela que le dará encendida el Padre Director de la Esclavitud ó el Sacerdote que delegare, bendecirá este el santo Escapulario en esta forma:

Benedictio Scapularii.

℣. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam.
℟. Et salutare tuum da nobis.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Domine Jesu-Christe, qui tegimen nostræ mortalitatis induere dignatus es: obsecramus immensæ largitatis tuæ abundantiam, ut hunc habitum, quem sancti Patres ad innocentiæ et sanctitatis indicium ferre sanxerunt, ita bene ✠ dicere digneris, ut qui eo usus fuerit et induere mereatur. Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Deinde aspergat habitum aqua benedicta, et eo postulantem induat dicens:

Ego auctoritate Domini nostri Jesu-Christi, et Apostolorum Petri et Pauli, et mihi ab Ordine commissa, do tibi habitum Religionis nostræ, propter devotionem quam geris ad sacratissimam et immaculatam Matrem Dei Mariam, et Ordinem ejus sub nomine fundatum; cum quo in præsenti gratiam Spiritus Sancti adipisci valeas, et in futuro sæculo gloriam æternam præmium est electorum. In nomine Patris, et Fi ✠ lii, et Spiritus Sancti. ℟. Amen.

Postea P. Director et confratres qui adsint, dicent alternatim sequentem hymnum: Veni Creator Spiritus, etc., *ut supra pag. 323.*

℣. Emitte spiritum tuum et creabuntur.
℟. Et renovabis faciem terræ.
℣. Salvum fac servum tuum.
℟. Deus meus sperantem in te.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, et hunc famulum tuum bene ✠ dicere digneris, cui in tuo sancto nomine habitum sacræ Religionis nostræ imponimus, quem ex devotione cupit portare, dum vitam duxerit in humanis: ut te largiente, et devotus in Ecclesia persistere, et vitam percipere mereatur æternam. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Acto continuo, siguiendo al Padre Director, dirá el que entra el siguiente ofrecimiento y oracion:

OFRECIMIENTO.

Vírgen santísima de la Merced, hija muy amada del Padre eterno, madre de su Unigénito Hijo, esposa del Espíritu Santo, templo de la santísima Trinidad, reina de los Ángeles, gloria de los bienaventurados, alegría de los justos, consoladora de los afligidos, redentora de cautivos, remedio de los pecadores, yo N. N. mayor de todos y mas necesitado del favor divino, me ofrezco por esclav vuestr , y humildemente suplico me recibais por tal, por los tres gozos que recibísteis, viendo el dulcísimo Jesús recien nacido; en el templo, cuando le perdísteis; y en el cenáculo después de resucitado.

Ruego al bendito Ángel de mi guarda y á los gloriosos patriarcas san José y san Pedro Nolasco fundador de esta esclavitud, y á todos los Santos mis abogados, os pidan me concedais tan soberano favor, que por él os serviré en vida y muerte; y como lo propongo lo firmo aquí:

ORACION.

Ó soberana Señora, madre amorosísima, gloriosa siempre Vírgen de la Merced, suplícote me recibas en el piadoso seno de tu misericordia como esclav perpetu , y con singular proteccion me ampares y favorezcas hoy y cada dia y principalmente en la hora de mi muerte. En tus manos, Señora, encomiendo mi corazon y alma, y en tu piedad amorosa pongo toda mi esperanza, todo mi consuelo y todas mis penas, para que con tus ruegos misericordiosos, todas mis obras y pensamientos se encaminen á mayor honra de tu unigénito hijo Jesucristo Nuestro Señor. Amen.

En seguida se inscribe el devoto en la Esclavitud.

FORMA ABSOLUTIONIS GENERALIS.

Primo Sacerdos genuflexus, facit confessionem dicendo:

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
Confiteor Deo, etc.

Et facta confessione surgit, et ait:

Misereatur vestri, etc. Indulgentiam, etc.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos à malo.

℣. Salvos fac servos tuos.

℟. Deus meus, sperantes in te.

℣. Mitte eis Domine auxilium de Sancto.

℟. Et de Sion tuere eos.

℣. Esto, Domine, turris fortitudinis.

℟. A facie inimici.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

Deinde surgit Sacerdos, et stans versa facie ad altare dicit :

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, et me qui etiam misericordia tua primus indigeo, exaudi clementer : et quem non electione meriti, sed dono gratiæ tuæ constituisti tui operis Ministrum, da fiduciam tui operis exequendi et in meo ministerio, quod tuæ pietatis est, operari. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

OREMUS.

Exaudi, Domine, preces nostras et confitentium tibi parce peccatis : ut quos conscientiæ reatus accusat, indulgentia tuæ pietatis absolvat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

OREMUS.

Prævéniat hos famulos tuos, quæsumus Domine misericordia tua : ut omnes iniquitates eorum celeri indulgentia deleántur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

OREMUS.

Præsta, quæsumus Domine, his famulis tuis dignum pœnitentiæ fructum : ut Ecclesiæ tuæ sanctæ, à cujus integritate deviarunt peccando, amissorum reddantur innoxii, veniam consequendo. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde sine oremus, *absolute versa facie ad populum, dicit :*

Dominum nostrum Jesum-Christum humiliter deprecamur ut gratiæ suæ lumine illabatur cordibus vestris, vobisque benigne concedat omnes et singulas indulgentias, et peccatorum remissiones consequi, quas Summi Pontifices Ordini nostro, cum specifica facultate eas confraternitatibus nostris communicandi, concesserunt, juxta privilegiorum Apostolicorum tenorem, et Sanctæ Sedis apostolicæ decretorum dispositionem.

Deinde altius elevando vocem, etiam sine oremus, *dicit:*

Misereatur vestri, omnipotens Deus, dimittat vobis omnia peccata vestra, liberet vos ab omni malo, confirmet, et conservet in omni opere bono, et perducat vos ad vitam æternam. Qui in Trinitate perfecta vivit et regnat in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Deinde in tono primæ orationis etiam sine oremus, *dicit:*

Item communicamus vobis, fratres, orationes, jejunia, missas, peregrinationes et labores pro redimendis etiam captivis susceptos, cæteraque opera bona, quæ per Dei gratiam in nostra Congregatione et Ordine fiunt. In nomine Pa ✠ tris, et Filii, et Spiritus Sancti. ℟. Amen.

Et dat benedictionem.

FORMA ABSOLUTIONIS IN ARTICULO MORTIS.

Dicto Confiteor, Misereatur tui, etc. Indulgentiam, etc., *proferet Sacerdos sequentem formulam:*

Dominus noster Jesus-Christus filius Dei vivi, qui beato Petro apostolo suo dedit potestatem ligandi atque solvendi, per suam piissimam misericordiam te absolvat, et ego auctoritate apostolica confratribus et consororibus Ordinis beatæ Mariæ de Mercede, redemptionis captivorum, ejusdem Ordinis sacrum Scapulare ferentibus in articulo mortis constitutis indulta et de speciali gratia concessa et mihi commissa à sanctissimo Domino nostro Alexandro IV, et aliis Summis Pontificibus, et ab Innocentio XI confirmata, absolvo te ab omnibus excommunicationibus et vinculis interdicti si teneris, in quantum possum et tu indiges, et restituo te sacrosanctis Ecclesiæ Sacramentis, communioni et unitati fidelium. In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti. ℟. Amen.

Item eadem auctoritate absolvo te ab omnibus peccatis tuis, quæcumque commisisti, et de quibus corde

contritus (*vel* contrita) et ore confessus (*vel* confessa) es, et quorum memoriam non habuisti, et non habes, usque in præsentem diem, et restituo te illi innocentiæ in qua eras, quando baptizatus (*vel* baptizata) fuisti, et puritati eidem, in quantum claves sanctæ matris Ecclesiæ se extendunt.

Remitto tibi etiam pœnas Purgatorii, quas propter culpas et offensas contra Deum, proximum et teipsum commissas incurristi. Claudo tibi portas inferni, januam aperio Paradisi, et bona per te facta et fienda sint tibi in remissionem peccatorum, in augmentum gratiæ et præmium vitæ æternæ. ℟. Amen.

Et hoc, si hac de qua ægrotas infirmitate morieris : sin autem salva hæc gratia tibi sit, donec fueris in articulo mortis constitutus (*vel* constituta). In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii et Spiritus ✠ Sancti.

℟. Amen.

Ritus benedicendi, et imponendi Scapulare cæruleum CONCEPTIONIS B. MARIÆ V. IMMACULATÆ, *quod à Clericis Regularibus, Teatinis nuncupatis, ex speciali privilegio distribuitur ; à* SS. D. N. CLEMENTE PAPA XI *approbatus anno 1710* [1].

Genuflexo, qui suscepturus est Scapulare, Sacerdos superpelliceo, vel alba indutus, capite detecto, dicat absolute :

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini

[1] Parece del caso trasladar aquí lo que dice san Alfonso María de Ligorio sobre escapularios en su librito *Glorias de María*, tomo II. obseq. 6, para excitar mas á la devocion á María. Dice : « Así como

℟. Qui fecit cœlum et terram.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine Jesu-Christe, qui tegmen nostræ mortalitatis induere dignatus es, tuæ largitatis clementiam humiliter imploramus, ut hoc genus vestimenti, quod in honorem et memoriam Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ, nec non ut illo induti exorent in hominibus pravorum morum reformationem, institutum fuit bene ✠ dicere digneris, ut hic famulus

«los hombres tienen por honor el que algunos lleven sus libreas, así «María santísima agradece que sus devotos lleven el santo escapula- «rio, en señal de estar dedicados á su servicio y de ser del número de «los familiares de la Madre de Dios. Los herejes modernos escarnecen, «como acostumbran, esta devocion, pero la santa Iglesia la ha aprobado «con muchas bulas é indulgencias. Y refieren el P. Crasset, tomo II, «tratado 6, part. 4, y Lezana in Mar. cap. 5, núm. 10, hablando del «escapulario del Cármen, que por los años de 1251 apareció la Vírgen «santísima al B. Simon Stok, inglés, y dándole su escapulario, le dijo «que los que le hubieren llevado se librarian de la eterna condenacion «con estas palabras: Recibe, hijo mio muy amado, este escapulario «de tu Órden, insignia de mi cofradía, privilegio para tí y todos los «Carmelitas: en el cual el que muriere no padecerá el incendio eter- «no. Y además de esto dice el P. Crasset que María apareciendo otra «vez al papa Juan XXII, le mandó hiciese saber á los que llevasen «dicho escapulario que se librarian del purgatorio el sábado después «de su muerte, como puntualmente declaró después el mismo Sumo «Pontífice en su bula confirmada luego por Alejandro V, Clemente VII «y otros, segun refiere el dicho P. Crasset en el lugar citado. Paulo V «apunta lo mismo y parece que explique las bulas de los Pontífices an- «tecesores suyos, prescribiendo en su bula las condiciones que deben «observarse para ganar las indulgencias concedidas; esto es, la ob- «servancia de la castidad segun el estado de cada uno, y el rezo del «oficio parvo de la Vírgen, y el que no pueda rezarlo, á lo menos que

tuus, qui eo usus fuerit, (*vel* hæc famula tua quæ eo usa fuerit) eadem Beata Maria Virgine intercedente, te quoque induere mereatur. Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. ℟. Amen [1].

Postea Sacerdos, nihil dicendo, aspergit Scapulare aqua benedicta : deinde illud imponit dicens :

Accipe, frater (*vel* soror) Scapulare Conceptionis B. Mariæ V. Immaculatæ, ut, ea intercedente, veterem hominem exutus (*vel* exuta), et ab omni peccatorum inquinamento mundatus (*vel* mundata), ipsum perferas sine macula, et ad vitam perveniat sempiternam. Per Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

«observe los ayunos de la Iglesia absteniéndose de comer carne el «miércoles. Las indulgencias después que hay concedidas así á este «escapulario del Cármen como á los otros de los Dolores de María, «de Nuestra Señora de la Merced, y particularmente de la Concepcion, «son innumerables, parciales y plenarias en la vida y en el artículo «de la muerte. Yo para mí he procurado tomar todos los sobredichos «escapularios. Singularmente sépase que el escapulario de la inma-«culada Concepcion que bendicen los Padres Teatinos, además de las «indulgencias particulares, le están anexas las indulgencias concedi-«das á cualquiera religion, lugar pio y persona. Y especialmente re-«zando seis *Padre nuestros, Ave Marias* y *Gloria Patri*, etc., en «honor de la santísima Trinidad y de María inmaculada se ganan *to-«ties quoties* todas las indulgencias de Roma, de la Porciúncula, de «Jerusalen y de Galicia, las cuales llegan á quinientas treinta y tres «indulgencias plenarias, además de las parciales que son innume-«rables. Todo esto está sacado de un pliego impreso por los mismos «Padres Teatinos.»

[1] *Prædicta forma Benedictionis Scapularis Conceptionis deservire posse videtur ad benedicendum Scapulare Smæ. V. Mariæ Matris divinæ Providentiæ Auxiliatricis Christianorum mutando verba illa* in memoriam Conceptionis *in hæc:* in memoriam Smæ. V. Matris divinæ Providentiæ Auxiliatricis Christianorum. *Pariter pro bened. numismatis Matris divinæ Providentiæ deservire potest forma* pro imagine vel numismate, *posita supra pag.* 289 *et* 298.

Postea subjungit :

Et ego, ex facultate mihi concessa, recipio te ad participationem bonorum omnium spiritualium, quæ in Clericorum Regularium Congregatione, ex gratia Dei fiunt : et quæ per Sanctæ Sedis Apostolicæ Privilegium concessa sunt.

✠ In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. ℟. Amen.

ORDO APPLICANDI INDULGENTIAM PLENARIAM IN ARTICULO MORTIS.

Dicatur ab infirmo, si vires habeat, vel ab alio, si infirmus nequeat, Confiteor Deo, etc.; *à Sacerdote vero*, Misereatur, et Indulgentiam, etc. *Deinde :*

Dominus noster Jesus-Christus, Filius Dei vivi, qui Beato Petro Apostolo suo dedit potestatem ligandi atque solvendi, per suam piissimam misericordiam te absolvat; et ego auctoritate ipsius, et Beatorum Apostolorum Petri et Pauli ex speciali gratia mihi tradita, tibique concessa à Sanctissimo Domino nostro Papa Clemente X, et à Pontifice Clemente XI confirmata, absolvo te ab omni vinculo excommunicationis majoris et minoris, suspensionis et interdicti, si teneris, in quantum possum, et tu indiges : et restituo te Sanctis Sacramentis, Ecclesiæ Communioni, et Unitati fidelium : in nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus✠ Sancti. ℟. Amen.

Item eadem auctoritate mihi tradita, et tibi concessa, ego te absolvo ab omnibus peccatis tuis, quæcumque toto decursu vitæ tuæ, quomodocumque commi-

sisti, de quibus corde contritus, et ore confessus es, et quorum memoriam non habes, usque in præsentem diem, et de quibus confiteri minime recordatus fuisti : et restituo te illi innocentiæ, in qua eras, quando baptizatus fuisti, et puritati eidem, in quantum claves Sanctæ Matris Ecclesiæ se extendunt. Remitto tibi etiam pœnas Purgatorii, quas per culpas et offensas contra Deum et Proximum et teipsum commissas incurristi. Claudo tibi portas inferni, januam aperio Paradisi : bona per te facta, et facienda, sint tibi in remissionem peccatorum, in augmentum gratiæ, et premium vitæ æternæ : et hoc si in infirmitate, qua ægrotas, decedas : alias ex misericordia Dei salva sint tibi, donec fueris in articulo mortis constitutus : in nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti. ℟. Amen.

FORMA IMPONENDI ET BENEDICENDI S. HABITUM ET CHORDAM CONFRATRIBUS ET SORORIBUS TERTIARIIS SANCTI PATRIS NOSTRI FRANCISCI.

Facta petitione habitus, poterit P. Commissarius (si bene sibi visum fuerit) brevem facere exhortationem postulanti ; qua peracta, conferat S. habitum sequenti modo :

Exuat te *(si fuerint plures dicat* vos*)* Dominus veterem hominem cum actibus suis, et induat te *(vel* vos) novum, qui secundum Deum creatus est.

Deinde procedat ad benedictionem habitus dicendo :

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum et terram.

℣. Sit nomen Domini benedictum.
℟. Ex hoc nunc et usque in sæculum.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus Pater omnipotens qui per Legiferum Moysen famulum tuum, Ministris Ecclesiæ sub typo passionis priscæ legis præcepta dedisti, hanc laneam vestem, quam S. P. N. Franciscus ministris Ecclesiæ pro fratribus et sororibus Tertiariis ordinavit sancti ✠ ficare, atque bene✠dicere, et conse✠crare tuo proprio ore digneris, ut hic famulus tuus *(vel* hæc famula tua) qui *(vel* quæ) eam cupit induere, exutus *(vel* exuta) ab omni sorde vitiorum cum indumento sanctarum virtutum, ea induatur, quatenus ab omni perturbatione callidi insidiatoris deinceps protectus *(vel* protecta) in Ecclesia sancta tua veros pœnitentiæ fructus operetur. Per Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

OREMUS.

Deus qui vestimentum singulare ad indumentum æternæ jucunditatis tuis fidelibus promisisti clementiam tuam suppliciter exoramus, ut hoc indumentum cordis humilitatem, et mundi contemptum significans, quo famulus tuus *(vel* famula tua) in sancto proposito vestiri desiderat, propitius bene✠dicere, ut castitatis habitum, quem te inspirante suscipit, te protegente

custodiat, ut quem *(vel* quam) sanctæ Religionis veste induis temporaliter, beata facias immortalite vestiri. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Aspergat aquam benedictam super habitum et super ipsum Supplicantem.

Deinde induat habitum et dicit :

Immittat in te Dominus sanctæ Religionis amorem; sanctoque fervore accendaris, ardeasque bonorum cœlestium desiderio. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine Jesu-Christe, qui pro nostra salute, suscipiens humanam naturam, te vestimentum carnis induere dignatus es, bene✠dictione sancta tua bene✠dic istum famulum tuum *(vel* istam ancillam tuam), qui *(vel* quæ) cum omni veneratione, ac devotione B. P. N. Francisci, hoc indumentum super se suscipit; infunde in eum *(vel* eam) quæsumus tuam sanctam bene✠dictionem, ut intercedente B. P. N. Francisco descendat super eum *(vel* eam) gratia tua, quæ ipsum *(vel* ipsam) ab omni malo mentis et corporis protegat. Qui vivis, et regnas, etc. ℟. Amen.

Benedictio Chordæ.

℣. Adjutorium nostrum, etc., *ut supra in benedictione habitus.*

OREMUS.

Omnipotens, sempiterne, et misericors Deus, qui pietatis misericordiam peccatoribus quærentibus, ve-

niam et misericordiam tribuisti : oramus immensam clementiam tuam, ut hanc chordam bene ✠ dicere, et sancti ✠ ficare digneris, ut quicumque ea cincti fuerint, et misericordiam tuam imploraverint, veniam, indulgentiamque tuæ sanctæ misericordiæ consequantur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Aspergat aquam benedictam sicut in benedictione habitus, et interim cingit, dicat :

Accipe chordam super lumbos tuos, ut sint præcincti, in signum castitatis, et temperantiæ, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. ℟. Amen.

OREMUS.

Domine Jesu-Christe lux vera de vero lumine, quæsumus clementiam tuam, ut per intercessionem beati Patris nostri Francisci confessoris tui mentem, et cor hujus famuli tui *(vel* famulæ tuæ) illumines, ut tibi casto corpore famuletur, et corde mundissimo jugiter placeat. Qui vivis et regnas, etc. ℟. Amen.

Deinde dicitur vel cantatur sequens

HYMNUS.

Novit. vero permanet genuflexus. Veni Creator Spiritus, *ut supra pag. 323.*

Ave Regina cœlorum, Ave Domina Angelorum. Salve Radix. Salve Porta, ex qua mundo lux est orta. Gaude Virgo gloriosa, super omnes speciosa, vale ò valde decora ; et pro nobis Christum exora.

Antiph. S. P. N. *Francisci.* Salve sancte Pater patriæ lux, forma Minorum, virtutis speculum, recti

via, regula morum, carnis ab exilio duc nos ad regna polorum.

℣. Emitte spiritum tuum, et creabuntur.

℟. Et renovabis faciem terræ.

℣. Post partum Virgo immaculata permansisti.

℟. Dei Genitrix intercede pro nobis.

℣. Ora pro nobis B. P. N. Francisce.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

℣. Amavit eum Dominus et ornavit eum.

℟. Stolam gloriæ induit eum.

℣. Specie tua et pulchritudine tua.

℟. Intende prospere, procede et regna.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere.

Concede nos famulos tuos, quæsumus Domine Deus perpetua mentis, et corporis sanitate gaudere, et gloriosa B. Mariæ semper V. intercessione à presenti liberari tristitia, et æterna perfrui lætitia.

Deus qui Ecclesiam tuam B. P. N. Francisci meritis, fœtu novæ prolis amplificas; tribue nobis ex ejus imitatione terrena despicere, et cœlestium donorum semper participatione gaudere.

Deus qui B. Ludovicum, Confessorem tuum de terreno regno ad cœlestis regni gloriam transtulisti: ejus

quæsumus meritis et intercessione Regis Regum Jesu-Christi Filii tui facias nos esse consortes.

Tuorum corda fidelium Deus miserator illustra, et B. Elisabeth precibus gloriosis fac nos prospera mundi despicere, et cœlesti semper consolatione gaudere. Per Dominum nostrum Jesum-Christum, etc.

℟. Amen.

Después toma asiento el P. Comisario y demás hermanos, quedándose arrodillado el novicio, á quien podrá exhortar á dar gracias á Dios por el beneficio que ha recibido, á la observancia de este santo Instituto, y á la asistencia á los piadosos ejercicios, que en él se practican. Y queda al cuidado del Maestro de Novicios todo el año, y concluido, informará de su conducta, para ser admitido á la profesion.

PROFESION.

En la profesion se observa lo mismo que en la entrada, aunque no es necesario vestir de nuevo el santo hábito, supuesto que ya lo llevan; con todo podrá observarse la misma forma hasta la oracion Domine Jesu-Christe, lux vera, etc., *y dicha esta, se acercará el que ha de profesar al P. Comisario, y arrodillado á sus piés con las manos juntas, pone el P. Comisario los dos cabos de la estola sobre ellas, teniéndolas como atadas, y hace la profesion del modo siguiente:*

Yo, el hermano (ó hermana) N. prometo á Dios Nuestro Señor, á la bienaventurada siempre Vírgen María, á nuestro Padre san Francisco, á todos los Santos, y á vos padre, que toda mi vida guardaré los

mandamientos de la ley de Dios, y estaré pronto y aparejado para aceptar la penitencia que me sea dada por los Prelados ó superiores de esta santa Órden, por los defectos ó faltas que yo tuviese en este modo de vida y santa regla aprobada y confirmada por el señor Papa Nicolás IV, y por otros Sumos Pontífices, cuando para esto fuese llamado por el Prelado ó Superior.

Después da la bendicion al Profeso, y dice:

Si guarda V. estas cosas, yo le prometo la vida eterna, en nombre del Pa✠dre, y del Hijo, y del Espíritu Santo. ℟. Amen.

Después se consagrará el nuevo profeso, como á hijo del Padre san Francisco, devoto y defensor de la Inmaculada Concepcion de María santísima, del modo siguiente:

Yo el hermano (ó hermana) N., profeso en la Tercera Órden del Padre san Francisco, prometo á Dios Nuestro Señor, en obsequio de la Reina de los Ángeles María santísima, creer y defender, en todo lo que sea posible á mis facultades, el singular Misterio de la Inmaculada Concepcion de esta gran Reina, Patrona, y Abogada nuestra; consagrándome desde ahora, por toda mi vida, hijo, devoto y defensor de su original pureza.

Después se dirá el himno Veni Creator Spiritus, etc., *con los mismos versos y oraciones sobrenotadas, como en la entrada, y si lo juzga conveniente, podrá exhortar al nuevo profeso, y concluir dando la santa bendicion.*

BENEDICTIO CRUCUM PRO STATIONIBUS VLE CRUCIS.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Rogamus te, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, ut digneris benedicere hæc signa Crucis: ut sint remedium salutare generi humano; sint soliditas fidei, profectus bonorum operum, redemptio animarum; sint solamen, et protectio, ac tutela contra sæva jacula inimicorum. Per Dominum nostrum Jesum-Christrum, etc. ℟. Amen.

OREMUS.

Bene ✠ dic, Domine, has Cruces tuas, per quas eripuisti mundum à dæmonum potestate, et superasti Passione tua suggestorem peccati, qui gaudebat in prævaricatione primi hominis per lignum vetitum: bene ✠ dic etiam, Domine, et sanctifica ista signacula Passionis tuæ; ut sint inimicis tuis obstaculum, et credentibus perpetuum præstent auxilium. Qui vivis et regnas, etc. ℟. Amen.

Aspergantur aqua benedicta, et interim dicit:

Sanctificentur ista ligna (si ibi fuerint Imagines, addat et Imagines) in nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti: ut orantes, inclinantesque se

propter Dominum ante istas Cruces, inveniant sanitatem animæ et corporis. ℟. Amen.

BENEDICTIO CORONÆ SANCTISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ.

℣. Adjutorium nostrum, etc., *ut supra*.

OREMUS.

Omnipotens æterne Deus, obsecramus clementiam tuam, ut hoc signum Coronæ in honorem Beatissimæ Virginis Mariæ bene✠dicas, et sanctifices, eique tantam Spiritus Sancti infundas virtutem, ut quicumque secum portaverit, atque in domo sua reverenter habuerit, ab omnibus hostibus visibilibus, et invisibilibus, semper et ubique in hoc, et in futuro sæculo liberetur, et in exitu suo à Beata Virgine Maria tibi bonis operibus præsentari mereatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Aspergatur aqua benedicta.

ABSOLUCION, Y BENDICION PAPAL, QUE PUEDE DAR EL PADRE COMISARIO Á LOS TERCIARIOS EN CUATRO DIAS DEL AÑO, LOS QUE QUIERA; PERO DEBE LEER PRIMERAMENTE EN LENGUA VULGAR LO SIGUIENTE. [1].

Nuestro santísimo Padre Leon X de feliz memoria con bula que empieza, Dum præexcelsa, *dada en Roma á 19 de junio de 1515, concedió á los Prelados de nuestra seráfica Religion la facultad de absolver plenariamente á todos sus súbditos, y darles la bendicion Pon-*

[1] Ferr. Bibliot. verb. Indulgen. art. 5, n. 66.

tificia con aplicacion de indulgencia plenaria en cuatro dias del año á su eleccion: gracia particular, que confirmó y concedió de nuevo Clemente XIII con bula que empieza Inexhaustum Indulgentiarum thesaurum [1], *dada en Roma á 3 de las nonas de setiembre del año 1762, quinto de su pontificado.*

FORMA PARA DAR ESTA ABSOLUCION Y BENDICION.

Se dice primero la confesion, y acabada se encomienda decir un Padre nuestro *y* Ave María *en saludable penitencia; y arrodillado el P. Comisario, dice:*

Precibus et meritis B. Mariæ semper Virginis, beati Michaëlis Archangeli, B. Joannis Baptistæ, Sanctorum Apostolorum Petri, et Pauli, et B. Patris N. Francisci, et omnium sanctorum. *(Se levanta, y vuelto al auditorio prosigue):*

℣. Misereatur vestri omnipotens Deus, et dimissis omnibus peccatis vestris, perducat vos Jesus-Christus ad vitam æternam. ℟. Amen.

℣. Indulgentiam, absolutionem et remissionem omnium peccatorum spatium veræ et fructuosæ pœnitentiæ, cor semper pœnitens, et emendationem vitæ, perseverantiam in bonis operibus, tribuat vobis omnipotens et misericors Dominus. ℟. Amen.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum et terram.

℣. Salvum fac populum tuum Domine.

℟. Et benedic hereditati tuæ.

[1] Ferr. Bibliot. verb. Benedicere, art. 5, n. 63.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Omnipotens et misericors Deus, da nobis auxilium de sancto, et vota populi hujus in humilitate cordis veniam peccatorum poscentis, tuam benedictionem præstolantis, et gratiam, clementer exaudi; dexteram tuam super eum benignus extende, ac plenitudinem divinæ benedictionis effunde qua bonis omnibus cumulatus felicitatem, et vitam consequatur æternam. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Dominus noster Jesus-Christus per merita suæ sanctissimæ Passionis vos absolvat, et gratiam suam infundat : et ego auctoritate ipsius, et beatissimorum Apostolorum Petri, et Pauli, et Summorum Pontificum, Ordini nostri, ac vobis concessa, et mihi in hac parte commissa, absolvo vos ab omni vinculo excommunicationis majoris, vel minoris, (et interdicti) si quod forte incurristis, et restituo vos unioni, et participationi fidelium, necnon sacrosanctis Ecclesiæ Sacramentis. Item eadem auctoritate absolvo vos ab omni transgressione votorum, et Regulæ, Constitutionum, Ordinationum, et Admonitionum majorum nostrorum, ab omnibus pœnitentiis oblitis seu etiam neglectis, et ab omnibus peccatis vestris, quibus contra Deum, et proximum fragilitate humana, ignorantia, vel malitia deliquistis : concedens vobis remissionem, et indulgentiam plenariam omnium peccatorum vestrorum

confessorum, et etiam cunctorum, de quibus non recordamini, aut obliti fuistis, in quantum claves Ecclesiæ se extendunt, et restituo vos illi innocentiæ in qua eratis quando baptizati fuistis, et quomodo Sanctitas Domini Nostri N. Papæ faceret, si ipsemet in confessione peccata vestra auscultaret: ac eadem auctoritate apostolica Benedictionem papalem vobis impertior: In nomine Pa✠tris, et Filii et Spiritus Sancti. ℟. Amen.

Dominus noster Jesus-Christus, qui vos potenter creavit, et clementer redemit, ipse vos benedictionibus omni acceptione dignissimi, bene✠dicere, intellectum illuminare, affectum inflammare, ac donum perseverantiæ in bonis operibus usque in finem præstare dignetur. ℟. Amen.

Bene✠dictio Dei Patris omnipotentis, et Filii, et Spiritus Sancti, et B. Patris Nostri Francisci descendat super vos, et maneat semper vobiscum. ℟. Amen.

Se debe recomendar que hagan la deprecacion acostumbrada por la felicidad de la santa Iglesia, paz y concordia, etc., etc.

Ite in pace, et gratia Dei, et orate pro me.

El mismo Pontífice Leon X concedió facultad á los Prelados de nuestra seráfica Religion para absolver plenariamente con aplicacion de indulgencia á todos sus súbditos en todas las festividades de Nuestro Señor Jesucristo, de María santísima, en toda la Semana Santa, en el dia de todos los Santos, de san Pedro y san Pablo, de nuestro Padre san Francisco, de la madre santa Clara, y de santa Catalina vírgen y mártir. Para

dar esta absolucion de que participan los terciarios, se puede usar de la siguiente forma :

Confiteor Deo, etc., *reliqua ut supra. Ante* Misereatur *dicitur sequens deprecatio :*

Per aspersionem sanguinis Jesu-Christi Domini nostri et per merita suæ sanctissimæ Matris, sanctique Patris nostri Francisci, et omnium electorum suorum intercessionem.

℣. Misereatur vestri, etc. ℣. Indulgentiam, etc.

℣. Adjutorium, etc., *cum reliquis* ℣℣. *et* ℟℟. *et oratio ut supra. Posteà vero dicat :*

Dominus noster Jesus-Christus vos absolvat, et ego auctoritate ipsius, et Beatorum Apostolorum ejus Petri et Pauli, et Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac virtute privilegiorum nostro Ordini concessorum, vos absolvo ab omni sententia, et vinculo excommunicationis majoris, vel minoris, si forte incurristis, et ab omni transgressione Regulæ vestræ, et ab aliis quibuscumque censuris, in quantum possum et valeo : restituoque vos sanctis Sacramentis Ecclesiæ. Item eadem auctoritate, vos absolvo plenarie ab omnibus peccatis vestris in quantum prædicta auctoritas se extendit, et privilegium hujus diei se extendere potest, et vobis concedo omnes indulgentias, et remissiones peccatorum, quas concedere possum in nomine Pa✠tris, et Filii, et Spiritus Sancti. ℟. Amen.

Dominus N. J. C. qui vos potenter creavit, etc., *ut supra.* Benedictio Dei Patris, etc., *ut supra.*

Se encomienda la misma deprecacion, como en la antecedente. Ite in pace, etc., *ut ibi.*

En los cuatro Jubileos concedidos por el mismo pontífice Leon X á los terciarios que están confirmados por Benedicto XIII, puede el confesor darles en el acto de la confesion una absolucion plenaria con aplicacion de indulgencia, añadiendo después de la absolucion ordinaria la siguiente forma:

Item eadem auctoritate te absolvo plenarie ab omnibus peccatis tuis, et illi statui innocentiæ restituo quomodo sanctitas Domini N. Papæ faceret, si ipse in confessione tua peccata auscultaret. Eademque auctoritate apostolica tibi sanctam benedictionem papalem impertior, et concedo tibi omnes indulgentias, et remitto tibi omnes pœnas quas remittere possum, in quantum auctoritas hujus diei se extendere potest. In nomine Pa✠tris, et Filii, et Spiritus Sancti.

℟. Amen.

ABSOLUCION QUE PUEDE DAR EL CONFESOR (SEMEL IN VITA ET IN ARTICULO MORTIS) EN VIRTUD DE LA BULA DE LA SANTA CRUZADA.

Facta confessione dicatur:

℣. Misereatur tui, etc. ℣. Indulgentiam, etc.

Dominus noster Jesus-Christus per merita suæ sacratissimæ Passionis te absolvat, et gratiam suam tibi infundat, et ego auctoritate ipsius, et Beatorum Apostolorum ejus Petri, et Pauli, et Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, tibi specialiter concessa, et mihi commissa, absolvo te ab omni sententia excommunicationis majoris, vel minoris, suspensionis, et interdicti, à jure, vel

ab homine, et ab omnibus aliis quibuscumque pœnis vel censuris, in quibus quacumque causa incurreris, quamvis earum absolutio sit reservata Sanctæ Sedi Apostolicæ, ita ut tibi per Bullam Sanctæ Cruciatæ conceditur, et restituo te unioni, et congregationi fidelium.

Item eadem auctoritate, ego te absolvo ab omnibus peccatis tuis, etiam quamtumvis reservatis, et concedo tibi indulgentiam plenariam, et remissionem omnium peccatorum de quibus nunc, vel aliquo tempore confessus es, et ab illis quibus ignorasti vel oblitus fuisti : et absolvo te à pœnis Purgatorii. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. ℟. Amen.

In articulo mortis additur :

Quod si hac vice non decesseris, reservo tibi hanc gratiam usque ad extremum mortis tuæ articulum.

Ex concessione Sixti IV omnes personæ Trium Ordinum S. P. Francisci possunt semel in vita et in articulo mortis absolvi per idoneum Confessarium de licentia suorum superiorum eligendum, ab omnibus peccatis, et plenariam suorum peccatorum remissionem consequi. Et quoad indulgentiam plenariam in articulo mortis habetur ex concessione Pauli V, facta omnibus Regularibus, constit. incip. Romanus Pontifex, *dat Rom. 23 maii 1606.*

Et pro absolvendis constitutis in articulo mortis potest adhiberi hæc Formula :

Dominus N. J. C. per merita suæ sacratissimæ Passionis te absolvat, et gratiam tibi infundat : et ego auctoritate ipsius, et Beatorum Apostolorum Petri et

Pauli, et Summorum Pontificum, mihi in hac parte commissa, et tibi concessa, absolvo te ab omni vinculo excommunicationis majoris, vel minoris (suspensionis) et interdicti, si quod forte incurristi (et dispenso tecum in omni irregularitate, si quam incurristi), et restituo te unioni, et participationi fidelium, nec non Sacrosanctis Ecclesiæ Sacramentis. Item eadem auctoritate ego absolvo te ab omni transgressione votorum et Regulæ tui Ordinis Statutorum Papalium, Generalium, Provincialium, Custodialium, Localium, Synodalium, quorumcumque. Item eadem auctoritate ego absolvo te ab omnibus peccatis tuis, quibus contra Deum, et proximum fragilitate humana, ignorantia, vel malitia deliquisti, et ab omnibus pœnitentiis oblitis, seu etiam neglectis, concedens tibi remissionem et indulgentiam plenariam peccatorum tuorum confessorum, et etiam cunctorum de quibus non recordaris, aut oblitus fuisti in quantum claves Ecclesiæ se extendunt. Item eadem auctoritate ego absolvo te à pœnis Purgatorii quas pro peccatis commissis, et derelictis, in hoc mundo perpetratis meruisti, restituendo te illi innocentiæ statui in qua eras quando baptizatus fuisti. In nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus✠ Sancti. ℟. Amen.

Deinde addat: Quod si hac vice, etc., *ut supra.*

Dominus noster Jesus-Christus Filius Dei vivi, qui Beato Petro Apostolo suo dedit potestatem ligandi, atque solvendi per suam piissimam misericordiam, recipiat confessionem tuam, et remittat tibi omnia peccata quæcumque, et quomodocumque in toto vitæ decursu

commisisti, de quibus corde contritus, et ore confessus es; restituens tibi stolam, quam in Baptismate recepisti, et per indulgentiam plenariam à Summis Pontificibus nostratibus in articulo mortis constitutis, concessam, liberet te à presentis, ac futuræ vitæ pœnis: dignetur Purgatorii cruciatus remittere, portas inferni claudere, Paradisi januam aperire, teque ad gaudia sempiterna perducere, per sacratissima suæ vitæ, passionis, et glorificationis mysteria. Qui cum Patre, et Spiritu Sancto Deus unus vivit, et regnat in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Para mayor comodidad se añade otra forma que puede usarse para los terciarios seculares.

Hecha la confesion, y dichas las preces Misereatur et Indulgentiam, etc., *y encomendando en penitencia la invocacion del santísimo Nombre de Jesús, diga:*

Dominus noster Jesus-Christus, per merita suæ sacratissimæ Passionis te absolvat, et gratiam suam tibi infundat, et ego auctoritate ipsius, ac Beatorum Apostolorum Petri et Pauli, et Summorum Pontificum, mihi in hac parte commissa, et tibi concessa, absolvo te ab omni vinculo excommunicationis majoris, vel minoris, si quod incurristi, et restituo te unioni, et participationi fidelium, nec non sanctis Sacramentis Ecclesiæ. Item eadem auctoritate quatenus ad præsens forum spectat, ego te absolvo ab omnibus peccatis tuis; tibique relaxo omnes pœnas Purgatorii, quas pro peccatis commissis meruisti, concedens tibi remissionem,

et indulgentiam plenariam omnium peccatorum tuorum, et restituo te illi statui innocentiæ in quo eras quando baptizatus *(vel* baptizata) fuisti. In nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus✠Sancti. ℟. Amen.

Quod si hac vice non decesseris, reservo tibi hanc gratiam usque ad extremum tuæ mortis articulum.

Aunque no es necesario, pero es muy provechoso añadir la siguiente deprecacion, invocando á lo menos con el corazon el santísimo Nombre de Jesús:

Dominus noster Jesus-Christus Filius Dei vivi, etc., *ut supra, pág. 387.*

Quod si hac vice non decesseris, etc., *ut supra.*

BENEDICTIO HABITUS ORDINIS SERAPHICI S. FRANCISCI PRO DEFUNCTIS.

(Ex Manuali seu Rit. Ord. Seraphici P. S. Francisci).

Non potest fieri à quocumque.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine Jesu-Christe, seminator, et inspirator religiosi propositi, qui indumenta nostræ carnis, pro salute humani generis suscipere voluisti, et in præsepio vilibus pannis involvi non horruisti : respice propitius ad preces humilitatis nostræ, et hanc religiosam ves-

tem, et chordam Beati Francisci bene✠dicere, et sancti✠ficare digneris, et concede, ut quicumque ad volvendum suum corpus in morte illas tulerit, vel petierit, remissionem peccatorum per Summos Ecclesiæ tuæ Pontifices concessam assequantur. Qui vivis et regnas, etc.

Aspergantur aqua benedicta.

BENEDICTIO CORONÆ CAMALDULENSIS (VULGO CORONÆ DOMINI NUNCUPATÆ), CUM ANNEXIS INDULGENTIIS CONCESSIS Á SUMMIS PONTIFICIBUS CONTENTIS IN SUMMARIO, QUOD VIDERI EST IN Divoti Metodi per recitare fruttuosamente la corona del Signore.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Benedices Coronæ anni benignitatis tuæ
℟. Et campi tui replebuntur ubertate.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine Jesu-Christe, qui in similitudinem hominum factus, triginta et tribus annis es conversatus in mundo, et multa passus pro hominum salute, in Cruce demum mori voluisti, dignare quæsumus hanc bene✠dicere, et sanctificare Coronam, quam B. Michaëli Eremitæ Camaldulensi ad vitam, passionem et mortem tuam recolendam instituere inspirasti, ut qui

eam pie gestaverit, et devote recitaverit, multiplici gratiarum et indulgentiarum consecutione coronas in cœlo æternas obtinere mereatur per te, Jesu-Christe, Salvator mundi, qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Deinde aspergatur aqua benedicta.

BENEDICTIO SACRI SCAPULARII SEU HABITUS ORDINIS SS. TRINITATIS.

(Ex Brev. Ord. Excalceat. SS. Trinit. Redemp. Captivor.)

Sacerdos benedicturus, stola alba à collo pendente, signans se, dicit :

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine Jesu-Christe, qui tegumen nostræ mortalitatis induere dignatus es, obsecramus immensam tuæ largitatis abundantiam, ut hoc genus vestimenti, quod Sancti Patres ad innocentiæ, et humilitatis indicium, abrenuntiantes sæculo, ferre sanxerunt ; tu ita bene ✠ dicere digneris, ut famulus tuus, qui *(vel* famula tua, quæ) hoc indutus *(vel* induta) fuerit vestimento, te quoque induere mereatur. Qui vivis, et regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Deinde habitum, seu scapularium aqua benedicta aspergit.

Si præsens fuerit qui habitum, vel scapularium accepturus est, dicatur in benedictione : Ut hic famulus tuus *(vel* hæc famula tua) N., *et aspergens aqua benedicta recipientem, Sacerdos induat eum, dicens :* Accipe Habitum Sanctissimæ Trinitatis, in augmentum Fidei, Spei, et Charitatis. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus ✠ Sancti. ℟. Amen.

ABSOLUTIO GENERALIS, SIVE INDULGENTIÆ PLENARIÆ APPLICATIO PRO MORTIS ARTICULO.

Infirmus, vel ejus nomine alter, si ille non possit, confessionem dicat, qua finita, Sacerdos, stola violacea indutus, dicit : Misereatur tui, etc., et Indulgentiam, etc., cum ℟℟. Amen.

Postea absolute dicit sic :

Auctoritate Domini nostri Jesu-Christi, et Beatorum Apostolorum ejus Petri, et Pauli, et Summorum Pontificum mihi in hac parte commissa, et tibi concessa, virtute bullarum nostri, et aliorum Ordinum, concedo tibi, si hac vice decesseris, remissionem, et indulgentiam plenariam omnium peccatorum tuorum, in quantum claves Ecclesiæ se extendunt, et absolvo te ab omnibus pœnis in Purgatorio debitis propter peccata quæ in hoc mundo commisisti : restituendo te illi innocentiæ, in qua eras quando baptizatus fuisti ; quod si hac vice non decesseris, reservo tibi auctoritate prædicta istam indulgentiam pro vero mortis ar-

ticulo. In nomine Pa✠tris, et Filii, et Spiritus Sancti. ℟. Amen.

Deinde dicat Sacerdos :

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Adesto Domine supplicationibus nostris, et istam creaturam ad tuam Sacratissimam Imaginem factam, tua providentia ineffabili conservatam, et in tuo sancto nomine ad nostram confraternitatem, et spiritualem bonorum participationem receptam, bene✠dicere dignare; et præsta, ut Unigeniti Filii tui pretioso sanguine redempta, et ipsius meritis, ac sanctificationibus adjuta, vitam percipere mereatur æternam. Per eumdem Dominum, etc. ℟. Amen.

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulo tuo (*vel* famulæ tuæ) N. in confessione veræ fidei æternæ Trinitatis gloriam agnoscere, et in potentia Majestatis adorare Unitatem; quæsumus ut ejusdem fidei firmitate ab omnibus semper muniatur adversis.

Deus, qui per sanctos Patres nostros Joannem et Felicem Ordinem Sanctissimæ Trinitatis ad redimendum de potestate Saracenorum captivos cœlitus instituere dignatus es; præsta, quæsumus, ut eorum suffragantibus meritis, hic famulus tuus (*vel* hæc famula tua) N. à captivitate corporis, et animæ, te adjuvante liberetur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

BENEDICTIO TRISAGIORUM SANCTISSIMÆ TRINITATIS.

(Ex Direct. FF. Calceat. Ordinis Sanctissimæ Trinit. Redemptionis Capt.)

Sacerdos superpelliceo, et stola alba indutus dicat :

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Omnipotens et misericors Deus, qui per Filium tuum Unigenitum, ac per Prophetas et Apostolos tuos Sanctissimæ Trinitatis Mysterium nobis revelare dignatus es: ut Sanctorum Angelorum choros imitantes in terris, dignas ac devotas tibi laudes referamus: tuam obsecramus clementiam, ut hæc trisagia, quæ in honorem et laudem ejusdem Sanctissimæ Trinitatis ab Ecclesia fidelis dicata sunt, bene ✠ dicas, et sancti ✠ fices, eisque tantam infundas virtutem Spiritus Sancti, ut quicumque horum quodlibet portaverit, seu devote recitaverit, tua divina virtute ab omnibus animæ et corporis periculis eruatur, sitque consors et particeps gratiarum omnium, privilegiorum, et indulgentiarum, quæ ab Apostolica Sede concessa fuerint, atque in exitu suo à Sanctis Angelis tuis in conspectu Divinæ Majestatis tuæ præsentari mereatur: Per Dominum nostrum. ℟. Amen.

Aspergatur aqua benedicta.

BENEDICTIO CORONÆ Á BEATO SIMONE DE ROXAS DISPOSITÆ SEU ORDINATÆ.

(Ex ejus vita, cap. 95, pag. 432).

Sacerdos superpelliceo et stola alba indutus, dicit :

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum et terram.

℣. In Conceptione tua Dei Genitrix Virgo immaculata fuisti.

℟. Ora pro nobis Patrem, cujus Filium peperisti.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine Jesu-Christe, qui ad majorem Virginis Mariæ Matris tuæ cultum, et fragilitatis humanæ subsidium, hujusmodi Coronas instituere fecisti; ejus nobis intercessione, coronam istam, in ejusdem Immaculatæ Conceptionis, vitæque candoris memoriam consecratam; ita bene ✠ dicere, et sancti ✠ ficare digneris : ut qui eam portaverint, ac devote recitaverint, ab inimicorum omnium tueantur incursibus; et in mortis articulo constituti, ipsius semper Virginis patrocinio implorantes, gloriæ tuæ mereantur esse consortes. Qui vivis et regnas cum Deo Patre, etc.

Aspergatur aqua benedicta.

Si plures sint, dicatur Oratio in plurali.

BENEDICTIO CINGULORUM ORDINIS MINIMORUM SANCTI FRANCISCI DE PAULA.

(Ex Man. Ordinis Minimorum).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Omnipotens, sempiterne, et misericors Deus, qui pietatis tuæ misericordiam peccatoribus quærentibus, veniam, et misericordiam tribuis, oramus immensam clementiam tuam, ut hoc Cingulum laneum (*vel* cingula) bene ✠ dicere, et sancti ✠ ficare digneris, ut quicumque pro peccatis suis cincti fuerint, et misericordiam tuam imploraverint, intercedente Beato Francisco de Paula veniam et indulgentiam tuæ sanctæ misericordiæ consequantur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Et aspergatur aqua benedicta.

BENEDICTIO VESTIMENTORUM, PRO DEVOTIS SÆCULARIBUS.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine Jesu-Christe, qui tegumen nostræ mortalitatis induere dignatus es, obsecramus immensæ largitatis tuæ abundantiam, ut hoc genus vestimentorum, quod ad humilitatis indicium famulus tuus (*vel* famula tua) ferre decrevit, ita bene ✠ dicere digneris, ut qui (*vel* quæ) eo usus (*vel* usa) fuerit, Beato Francisco de Paula interveniente, te induere mereatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Et aspergatur aqua benedicta.

MODUS INDUENDI PUERUM, VEL PUELLAM HABITUM RELIGIONIS PRO DEVOTIONE.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine Jesu-Christe, qui pro nostra salute suscipiens humanam naturam vestimentum carnis induere dignatus es, benedictione sancta tua bene ✠ dic ista parvula vestimenta, quæ pro gratiis tibi exolvendis, cum omni devotione sanctoque voto ac veneratione Beatissimi Patris Francisci de Paula servus tuus (*vel* famula tua) super se suscepturus (*vel* susceptura) est, infunde in eum (*vel* eam) quæsumus tuam sanctam bene ✠ dictionem : ut cum primum induerit hoc Religio-

nis simile indumentum, descendat super eum, *(vel* eam) gratia tua, et protegat illum, *(vel* illam) ab omni malo mentis, et corporis. Qui vivis, et regnas.

℟. Amen.

Deinde aspergantur aqua benedicta vestimenta, et adoleantur incenso : cum vero exuit eum, vel eam dicat :

Eripiat Dominus de corde tuo sæculi pompas quibus abrenuntiasti dum Baptismum suscepisti.

Postea induat eum vel eam dicens :

Immittat in te Dominus sanctum Religionis amorem, sanctoque fervore succendaris, et ardeas cœlestium bonorum desiderio.

Cingendo dicat :

Præcingat te Dominus zona justitiæ, ut immaculatus *(vel* immaculata) conserves omnia mandata ejus.

℟. Amen.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine Jesu-Christe, lux vera de vero lumine, quæsumus clementiam tuam, ut per intercessionem Beatissimi Patris nostri Francisci de Paula, mentem hujus illumines, ut cum ad annos discretionis pervenerit sancto tibi animo corporeque deserviat. Qui vivis, et regnas. ℟. Amen.

Deinde conversus ad circumstantes dicat :

Benedicat vos divina Majestas Pa✠ter, et Fi✠lius, et Spiritus ✠ Sanctus. ℟. Amen.

MODUS EXUENDI PUERUM VEL PUELLAM POST ANNUM CUM PORTAVERIT HABITUM DEVOTIONIS.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, à quo descendit omne bonum, et omne donum, tibi gratias referimus, et expleta vota reddimus : suscipe vota nostra cum actionibus gratiarum, et intercedente Beata Maria Virgine sanctoque Francisco de Paula, huic infanti *(vel* puellæ*)* de cetero præsta salutem mentis, et corporis, ut te Creatorem recta fide colat, in te redemptorem spem suam confirmet, teque summum bonum super omnia diligat, atque sanctis mandatis tuis semper obediat. Per Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde exuendo habitum dicat :

Reddite vota vestra Deo cum actionibus vestris.

Psalmus. Laudate Dominum omnes gentes, *totus cum* Gloria Patri.

Deinde ponat habitum super Altare et dicat :

℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Suscipe sancte Pater, omnipotens, æterne Deus, vota precesque supplicantium, et per intercessionem Beatissimæ Virginis Mariæ sanctique Patris Francisci de Paula, præsta nobis ita beneficia tua cognoscere ut in gratiarum semper actione maneamus. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Postea benedicat circumstantes, dicendo:

Benedicat vos divina Majestas Pa✠ter, et Fi✠lius, et Spiritus ✠ Sanctus. ℟. Amen.

MODO DE ADMITIR Á LA CONGREGACION DE LA BUENA MUERTE.

Convocada la Junta, é informada del nombre, apellido, estado, costumbres y edad del sugeto que pretende ser admitido, y hecha la votacion, se bendicen las insignias de la Congregacion, que son una correa de cuero negro, de cuatro palmos de largo, de la anchura de un dedo, con una hebilla de metal, y en medio de ella una calavera con dos huesos para ceñirse los Congregantes, trayendo en sí un espejo del paradero que han de tener, con las oraciones siguientes:

BENDICION.

El Sacerdote:

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum et terram.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.
Sacerdote :

OREMUS.

Omnipotens, sempiterne, et misericors Deus, qui pietatis tuæ peccatoribus misericordiam quærentibus, veniam et misericordiam tribuis; oramus immensam clementiam tuam ut hæc insignia bene ✠ dicere et sanctificare digneris, ut omnis persona, quæ pro peccatis suis illa præcincta fuerit, atque portaverit, gratam tibi continentiam, mandatorumque tuorum obedientiam servet, et intercedente Beata Maria semper Virgine veniam peccatorum suorum obtineat, et vitam consequatur æternam. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

OREMUS.

Precamur te, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, ut hæc insignia, in signum puritatis bene ✠ dicas ad restringendos lumbos, et renes, et voluntatem sub lege tua comprimendam; ut quicumque illa devotionis studio semper portaverit, et misericordiam tuam imploraverit, veniam et indulgentiam tuæ sanctissimæ misericordiæ consequatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Y bendeciráles con el hisopo, esparciendo agua bendita, diciendo : Asperges me, etc.

ADMISION.

Prevenida estola negra, velas, calderilla, hisopo, el libro de la venerable Congregacion, y cuatro luces en

el altar por los sacristanes, se pondrá el Sacerdote seglar, que deberá haber bendecido dichas insignias y hacer la funcion nombrado por el Prefecto, ó él mismo si quisiere, con estola junto al altar al lado de la Epístola, ministrándole los sacristanes en toda la funcion lo preciso, y el que se admitiere de rodillas en la grada del presbiterio, habiendo hecho las diligencias necesarias para la indulgencia plenaria, que se puede ganar este dia, asociándole el Maestro de admitendos en pié, y si fueren muchos de hilera, y dirá el

Sacerdote: ¿Quiere, hermano, ser admitido en la Congregacion de la Buena Muerte?

Adm. Sí, Padre.

Sacer. ¿Tiene intencion y voluntad de observar las Constituciones de esta santa Congregacion, cuanto le será posible, con la gracia de Dios?

Adm. Sí, Padre.

Luego arrodillándose el Sacerdote y circunstantes, dirán:

Veni Creator Spiritus,	Imple superna gratia,
Mentes tuorum visita,	Quæ tu creasti pectora.

Sacer. ℣. Emitte spiritum tuum, et creabuntur.

Todos. ℟. Et renovabis faciem terræ.

OREMUS.

Deus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis famulis tuis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere. Per Christum Dominum nostrum. *Todos.* ℟. Amen.

El admitendo dirá: Confiteor Deo, etc.

El Sacerdote. Misereatur, etc. Indulgentiam, etc.

Todos. ℟. Amen.

Sacerdote:

OREMUS.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, ut hic famulus tuus, cui in tuo Sancto nomine insignia nostræ Congregationis imponimus, te largiente, semper devote in congregatione persistat. Per Christum Dominum nostrum. *Todos.* ℟. Amen.

El Sacerdote le bendecirá, esparciéndole con agua bendita, diciendo:

Asperges me hyssopo et mundabor, lavabis me et super nivem dealbabor.

Ceñírále la insignia el Sacerdote, diciendo:

Accipe insignia super lumbos tuos, ut sint lumbi tui præcincti in signum continentiæ, et temperantiæ, ut sic præcinctus, in hora mortis tuæ ab insidiis diaboli triumphare valeas in nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus✠Sancti. *Todos.* ℟. Amen.

Tomando una vela encendida el Sacerdote, la dará al admitendo, diciendo:

Accipe candelam in manibus tuis in signum supernæ illustrationis, et inflammantis caritatis, ut sis lucerna ardens in bonis operibus tam in vita quam in morte, ut sic transeas ad vitam æternam, in nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus✠Sancti.

Todos. ℟. Amen.

Sacer. ℣. Salvum fac servum tuum, Domine.

Todos. ℟. Deus meus sperantem in te.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine Jesu-Christe, lux vera, quæ illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, infunde bene✠dictionem tuam super hanc creaturam tuam, et eam sancti✠fica lumine gratiæ tuæ, ut gratia Spiritus Sancti illustrata, omnium vitiorum cæcitate careat, ut purgato mentis oculo et cernere possit quæ tibi sunt placita, et suæ saluti utilia, et post hujus sæculi caliginosa discrimina, ad lucem indeficientem pervenire mereatur, per te, Jesu-Christe, Salvator mundi, qui in Trinitate perfecta vivis et regnas Deus in sæcula sæculorum. *Todos.* ℟. Amen.

Se levantará, y asistiéndole el Maestro de Admitendos se irá al banco de los oficiales, y empezando por el Prefecto, les dará el ósculo de paz á todos, y las gracias de haberle admitido en tan venerable Congregacion con mucha humildad, y el Secretario le tomará el nombre, apellido y estado.

ABSOLUCION Ó APLICACION DE LA INDULGENCIA PLENARIA PARA LOS MORIBUNDOS CONGREGANTES DE LA BUENA MUERTE.

Dirá el enfermo, ú otro por él, la confesion general con dolor de sus pecados, y si está en los últimos invocará contrito el santísimo Nombre de Jesús con la boca, si puede, ó sino con el corazon.

Misereatur, etc. Indulgentiam, absolutionem, etc.

Dominus noster Jesus-Christus Filius Dei vivi, qui B. Petro Apostolo suo dedit potestatem ligandi atque solvendi per suam piissimam misericordiam te absolvat, recipiatque confessionem tuam, et remittat tibi omnia peccata quæcumque, et quomodocumque in toto vitæ decursu commisisti, de quibus corde contritus, et ore confessus es; restituens tibi stolam primam, quam in Baptismate recepisti, et ego auctoritate ipsius, et Beatissimorum Apostolorum Petri et Pauli, et Sanctissimi Patris et Domini nostri divina Providentia Papæ Clementis XI, in hac parte tibi concessa et mihi commissa, in quantum possum, valeo, et debeo, et mihi permittitur, absolvo te ab omni sententia excommunicationis majoris, vel minoris (suspensionis et interdicti) si aliquam forsitan incurristi, et ego restituo te Sacrosanctis Sacramentis Ecclesiæ, communioni, et unitati fidelium. Item, eadem auctoritate absolvo te ab omnibus peccatis tuis confessis pariter et oblitis, et per Indulgentiam plenariam à Summo Pontifice Clemente XI confratribus Congregationis bonæ Mortis, in articulo mortis constitutis concessam, liberet te à presentis ac futuræ vitæ pœnis, dignetur Purgatorii cruciatus remittere, portas inferni claudere, Paradisi januam aperire, teque ad gaudia sempiterna perducere. In nomine Pa✠tris, et Filii, et Spiritus Sancti. ℟. Amen.

Et hæc, si qua ægrotas infirmitate moriaris, sin autem salus sit tibi, donec fueris in articulo mortis constitutus. In nomine Patris, etc.

BENEDICTIO CORRIGIÆ BEATÆ VIRGINIS MARIÆ MATRIS CONSOLATIONIS, ET CINCTURATORUM S. P. AUGUSTINI.

(Ex Cerem. Ord. S. P. Augustini).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Omnipotens et misericors Deus, qui peccatoribus pietatis tuæ misericordiam quærentibus veniam et misericordiam tribuis, oramus clementiam tuam, ut hanc corrigiam bene✠dicere, et sancti✠ficare digneris: ut omnis persona, quæ pro peccatis suis præcincta fuerit atque eam portaverit, gratam tibi continentiam, mandatorumque tuorum obedientiam servet, et intercedentibus B. M. semper Virgine, beatoque P. N. Augustino, atque pia matre Monica veniam peccatorum suorum obtineat, et vitam consequatur æternam. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

OREMUS.

Precamur te, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, ut hanc corrigiam in signum puritatis bene✠dicas ad restringendos lumbos et renes, et voluntatem sub tua lege comprimendam, ut quicumque illam devotionis studio semper portaverit et misericordiam tuam imploraverit, veniam et indulgentiam tuæ

sanctissimæ misericordiæ consequatur. Per Dominum nostrum, etc. ℟. Amen.

Aspergat corrigiam aqua benedicta.

BENEDICTIO HABITUS ORDINIS S. PATRIS AUGUSTINI, QUEM DEFERUNT SÆCULARES PRO VOTO SEU DEVOTIONE.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine Jesu-Christe, qui pro salute nostra suscipiens humanam naturam, te vestimento carnis induere dignatus es : benedictione tua sancta bene ✠ dic vestimenta ista, quæ pro gratiis tibi exolvendis, in signum Religionis, cum omni devotione sanctoque voto, ac veneratione Beatæ Virginis Mariæ, hic famulus tuus *(vel* hæc famula tua) super se suscepturus *(vel* susceptura) est : infunde in eum *(vel* eam) quæsumus, tuam sanctam bene ✠ dictionem, ut cum induerit hoc Religionis simile vestimentum, intercedente Beato Patre nostro Augustino, descendat super eum *(vel* eam) gratia tua, et protegat illum *(vel* illam) ab omni malo mentis et corporis. Qui vivis et regnas per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Aspergatur aqua benedicta.

MODO DE DAR EL HÁBITO Á LOS QUE LO QUIEREN POR DEVOCION.

Se bendice el hábito en la forma que sigue:

℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine Jesu-Christe, qui tegumentum mortalitatis nostræ induere dignatus es: obsecramus immensam tuæ largitatis abundantiam, ut hoc genus indumenti, quod Sancti Patres nostri ad humilitatis indicium, abrenuntiantes sæculo, ferre sanxerunt, tu ita bene ✠ dicere tua benedictione digneris, ut hic famulus tuus, qui eo usus fuerit, te induere mereatur. Qui vivis et regnas, etc. ℟. Amen.

Hecha la bendicion del hábito, se le quitará el manto ó capa con la mayor modestia, y dirá el Sacerdote la

Antiph. Eripiat Dominus de corde tuo sæculi pompas, quibus abrenuntiasti, dum Baptismum suscepisti.

Psalmus. Eripe me, Domine, ab homine malo: à viro iniquo eripe me.

Eripe me de inimicis meis Deus meus: et ab insurgentibus in me libera me.

Eripe me de operantibus iniquitatem: et de viris sanguinum salva me. Gloria Patri, etc.

Se repite la Antiph. Eripiat, etc., *ut supra.*

Vestido el hábito, antes de ceñirle dirá la

Antiph. Immittat in te Dominus sanctum Religionis amorem, sanctoque fervore succendaris, et ardeas cœlestium bonorum desiderio.

Psalmus. Laudate pueri Dominum : laudate nomen Domini. Gloria Patri, etc.

Al ceñirle :

Antiph. Præcingat te Dominus zona justitiæ, ut immaculata conserves omnia mandata sua.

Psalmus. Laudate Dominum in Sanctis ejus : laudate eum in firmamento virtutis ejus.

Luego le entregará una vela encendida, y dirá :

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine Jesu-Christe, lux vera de vero lumine, quæsumus clementiam tuam, ut per intercessionem B. Patris nostri Augustini mentem hujus parvuli *(vel* parvulæ) illumines, ut cum ad annos discretionis advenerit, sancto tibi animo, corporeque deserviat. Qui vivis et regnas, etc. ℟. Amen.

Bendice después al niño, ó niña, llegándole al altar, y diciendo :

Confirma Deus in puero *(sive* in puella) quod in eo *(vel* in ea) operari cœpisti à templo sancto tuo : deducat eum *(vel* eam) spiritus tuus bonus in terram rectam, et benedictio tua sit super eum *(vel* eam).

Vuélvale á sus parientes, y vuelto á todos, dirá:

Bene✠dicat vos divina Majestas Pa✠ter, et Fi✠lius, et Spiritus ✠ Sanctus. ℟. Amen.

Si fuere persona adulta la que pretende vestir el santo hábito, el Prelado ó Sacerdote que se lo diere leerá el Evangelio que se halla en el dia de la santísima Trinidad. El que toma el hábito besará la mano al Sacerdote, y este dará la bendicion á todos los circunstantes.

Nota. Forma absolutionis in articulo mortis pro cincturatis, seu confratribus corrigiæ B. M. Mariæ Matris Consolationis adhibetur ea, quæ prescribitur à Benedicto XIV, quæque hic apponitur.

Formula præscripta à SS. D. Benedicto Papa XIV in Bulla incipiente Pia Mater *pro impertienda benedictione cum indulgentia plenaria his, qui in articulo mortis sunt constituti.*

Indulgentia plenaria ab ipso Summo Pontifice concessa pro omnibus Christifidelibus in ultimo agone constitutis, debet applicari à Sacerdote facultatem habente. Modus quo datur Benedictio est hic:

Sacerdos ægroti domum ingrediens dicat:

Pax huic domui, et omnibus habitantibus in ea.

Et aspergat aquam benedictam, dicens:

Asperges me hyssopo, et mundabor; lavabis me, et super nivem dealbabor.

Postea dicat:

Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam. Gloria Patri, etc. *Et nihil aliud dicens repetat Antiphonam:* Asperges me, etc. *Deinde dicat:*

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum et terram.

Antiph. Ne reminiscaris, Domine, delicta famuli tui (*vel* ancillæ tuæ) neque vindictam sumas de peccatis suis. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster, etc.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos à malo.

℣. Salvum fac servum tuum (*vel* ancillam tuam) Domine.

℟. Deus meus, sperantes in te.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Clementissime Deus, Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui neminem vis perire in te credentem atque sperantem, secundum multitudinem miserationum tuarum respice propitius famulum tuum N. quem tibi vera fides, et spes christiana commenda. Visita eum in salutari tuo, et per Unigeniti tui passionem et mortem omnium ei delictorum suorum remissionem, et veniam clementer indulge, ut ejus anima in hora exitus sui te Judicem propitiatum inveniat, et in sanguine ejusdem Filii tui ab omni macula abluta transire ad vitam mereatur perpetuam. Per eumdem, etc.

Tunc postquam dictum fuerit: Confiteor Deo, etc. *Sacerdos dicat:* Misereatur, etc. Indulgentiam, etc. *Et deinde:*

Dominus noster Jesus-Christus, Filius Dei vivi, qui B. Petro Apostolo suo dedit potestatem ligandi atque solvendi, per suam piissimam misericordiam recipiat confessionem tuam, et restituat tibi stolam primam quam in Baptismate recepisti, et ego facultate mihi ab Apostolica Sede tributa indulgentiam plenariam, et remissionem omnium peccatorum tibi concedo. In nomine Pa✠tris, et Filii, et Spiritus Sancti.

℟. Amen.

Per sacrosancta humana reparationis mysteria remittat tibi omnipotens Deus omnes præsentis, et futuræ vitæ pœnas, paradisi portas aperiat, et ad gaudia sempiterna perducat. ℟. Amen.

Benedicat te omnipotens Deus, Pa✠ter, Filius, et Spiritus Sanctus. ℟. Amen.

At si infirmus esset tam morti proximus, ut tempus non suppeteret supradictis precibus, Sacerdos statim impertiatur ei præfatam benedictionem dicendo : Dominus noster Jesus-Christus, etc.

APPENDIX I.

DE VISITATIONE ET CURA INFIRMORUM.

(Ex Rit. Rom.).

Parochus in primis meminisse debet, non postremas esse muneris sui partes, ægrotantium curam habere. Quare cum primum noverit, quempiam ex Fidelibus curæ suæ commissis ægrotare, non expectabit ut ad eum vocetur, sed ultro ad illum accedat; idque non semel tantum, sed sæpius, quatenus opus fuerit: horteturque parochiales suos, ut ipsum admoneant, cum aliquem in Parochia sua ægrotare contigerit, præcipue si morbus gravior fuerit.

Ad hoc juvabit, præsertim in amplis Parochiis, ægrotorum notam, seu catalogum habere, ut cujusque statum et conditionem cognoscat, eorumque memoriam facilius retinere, et illis opportune subvenire possit.

Quod si Parochus legitime impeditus, infirmorum, ut quando plures sunt, visitationi interdum vacare non potest: id præstandum curabit per alios Sacerdotes, si quos habet in Parochia sua *(nec id Parochorum tantum munus est, sed omnium etiam Sacerdotum, ait S. Alp. M. de Lig.)*, aut saltem per laicos homines pios, et christiana charitate præditos.

Ægrotos visitans, ea, qua Sacerdotes Domini decet, honestate et gravitate se habeat, ut non ægris solum, sed sibi in domesticis verbo et exemplo prosit ad salutem.

Eorum vero præcipuam curam geret, qui humanis auxiliis destituti, benigni ac providi Pastoris charitatem et operam requirunt. Quibus si non potest ipse succurrere de suo, et eleemosynas illis, prout debet, si facultas suppetit, erogare, quantum fieri potest, sive per charitatis, vel alterius

nominis Confraternitatem, si in ea civitate, vel loco fuerit, sive per privatas, sive per publicas collectas et eleemosynas, illorum necessitatibus succurrendum curabit.

In primis autem spiritualem ægrotantium curam suscipiat, omnemque diligentiam in eo ponat, ut in via salutis eos dirigat, atque à diabolicis insidiis salutarium adjumentorum præsidio defendat, ac tueatur.

Accedat autem ad ægrotum ita paratus, ut in promptu habeat argumenta ad persuadendum apta, ac præsertim sanctorum exempla, quæ plurimum valent: quibus eum in Domino consoletur, excitet, ac recreet. Horteturque, ut omnem spem suam in Deo ponat, peccatorum suorum pœniteat, divinam misericordiam imploret, et infirmitatis pœnas, tamquam paternam Dei visitationem, patienter ferat, et ad salutem suam provenisse credat, ut vitam, moresque suos melius instituat.

Deinde qua par est prudentia et charitate, hominem ad sacram confessionem inducat, et confitentem audiat, etiamsi velit totius vitæ peccata confiteri; ac si opus fuerit, tam infirmo, quam ejus familiaribus vel propinquis in memoriam revocet, quod Lateranensis Concilii, ac plurium Summorum Pontificum decretis cavetur sub gravibus pœnis, ne Medici ultra tertiam vicem ægrotos visitent, nisi prius ipsis certo constet, illos Confessionis Sacramento rite expiatos fuisse.

Illud præterea diligenter servari curabit, ne quis pro corporali salute aliquid ægroto suadeat, vel adhibeat, quod in detrimentum animæ convertatur.

Uni vero periculum immineat, Parochus monebit ægrotum, ne dæmonum astutia, neque Medicorum pollicitationibus, neque propinquorum, aut amicorum blanditiis se ullo modo decipi sinat, quo minus ea, quæ ad animæ salutem pertinent, opportune procuret, et qua par est devotione et celeritate, sancta Sacramenta, dum sana mens est, integrique sensus, religiose suscipiat, citra fallacem illam, ac perniciosam procrastinationem, quæ plurimos ad æterna supplicia perduxit, in diesque fallente diabolo, perducit.

Quod si æger aliquis hortationibus ac monitis Sacerdotum vel amicorum et domesticorum consiliis adduci non potest, ut velit peccata sua confiteri, tunc non omnino desperanda res est, sed quamdiu ille vivit, repetendæ sunt frequenter variæ et efficaces Sacerdotum, et aliorum piorum hominum exhortationes; proponendaque æternæ salutis damna, et sempiternæ mortis supplicia; ostendendaque immensa Dei misericordia, eum ad pœnitentiam provocantis, ad ignoscendum paratissimi. Adhibendæ sunt etiam tum privatæ, tum publicæ ad Deum preces, ad divinam gratiam impetrandam pro salute miseri decumbentis.

Videbit quoque Sacerdos, quibus potissimum tentationibus, aut pravis opinionibus æger sit subjectus, eique, prout opus fuerit, apta remedia prudenter adhibebit.

Sacras imagines Christi Domini crucifixi, Beatæ Mariæ Virginis, et Sancti, quem æger præcipue veneratur, ob oculos ejus apponi curabit. Vasculum item adsit aquæ benedictæ, qua frequenter aspergatur.

Proponet etiam ægrotanti, prout ejus conditio feret, aliquas breves Orationes, et pias mentis ad Deum excitationes; præsertim versiculos è Psalmorum libro, vel Orationem Dominicam, et Salutationem Angelicam, Symbolum Fidei, vel Passionis Domini Nostri meditationem, et Sanctorum martyria et exempla, ac cœlestis gloriæ beatitudinem.

« *Si* gratia Dei præditum agnoscit, illi congratuletur; « amorem, bonitatem Altissimi erga nos in tribulationibus « præclarissime elucentem exaltet: indignitatem nostram « exaggeret, et debitum gratitudinis impendat. *Si* horrescit « infirmitatem, propter affectionem corporis, discurrat de « vanitate sæculi, de periculis quæ insunt sanitati, quibus « repente anima, et corpus æternaliter gehennæ traduntur « exurendi. *Si* propter cessationem ordinarii quæstus, et dam- « num familiæ, præbeat ei exempla quotidianæ Providentiæ « Divinæ, sine qua, vel sanus, haud quaquam lucrifacere « posset. *Si* est impatiens, et subitæ naturæ, admittat ejus « rationes, in aliquibus condescendat, ut excitet ejus sibi

« affectionem: et ut opportunitas orietur, insinuet ei gau-
« dium, quo Deus afficitur, dum nos æquo animo adversa
« ferre intuetur: ostendat, quod libentissime Unigenitus
« ejusdem Dei Filius, ut ei pareret, innumera pro nobis per-
« tulit probra, et eum tam dire pro nobis Crucifixum ingenti
« affectu ipsis verbis demonstret, fructus enumeret, qui ex
« nostra tolerantia tam corporis, quam animæ denascuntur,
« et ex opposito mala innumerabilia, quæ nobis parit nostra
« recalcitratio. *Si* pusillanimis, adjuvet eum, certiorem red-
« dendo, quod totus properet ad Paradisum, patriam nos-
« tram, dum per ignem tribulationis, ut argentum exami-
« natur à Domino, ne vitæ obliviosus, per prospera evagan-
« do, ad inferna descendat. *Si* mortem timet, edisserat pre-
« tiosam esse in conspectu Domini mortem Sanctorum; cum
« statutum sit omnibus hominibus semel mori; morti absque
« peccatis obviare tantum studendum esse, et in Domino jac-
« tandum cogitatum nostrum, in cujus manibus sunt sortes
« nostræ, et ipse, qui diligit nos, enutriet, et opem dabit
« nobis super lectum doloris nostri. *Si* metuit judicium Dei,
« prædicet ejus immensam misericordiam, quæ omnem nos-
« tram malitiam longe exsuperat, in qua innixus, per merita
« dolorum, et mortis Christi, ad portum salutis tutus perve-
« niet. *Si* morbo ad mortem premitur, et spe longioris vitæ
« delusus renuit confiteri, notificet, accedendum esse ad
« Deum adjutorem in opportunitatibus, in tribulatione. Dis-
« currat de efficacia Sacramentorum, quæ aliquando et cor-
« pori sunt salutaria. De incertitudine vitæ significet, multos
« tali spe à diabolo illaqueatos fuisse, nunc autem per hoc
« perpetuas luere pœnas; earum acerbitatem exponat, et
« æternitatem testetur: suadeat pœnitentiam voluntariam,
« Deo gratam; coactam vero ingratam esse: videtur enim,
« ait D. Aug. confessio latronum; pro qua damnantur ad
« supplicia: et sic quibuscumque claudicationibus infirmi
« occurret Religiosus Medicus faciens se infirmum infirmis,
« ut infirmos lucrifaciat [1]. »

[1] Ex Collect. P. Sannig.

Hæc tamen opportune et discrete suggerantur, ne ægroto molestia, sed levamen afferatur.

Consoletur infirmum, dicens, se pro eo in Missæ sacrificio, et aliis precibus oraturum, curaturumque ut alii itidem pro eo faciant, idque re ipsa præstabit.

Si morbus gravior, vel cum periculo fuerit, ægroto suadeat, ut dum integra mente est, rem suam omnem recte constituat, et testamentum faciat; si quid habeat alienum, restituat, et ad remedium animæ suæ pro facultatibus, quod in Domino ei placuerit, disponat: sed hæc suggerendo, omnis avaritiæ nota caveatur.

Hortetur denique, ut si convaluerit, ante omnia ad Ecclesiam veniat, ubi Deo gratias agat de restituta valetudine, et sacram Communionem pie suscipiat; ac deinceps meliorem vitæ disciplinam teneat.

« Pauca hic insunt sed multa amplectuntur, quæ perito « sufficiunt: studium enim charitatis, non paginæ, sed qui « pro nobis se obtulit Patri Sacrificium in Ara Crucis, nos- « trosque languores tulit, et dolores portavit, plene nos edo- « cebit, si eidem charitati pro viribus studere voluerimus: est « sententia Spiritus S. in Eccli. VII: *Non desis plorantibus in « consolatione, et cum lugentibus ambula. Non te pigeat visitare « infirmum: ex his enim in dilectione firmaberis.* »

Variæ Sententiæ SS. Patrum, quibus Sacerdos in Visitatione infirmorum pro opportunitate uti poterit, juxta dispositionem eorumdem.

S. Chrys. Si non potes Sol fieri, fias Stella; dumtaxat ascende super terram, et incipe æmulari sideribus.

S. Laurent. Justin. Quis purgare refugiat, quis pati recusabit, cum Angelorum Regem Hominem factum in Crucis agnoverit pendere supplicio?

S. Chrysol. Timor si non fuerit amore temperatus, quamvis devotam servitutem, efficit contumacem.

S. Thom. Nota, quomodo Deus fuit armatus in Cruce;

habuit enim in capite galeam non de auro, sed de spinis; loricam non de ære, sed carnem immaculatam; in manibus non lanceam, vel gladium, sed magnos clavos, qui et in pedibus affixi, ut calcaria lucent; pro equo vero habuit ipsam Crucem.

S. Vinc. Fer. Cur tantopere vitam istam desideramus, in qua quanto plus vivimus, tanto plus peccamus; quanto vita est longior, tanto culpa est numerosior? Assidue vagatur Homo per prospera, et adversa, et ignorat quando, et quomodo morietur. Sicut enim Stella in Cœlo coruscans currit velociter, et repente deficit; vel sicut scintilla ignis subito extinguitur, et in cinerem reducitur, sic cito finitam datur cernere vitam.

S. Greg. Si consideremus, quæ, et quanta sunt, quæ nobis promittuntur in Cœlis, vilescunt animo omnia quæ habentur in terris.

S. Aug. Aspice vulnera in Cruce pendentis, sanguinem morientis, pretium redimentis, cicatrices resurgentis, et videbis, quod caput habet inclinatum, cor apertum ad diligendum, brachia extensa ad amplexandum, totum Corpus exangue ad redimendum: taliter considera, ut tibi figatur in corde, qui pro te fixus est in Cruce.

S. Bern. Experire, ò anima: Caput Angelicis tremendum spiritibus densitate spinarum pungitur. Facies speciosior præ filiis hominum sputis Judæorum deturpatur. Oculi lucidiores Sole, caligant in morte. Aures, quæ audiunt Angelicos cantus, auscultant peccatorum insultus. Os, quod docet Angelos, felle, et aceto potatur. Pedes, quorum scabellum est terra, Cruci clavo affiguntur. Manus, quæ formaverunt Cœlos, in stipite extensæ clavis transfixæ sunt. Corpus cæditur: et lancea latus perforatur. Quid plura? non remansit in Christo nisi lingua, ut pro peccatoribus exoraret.

S. Petrus Chrysol. super illud prodigi filii: Surgam et ibo ad Patrem meum:

Qua spe, qua confidentia? Illa, quæ Patris est. Ergo perdidit, quæ erant filii; non amisit illa quæ Patris sunt. Apud

Patrem non intercedit extraneus, intus est in pectore Patris, ipse, qui in te venit, et exorat affectuose.

S. Aug. Cum me pulsat aliqua turpis cogitatio, recurro ad vulnera Christi. Cum me premit caro, recordatione vulnerum Christi resurgo. Cum diabolus mihi parat insidias, fugio ad vulnera Domini mei, et recedit à me. Nullum tam potens, et tam efficax medicamentum ad omnes tentationes devincendas, quam Redemptoris assidua meditatio mortis.

S. Cyprianus. Bonorum nostrorum non indiget Deus: nos tantum bonitate, et charitate, non necessitate desiderat.

S. Isidorus. Si dulciora quærimus, necesse est, ut prius amara toleremus.

S. Aug. Si non vis flagellum, non dabitur tibi hereditas.

S. Bonav. Majoris meriti est adversa patienter tolerare, quam bonis operibus insudare.

S. Bernard. Qui in hac vita flagellari non meretur, in inferno æternaliter torquebitur.

Idem. Levius sustinebimus infirmitates corporis, si ad memoriam reduxerimus mala, quæ fecimus.

S. Amb. Si vis justificari, fatere delictum tuum: solvit enim criminis nexus verecunda confessio.

S. Bonav. Nemo de pietate Dei diffidat, quoniam major est ejus misericordia, quam nostra miseria; et quisquis ad eum toto corde clamaverit, exaudietur ab eo, quia misericors est.

S. Aug. Peccata Christum meum vincere non possunt, clavi, lanceaque clamant mihi, quod vere reconciliatus sum illi, si eum amavero.

S. Hieron. Magis Judas offendit Dominum, quia se suspendit, quam quod ipsum prodidit.

S. Aug. Pœnitentia vera non annorum numero censetur, sed amaritudine animi. Non enim longitudinem tantum requirit Deus, quantum affectum sincerissimum pœnitentis pensat.

Idem. Regnum cœlorum, ò Homo, aliud non requirit pretium, nisi te ipsum; tantum enim valet, quantum tuum est: te da, et habebis illud.

S. Isidorus. Confessio sanat, confessio justificat, confessio peccati veniam donat, omnis spes in confessione consistit.

S. Aug. Tanta est dulcedo futuræ gloriæ, ut si gutta una in Infernum defluerit, totam ejus amaritudinem dulcem faceret.

Abbas Cellensis. Satan tolerabilius sustinet flammam suam, quam lacrymam nostram : acriusque contriti cordis lacryma, quam flamma infernalis incendii torquetur.

S. Greg. Nemo ad Deum aliquando flens accessit, qui non impetraverit quod postulavit: nullus ab eo beneficia dolenter optavit, qui non accepit.

S. Petrus Dam. Pia mens, quanto sibi terrena solatia deesse considerat, tanto magis appropinquare Spiritus Paracliti potentiam confidit.

S. Bern. Valde bona infirmitas, quæ docet hominem sanctitatem vitæ; cetera præcellit, quæ homini ad salutem adversa contingunt.

Theophilactus. O rem admiratione dignam! Si libenter patior, Deus donat mihi, et insuper debet mihi.

Hug. Card. Ex igne Divini Amoris sagittæ tribulationum veniunt.

S. Aug. Multa concedit Deus iratus, quæ non concederet propitius, ut nostræ importunitati assentiat.

S. Petrus Dam. Inter pœnitentiam, Regnumque Cœlorum nihil medium.

S. Chrys. Magna violentia data est homini, in terra nasci, Cœlum rapere, et habere per virtutem, quod non potest per naturam.

S. Aug. Quanto majorem moram faciemus in peccato, tanto difficilior erit confessio; et confessio, quæ fit morte urgente, etsi non damnatur, ut mala, non est tamen Deo speciosa, sicut ea, quæ fit ex voluntate, non necessitate: est enim velut confessio latronum, qui non confitentur mala sua, nisi prius tormentis tentata; qua confessione damnantur ad supplicia.

Rup. Abbas. Christus sitiens mortuus est in Cruce, ut ostendat nihil esse in mundo, quod sitim expleat.

S. Bonav. Christus sibi voluit pro te manus, et pedes clavis perforari; ut cum ad ipsum perveneris, sic tuæ manus in suas intrent, et pedes in suos, ut sibi inseparabiliter conjungaris.

S. Bern. In Christi dilectione modus Amoris nullus debet esse: sine modo te dilexit, sine modo eum diligere debes. Modum dilectionis expressit pro te moriendo, tu quantum eum diligere debes, non potes; dilige ergo ex toto corde eum; à te ultra non quærit.

Idem. Beata Virgo apud Filium, sicut Filius apud Patrem, procurat negotia, et petitiones nostras, et quod justitia Filii potest damnare, Matris misericordia liberat.

S. Bernardinus Senens. Maria Virgo hausit à Deo Patre fontalem fœcunditatem, ad generandum omnes electos.

S. Bonav. Abyssus abyssum invocat, dum Mater Filium implorat.

S. Bern. Vas liquore plenum, si quo modo moveatur, de facili effundit liquorem; sic B. Virgo Maria, si precibus moveatur, effundit gratiam et misericordiam: est enim gratia plena.

S. Fulgentius. Dudum Cœlum, et terra corruissent, si Maria precibus non sustentasset.

S. Bern. Nemo desperet, quamvis multorum sit scelerum sibi conscius. Judex adest, quem timeas; sed et tibi Judicis Mater reorum unica spes.

S. Anselmus. Velocior est nonnumquam salus, memorato nomine Mariæ, quam invocato nomine Jesu: quia ipse ut Judex, aliquando non exaudit: invocato autem nomine Matris, etsi merita invocatoris non merentur, merita tamen Matris intercedunt.

Idem. Sicut hominem à Virgine aversum impossibile est salvari; sic hominem ad eam conversum impossibile est damnari.

S. Bonav. Nihil gratiæ ad nos pervenit quod non transeat per manus Mariæ.

MODUS BENEDICENDI INFIRMOS.

(Ex Collec. P. Sannig).

Si quis infirmus ex devotione petierit sacerdotalem benedictionem, super statum suæ infirmitatis, Sacerdos cubiculum infirmi ingressus, primum dicat : Pax huic domui et omnibus habitantibus in ea.

Postea eum, lectum, et cubiculum aspergat aqua benedicta, dicens :

Antiph. Asperges me, Domine, hyssopo, et mundabor : lavabis me, et super nivem dealbabor.

Psalm. Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam, etc.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancti, etc.

Repetat : Asperges me, etc.

℣. Adjutorium nostrum, etc.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Exaudi nos, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, et mittere digneris Sanctum Angelum tuum de Cœlis, qui custodiat, foveat, protegat, visitet atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Christum, etc. *Poterit postea dicere Litanias B. Virginis, vel Psalm.* Domine ne in furore tuo, etc., *ut infra pag.* 425, *vel Psalm.* Miserere, etc., *ut supra pag.* 221, *vel Psalm.* Qui habitat in adjutorio Altissimi, *ut supra pag.* 200.

Postea subjungat :

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster, etc.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos à malo.

℣. Salvum fac servum tuum.

℟. Deus sperantem in te.

℣. Mitte ei Domine auxilium de Sancto.

℟. Et de Sion tuere eum.

℣. Nihil proficiat inimicus in eo.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
℣. Esto ei, Domine, turris fortitudinis.
℟. A facie inimici.
℣. Dominus opem ferat illi.
℟. Super lectum doloris ejus.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Exaudi, quæsumus, Domine, supplicum preces, et confitentium tibi parce peccatis, ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus, et pacem.

Ineffabilem nobis, Domine, misericordiam tuam clementer ostende, ut simul nos et à peccatis omnibus exuas, et à pœnis, quas pro his meremur, eripias.

Omnipotens sempiterne Deus, infirmitatem famuli tui propitius respice, atque ad eum protegendum dexteram tuæ Majestatis extende.

Deus, infirmitatis humanæ singulare præsidium, auxilii tui super infirmum famulum tuum ostende virtutem, ut ope misericordiæ tuæ adjutus, Ecclesiæ sanctæ incolumis repræsentari mereatur.

Concede hunc famulum tuum, quæsumus Domine Deus, perpetua mentis et corporis sanitate gaudere, et gloriosæ B. Mariæ semper Virginis intercessione à presenti liberari tristitia, et æterna perfrui lætitia. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.
✠ Initium Sancti Evangelii secundum Matthæum.
℟. Gloria tibi Domine.

In illo tempore: Ascendens Jesus in naviculam, transfretavit, et venit in civitatem suam. Et ecce offerebant ei Paralyticum jacentem in lecto: et videns Jesus fidem illorum, dixit Paralytico: Confide, Fili, remittuntur tibi peccata

tua. Et ecce quidam de Scribis dixerunt intra se: Hic blasphemat. Et cum vidisset Jesus cogitationes eorum dixit: Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris? Quid est facilius dicere: Dimittuntur tibi peccata tua, an dicere surge, et ambula? Ut autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tum ait Paralytico: Surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam. Et surrexit, et abiit in domum suam. Videntes autem turbæ timuerunt, et glorificaverunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus.

℟. Laus tibi Christe.

Imponat dexteram super caput infirmi, et dicat:

Super ægros manus imponent, et bene habebunt. Jesus Filius Mariæ, mundi salus, et Dominus, meritis, et intercessione Sanctorum Apostolorum Petri, et Pauli, atque advocatorum tuorum, et omnium Sanctorum, sit tibi clemens, et propitius. ℟. Amen.

Pollice dextero signet ejus frontem, et dicat:

Per signum Sanctæ Cru ✠ cis, et per donum Sancti Spiritus, det tibi Deus sanitatem mentis et corporis.

℟. Amen.

Denuo aspergat infirmum aqua benedicta in modum crucis, dicens:

Bene ✠ dictio Dei omnipotentis, Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti, descendat super te, et maneat semper. ℟. Amen.

Alias benedictiones pro infirmis vide supra pag. 173, *et sequentibus.*

(Ex Rit. Rom.).

Sequentes preces omnes, vel ex parte, prout tempus et ægrotorum conditio feret, pro arbitrio Sacerdotis dici, vel omitti possunt.

Sacerdos igitur infirmi cubiculum ingressus primum dicat:

℣. Pax huic domui. ℟. Et omnibus habitantibus in ea.

Mox infirmum, et lectum ejus, et cubiculum aspergat aqua benedicta dicens: Antiph. Asperges me, etc.

Deinde erga infirmum officium suum præstet, ut supra dictum est. Quo præstito, vel antequam discedat, dicere poterit supra infirmum aliquem Psalmum ex quatuor prioribus pœnitentialibus, vel Psalmum Qui habitat, *supra pag.* 200, *etc., cum* Gloria Patri *in fine; postea dicat:* Kyrie eleison, etc., *ut supra pag.* 422.

OREMUS.

Deus, cui proprium est misereri semper, et parcere, suscipe deprecationem nostram; ut nos, et hunc famulum tuum, quos delictorum catena constringit, miseratio tuæ pietatis clementer absolvat.

Deus, infirmitatis humanæ *ut supra pag.* 423, *usque ad verba:* Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen. *Deinde:* Benedictio Dei omnipotentis, Pa ✠ tris, et Filii, et Spiritus Sancti descendat super te et maneat semper. ℟. Amen.

Deinde aspergat eum aqua benedicta.

Qui sequuntur Psalmi, et Evangelia, cum Precibus, pro temporis etiam opportunitate, et pro ægrotantium desiderio, Sacerdotis arbitrio dici poterunt.

PSALMUS VI.

Domine ne in furore tuo arguas me: * neque in ira tua corripias me.

Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum: * sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.

Et anima mea turbata est valde: * sed tu, Domine, usquequo?

Convertere, Domine, et eripe animam meam: * salvum me fac propter misericordiam tuam.

Quoniam non est in morte qui memor sit tui: * in inferno autem quis confitebitur tibi?

Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum: * lacrymis meis stratum meum rigabo.

Turbatus est à furore oculus meus: * inveteravi inter omnes inimicos meos.

Discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem : * quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei.

Exaudivit Dominus deprecationem meam : * Dominus orationem meam suscepit.

Erubescant, et conturbentur vehementer omnes inimici mei : * convertantur et erubescant valde velociter.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, etc.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

℣. Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum.

℟. Gloria tibi Domine.

Dum Sacerdos dicit : Sequentia Sancti, etc., *faciat signum Crucis de more super se in fronte, ore, et in pectore, similiter super infirmum, si fuerit masculus, et si is ob infirmitatem non potest se signare.*

Si autem fuerit fœmina, dum Sacerdos se signat, illa per semetipsam in locis prædictis se signet, si potest ; si vero non potest, alia mulier eam signet : et hoc idem in sequentibus Evangeliis servetur.

Matth. VIII.

In illo tempore : Cum introisset Jesus Capharnaum, accessit ad eum Centurio, rogans eum, et dicens : Domine, puer meus jacet in domo paralyticus, et male torquetur. Et ait illi Jesus : Ego veniam et curabo eum. Et respondens Centurio, ait : Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, et sanabitur puer meus. Nam et ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites ; et dico huic : Vade, et vadit ; et alii : Veni, et venit ; et servo meo : Fac hoc, et facit. Audiens autem Jesus miratus est, et sequentibus se dixit : Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel. Dico autem vobis, quod multi ab Oriente, et Occidente venient, et recumbent cum Abraham, et Isaac, et Jacob in regno cœlorum : filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores : ibi erit fletus, et stridor dentium. Et dixit Jesus Centurioni : Vade, et sicut credidisti, fiat tibi. Et sanatus est puer in illa hora.

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, salus æterna credentium: exaudi nos pro infirmo famulo tuo N. pro quo misericordiæ tuæ imploramus auxilium; ut reddita sibi sanitate, gratiarum tibi in Ecclesia tua referat actiones. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

PSALMUS XV.

Conserva me, Domine, quoniam speravi in te. * Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.

Sanctis, qui sunt in terra ejus: * mirificavit omnes voluntates meas in eis.

Multiplicatæ sunt infirmitates eorum: * postea acceleraverunt.

Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus: * nec memor ero nominum eorum per labia mea.

Dominus pars hereditatis meæ, et calicis mei: * tu es, qui restitues hereditatem meam mihi.

Funes ceciderunt mihi in præclaris: * etenim hereditas mea præclara est mihi.

Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum: * insuper et usque ad noctem increpuerunt me renes mei.

Providebam Dominum in conspectu meo semper: * quoniam à dextris est mihi, ne commovear.

Propter hoc lætatum est cor meum, et exultavit lingua mea: * insuper et caro mea resquiescet in spe.

Quoniam non derelinques animam meam in inferno: * nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.

Notas mihi fecisti vias vitæ; adimplebis me lætitia cum vultu tuo: * delectationes in dextera tua usque in finem.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, etc.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

℣. Sequentia Sancti Evangelii secundum Marcum.

℟. Gloria tibi Domine.

Marc. XVI.

In illo tempore : Recumbentibus undecim discipulis, apparuit illis Jesus : et exprobravit incredulitatem eorum, et duritiam cordis; quia iis, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt. Et dixit eis : Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit : qui vero non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur : In nomine meo dæmonia ejicient : linguis loquentur novis : serpentes tollent : et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit : super ægros manus imponent, et bene habebunt.

OREMUS.

Virtutum cœlestium Deus, qui ab humanis corporibus omnem languorem, et omnem infirmitatem præcepti tui potestate depellis : adesto propitius huic famulo tuo N. ut fugatis infirmitatibus, et viribus receptis, nomen sanctum tuum, instaurata protinus sanitate, benedicat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

PSALMUS XIX.

Exaudiat te Dominus in die tribulationis : * protegat te nomen Dei Jacob.

Mittat tibi auxilium de sancto : * et de Sion tueatur te.

Memor sit omnis sacrificii tui : * et holocaustum tuum pingue fiat.

Tribuat tibi secundum cor tuum : * et omne consilium tuum confirmet.

Lætabimur in salutari tuo : * et in nomine Dei nostri magnificabimur.

Impleat Dominus omnes petitiones tuas : * nunc cognovi, quoniam salvum fecit Dominus Christum suum.

Exaudiet illum de cœlo sancto suo : * in potentatibus salus dexteræ ejus.

Hi in curribus, et hi in equis : ' nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus.

Ipsi obligati sunt, et ceciderunt: ' nos autem surreximus, et erecti sumus.

Domine salvum fac regem : ' et exaudi nos in die, qua invocaverimus te.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, etc.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

℣. Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

℟. Gloria tibi Domine.

Luc. IV.

In illo tempore : Surgens Jesus de synagoga, introivit in domum Simonis. Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus : et rogaverunt illum pro ea. Et stans super illam, imperavit febri ; et dimisit illam. Et continuo surgens ministrabat illis. Cum autem sol occidisset, omnes, qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad eum. At ille singulis manus imponens, curabat eos.

OREMUS.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui fragilitatem humanæ conditionis, infusa virtutis tuæ dignatione, confirmas, ut salutaribus remediis pietatis tuæ corpora nostra, et mentes vegetentur : super hunc famulum tuum propitius intende ; ut omni necessitate corporeæ infirmitatis exclusa, gratia in eo pristinæ sanitatis perfecte reparetur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

PSALMUS LXXXV. Inclina Domine aurem tuam, etc., *ut supra pag.* 254.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

℣. Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem.

℟. Gloria tibi Domine.

Joann. v.

In illo tempore : Erat dies festus Judæorum, et ascendit Jesus Jerosolymam. Est autem Jerosolymis Probatica piscina, quæ cognominatur hebraice Bethsaida, quinque porticus habens. In his jacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, expectantium aquæ motum. Angelus autem Domini descendebat secundum tempus in piscinam, et movebatur aqua. Et qui prior descendisset in piscinam post motionem aquæ, sanus fiebat à quacumque detinebatur infirmitate. Erat autem quidam homo ibi triginta et octo annos habens in infirmitate sua. Hunc cum vidisset Jesus jacentem, et cognovisset, quia multum jam tempus haberet, dicit ei : Vis sanus fieri? Respondit ei languidus : Domine, hominem non habeo, ut cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam : dum venio enim ego, alius ante me descendit. Dicit ei Jesus : Surge, tolle grabatum tuum, et ambula. Et statim sanus factus est homo ille : et sustulit grabatum suum, et ambulabat. Erat autem sabbatum in die illo. Dicebant ergo Judæi illi, qui sanatus fuerat : Sabbatum est, non licet tibi tollere grabatum tuum. Respondit eis : Qui me sanum fecit, ille mihi dixit : Tolle grabatum tuum, et ambula. Interrogaverunt ergo eum : Quis est ille homo, qui dixit tibi : Tolle grabatum tuum, et ambula? Is autem, qui sanus fuerat effectus, nesciebat quis esset. Jesus enim declinavit à turba constituta in loco. Postea invenit eum Jesus in templo, et dixit illi : Ecce sanus factus es : jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.

OREMUS.

Respice, Domine, famulum tuum in infirmitate sui corporis laborantem, et animam refove, quam creasti; ut cogitationibus emendatus, continuo se sentiat tua medicina salvatum. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Psalmus xc. Qui habitat in adjutorio, etc., *ut supra pagina* 200.

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, infirmitatem famuli tui propitius respice, atque ad protegendum eum dexteram tuæ majestatis extende. Per Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

Completa Oratione ultima, Sacerdos imponat dexteram manum super caput infirmi, et dicat :

Super ægros manus imponent, et bene habebunt. Jesus Mariæ Filius, mundi salus, et Dominus, meritis, et intercessione Sanctorum Apostolorum suorum Petri, et Pauli, et omnium Sanctorum, sit tibi clemens, et propitius.

℟. Amen.

Postea dicat :

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

℣. Initium sancti Evangelii secundum Joannem.

℟. Gloria tibi Domine.

In principio erat Verbum, etc., *ut supra pag.* 31.

Postea benedicens infirmum, subjungat dicens :

Benedictio Dei omnipotentis, Patris, et Filii, et Spiritus Sancti descendat super te, et maneat semper. ℟. Amen.

Deinde aspergat eum aqua benedicta.

Si fuerint plures infirmi in eodem cubiculo, vel loco, Preces, et Orationes prædictæ dicantur super eos in numero plurali.

Quæ omnia etiam poterunt arbitrio Sacerdotis breviora fieri.

MODUS JUVANDI MORIENTES.

Ingravescente morbo, Parochus infirmum frequentius visitabit, et ad salutem diligenter juvare non desinet : monebitque, instante periculo, se confestim vocari, ut in tempore præsto sit morienti, sumptoque Sanctissimo Viatico, et sacra Unctione adhibita, si periculum immineat, statim commendationis animæ officium præstabit, de quo infra. Sed si tempus suppetat, sequentia pietatis officia præstare poterit, si ita expedire judicaverit, pro conditione personæ.

Ac primo, si ægrotus indulgentiam legitima auctorite con-

cessam consequi possit, eam illi reducat ad mentem, proponatque, quid ad eam consequendam agi debeat; præsertim, ut contrito corde sanctissimum nomen JESU *semel vel sæpius invocet.*

Deinde hortetur infirmum, et excitet, ut dum mente viget, eliciat actus fidei, spei, et charitatis, aliarumque virtutum, nempe:

Ut firmiter credat omnes articulos fidei, et quidquid Sancta Romana Ecclesia Catholica, et Apostolica credit, et docet.

Ut speret, Christum Dominum nostrum pro sua immensa clementia sibi fore propitium, et merito ejus sanctissimæ Passionis, et per intercessionem Beatæ Mariæ, et omnium Sanctorum se vitam æternam consecuturum.

Ut toto corde diligat, et maxime diligere cupiat Dominum Deum ea dilectione, qua illum diligunt Beati, Sanctique omnes.

Ut ob amorem Dei doleat ex corde de omni offensa, qualitercumque contra Dominum Deum, et proximum commissa.

Ut ex corde ob amorem Dei parcat omnibus, qui sibi quoquo modo fuerint molesti, aut inimici.

Ut ab iis veniam postulet, quos aliquando dictis, aut factis offendit.

Ut quem patitur dolorem, et morbi molestiam, propter Deum in pœnitentiam peccatorum suorum patienter toleret.

Ut si Dominus sibi salutem corporis præstare dignabitur, proponat de cetero pro viribus suis à peccatis cavere, et ejus mandata servare.

Hortetur præterea, ut eo modo quo potest, saltem ex corde, ita per intervalla precetur:

Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam.

In te, Domine, speravi, non confundar in æternum.

In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum: redemisti me Domine Deus veritatis.

Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me festina.

Esto mihi, Domine, in Deum protectorem.

Deus propitius esto mihi peccatori.

Dulcissime Domine Jesu-Christe, per virtutem sanctissimæ passionis tuæ recipe me in numero electorum tuorum.

Domine Jesu-Christe, suscipe spiritum meum.

Maria mater gratiæ, mater misericordiæ, tu me ab hoste protege, et hora mortis suscipe.

Sancte Angele Dei, mihi custos assiste.

Omnes sancti Angeli, et omnes Sancti intercedite pro me, et mihi succurrite.

Hæc, et his similia poterit prudens Sacerdos vulgari, vel latino sermone, pro personæ captu, morienti suggerere.

BENEDICTIO APOSTOLICA IN ARTICULO MORTIS Á SACERDOTIBUS AD ID DELEGATIS IMPERTIENDA.

SS. D. N. Bened. XIV per breve apostol. Pia Mater *(in tom. II Bullarii) ampliavit episcopis facultatem impertiendi benedictionem cum indulgentia plenaria fidelibus in mortis articulo constitutis: etiam per alios tam in civitatibus, quam in diœcesibus ab ipsis subdelegatos, quod indultum non expirat morte Pontificis, nec cessat subdelegatio per cessum aut decessum subdelegantis. Modus impertiendi benedictionem in articulo mortis servandus ab his, qui facultatem habent à Sede apostolica delegatam ibidem ita præscribitur:*

Benedictio in articulo mortis cum soleat impertiri post Sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ, et Extremæ Unctionis illis infirmis, qui vel illam petierint, dum sana mente, et integris sensibus erant, seu verisimiliter petiissent, vel dediderint signa contritionis; impertienda iisdem est, etiam si postea linguæ, ceterorumque sensuum usu sint destituti, aut in delirium, vel amentiam inciderint. Excommunicatis vero, impœnitentibus, et qui in manifesto peccato mortali moriuntur, est omnino deneganda.

Habens prædictam facultatem, ingrediendo cubiculum, ubi jacet infirmus, dicat: *Pax huic domui, etc.*, ac deinde

ægrotum, cubiculum, et circumstantes aspergat aqua benedicta, dicendo Antiphonam: *Asperges, etc.*

Quod si ægrotus voluerit confiteri, audiat illum, et absolvat. Si confessionem non petat, excitet illum ad eliciendum actum contritionis: de hujus benedictionis efficacia, ac virtute, si tempus ferat, breviter admoneat; tum instruat, atque hortetur, ut morbi incommoda ac dolores in anteactæ vitæ expiationem libenter perferat. Deoque sese paratum offerat ad ultro acceptandum quidquid ei placuerit, et mortem ipsam patienter obeundam in satisfactionem pœnarum, quas peccando promeruit. Tum piis ipsum verbis consoletur, in spem erigens, fore, ut ex divinæ munificentiæ largitate eam pœnarum remissionem, et vitam sit consecuturus æternam.

Postea dicat:

℣. Adjutorium nostrum in nomine, etc. *ut supra pag.* 410.

Deinde sequentes Preces quanta poterit majori devotione dicat, admoneatque domesticos, et circumstantes, ut simul orent pro moriente.

ORDO COMMENDATIONIS ANIMÆ.

Parochus ad decedentis animæ commendationem accedens. Clericum saltem unum, si potest, secum habeat, qui deferat vasculum aquæ benedictæ, superpelliceum, et stolam violaceam, quibus ipse Sacerdos ante infirmi cubiculum indutus, locum ingrediens, dicat: Pax huic domui et omnibus habitantibus in ea.

Deinde aspergat ægrotum, lectum, et circumstantes aqua benedicta, dicens: Asperges me, Domine, hyssopo, et mundabor, etc.

Postea Salvatoris nostri Crucifixi imaginem ægroto osculandam præbeat, verbis efficacibus eum ad spem æternæ salutis erigens, ipsamque imaginem coram eo ponat, ut illam aspiciens, salutis suæ spem sumat.

Deinde accensa candela, genibus flexis cum omnibus circumstantibus breves Litanias devote recitet, in hunc modum:

Kyrie eleison.	
Christe eleison.	
Kyrie eleison.	
Sancta Maria,	ora pro eo.
Omnes sancti Angeli et Archangeli,	orate pro eo.
Sancte Abel,	ora.
Omnis chorus justorum,	ora.
Sancte Abraham,	ora.
Sancte Joannes Baptista.	ora.
Sancte Joseph,	ora.
Omnes sancti Patriarchæ, et Prophetæ,	orate.
Sancte Petre,	ora.
Sancte Paule,	ora.
Sancte Andrea,	ora.
Sancte Joannes,	ora.
Omnes sancti Apostoli, et Evangelistæ,	orate.
Omnes sancti Discipuli Domini,	orate.
Omnes sancti Innocentes,	orate.
Sancte Stephane,	ora.
Sancte Laurenti,	ora.
Omnes sancti Martyres,	orate.
Sancte Silvester,	ora.
Sancte Gregori,	ora.
Sancte Augustine,	ora.
Omnes sancti Pontifices, et Confessores,	orate.
Sancte Benedicte,	ora.
Sancte Francisce,	ora.
Omnes sancti Monachi, et Eremitæ,	orate.
Sancta Maria Magdalena,	ora.
Sancta Lucia,	ora.
Omnes sanctæ Virgines, et Viduæ,	orate.
Omnes Sancti, et Sanctæ Dei,	intercedite pro eo.
Propitius esto,	parce ei, Domine.
Propitius esto,	exaudi nos Domine.
Propitius esto,	libera eum Domine.
Ab ira tua,	libera.

A periculo mortis, libera.
A mala morte, libera.
A pœnis inferni, libera.
Ab omni malo, libera.
A potestate diaboli, libera.
Per nativitatem tuam, libera.
Per crucem, et passionem tuam, libera.
Per mortem et sepulturam tuam, libera.
Per gloriosam resurrectionem tuam, libera.
Per admirabilem ascensionem tuam, libera.
Per gratiam Spiritus sancti Paracliti, libera.
In die judicii, libera.
Peccatores, te rogamus audi nos.
Ut ei parcas, te rogamus audi nos.
Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.

Deinde, cum in agone sui exitus anima anxiatur, dicantur sequentes Orationes:

ORATIO.

Proficiscere, anima christiana, de hoc mundo, in nomine Dei Patris omnipotentis, qui te creavit: in nomine Jesu-Christi Filii Dei vivi, qui pro te passus est: in nomine Spiritus Sancti, qui in te effusus est: in nomine Angelorum, et Archangelorum: in nomine Thronorum, et Dominationum: in nomine Principatum, et Potestatum: in nomine Cherubim, et Seraphim: in nomine Patriarcharum, et Prophetarum: in nomine sanctorum Apostolorum, et Evangelistarum: in nomine sanctorum Martyrum, et Confessorum: in nomine sanctorum Monachorum, et Eremitarum: in nomine sanctarum Virginum, et omnium Sanctorum, et Sanctarum Dei: hodie sit in pace locus tuus, et habitatio tua in sancta Sion. Per eumdem Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

ORATIO.

Deus misericors, Deus clemens, Deus, qui secundum multitudinem miserationum tuarum peccata pœnitentium deles, et præteritorum criminum culpas venia remissionis evacuas: respice propitius super hunc famulum tuum N. et remissionem omnium peccatorum suorum tota cordis confessione poscentem deprecatus exaudi. Renova in eo, piissime Pater, quidquid terrena fragilitate corruptum, vel quidquid diabolica fraude violatum est: et unitati corporis Ecclesiæ membrum redemptionis annecte. Miserere, Domine, gemituum, miserere lacrymarum ejus: et non habentem fiduciam, nisi in tua misericordia, ad tuæ sacramentum reconciliationis admitte. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Commendo te omnipotenti Deo, charissime frater, et ei cujus es creatura, committo: ut cum humanitatis debitum, morte interveniente, persolveris, ad Auctorem tuum, qui te de limo terræ formaverat, revertaris. Egredienti itaque animæ tuæ de corpore, splendidus Angelorum cœtus occurrat: judex Apostolorum tibi senatus adveniat: candidatorum tibi Martyrum triumphator exercitus obviet: liliata rutilantium te Confessorum turba circumdet: jubilantium te Virginum chorus excipiat: et beatæ quietis in sinu Patriarcharum te complexus astringat: mitis, atque festivus Christi-Jesu tibi aspectus appareat, qui te inter assistentes sibi jugiter interesse decernat. Ignores omne, quod horret in tenebris, quod stridet in flammis, quod cruciat in tormentis. Cedat tibi teterrimus Satanas cum satellitibus suis: in adventu tuo, te comitantibus Angelis, contremiscat: atque in æternæ noctis chaos immane diffugiat. Exurgat Deus, et dissipentur inimici ejus: et fugiant, qui oderunt eum, à facie ejus. Sicut deficit fumus, deficiant: sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei; et justi epulentur, et exultent in conspectu Dei. Confundantur igitur, et erubescant omnes tartareæ legiones, et ministri Satanæ iter tuum impedire non audiant. Liberet te à cruciatu Christus, qui pro te crucifixus est. Li-

beret te ab æterna morte Christus, qui pro te mori dignatus est. Constituat te Christus Filius Dei vivi intra paradisi sui semper amœna virentia, et inter oves suas te verus ille Pastor agnoscat. Ille ab omnibus peccatis tuis te absolvat; atque ad dexteram suam in electorum suorum te sorte constituat. Redemptorem tuum facie ad faciem videas, et præsens semper assistens, manifestissimam beatis oculis aspicias veritatem. Constitutus igitur inter agmina Beatorum, contemplationis divinæ dulcedine potiaris in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

ORATIO.

Suscipe, Domine, servum tuum in locum sperandæ sibi salvationis à misericordia tua. ℟. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui ex omnibus periculis inferni, et de laqueis pœnarum, et ex omnibus tribulationibus. ℟. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Enoch, et Eliam, de communi morte mundi. ℟. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Noë de diluvio. ℟. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Abraham de Ur Chaldæorum. ℟. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Job de passionibus suis. ℟. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Isaac de hostia, et de manu patris sui Abrahæ. ℟. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Lot de Sodomis, et de flamma ignis. ℟. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Moysen de manu Pharaonis regis Ægyptiorum. ℟. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Danielem de lacu leonum. ℟. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti tres pueros de camino ignis ardentis, et de manu regis iniqui.

℟. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Susannam de falso crimine. ℟. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti David de manu regis Saul, et de manu Goliæ. ℟. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Petrum, et Paulum de carceribus. ℟. Amen.

Et sicut beatissimam Theclam virginem, et martyrem tuam de tribus atrocissimis tormentis liberasti, sic liberare digneris animam hujus servi tui, et tecum facias in bonis congaudere cœlestibus. ℟. Amen.

ORATIO.

Commendamus tibi, Domine, animam famuli tui N. precamurque te, Domine Jesu-Christe, Salvator mundi, ut propter quam ad terram misericorditer descendisti, Patriarcharum tuorum sinibus insinuare non renuas. Agnosce, Domine, creaturam tuam, non à diis alienis creatam, sed à te solo Deo vivo, et vero: quia non est alius Deus præter te, et non est secundum opera tua. Lætifica, Domine, animam ejus in conspectu tuo, et ne memineris iniquitatum ejus antiquarum, et ebrietatum, quas suscitavit furor, sive fervor mali desiderii. Licet enim peccaverit, tamen Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum non negavit, sed credidit, et zelum Dei in se habuit, et Deum qui fecit omnia, fideliter adoravit.

ORATIO.

Delicta juventutis, et ignorantias ejus, quæsumus, ne memineris, Domine: sed secundum magnam misericordiam tuam memor esto illius in gloria claritatis tuæ. Aperiantur ei cœli, collætentur illi Angeli. In regnum tuum, Domine, servum tuum suscipe. Suscipiat eum sanctus Michaël Archangelus Dei, qui militiæ cœlestis meruit principatum. Veniant illi obviam sancti Angeli Dei, et perducant eum in civitatem cœlestem Jerusalem. Suscipiat eum beatus Petrus Apostolus, cui à Deo claves regni cœlestis traditæ sunt. Adjuvet eum sanctus Paulus Apostolus, qui dignus fuit esse vas

electionis. Intercedat pro eo sanctus Joannes electus Dei Apostolus, cui revelata sunt secreta cœlestia. Orent pro eo omnes sancti Apostoli, quibus à Domino data est potestas ligandi atque solvendi. Intercedant pro eo omnes Sancti et electi Dei, qui pro Christi nomine tormenta in hoc sæculo sustinuerunt: ut vinculis carnis exutus, pervenire mereatur ad gloriam regni cœlestis; præstante Domino nostro Jesu-Christo: Qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit, et regnat in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Si vero diutius laborat anima, poterit legi super eum hoc Evangelium sancti Joannis:

Joann. XVII.

Sublevatis oculis in cœlum Jesus, dixit: Pater, venit hora, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te. Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut omne, quod dedisti ei, det eis vitam æternam. Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti, Jesum-Christum. Ego te clarificavi super terram: opus consummavi quod dedisti mihi, ut faciam: et nunc clarifica me tu, Pater, apud temetipsum claritate, quam habui, prius quam mundus esset, apud te. Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo. Tui erant, et mihi eos dedisti: et sermonem tuum servaverunt. Nunc cognoverunt, quia omnia, quæ dedisti mihi, abs te sunt; quia verba, quæ dedisti mihi, dedi eis: et ipsi acceperunt, et cognoverunt vere, quia à te exivi, et crediderunt, quia tu me misisti. Ego pro eis rogo: non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi, quia tui sunt: et mea omnia tua sunt, et tua mea sunt: et clarificatus sum in eis. Et jam non sum in mundo, et hi in mundo sunt, et ego ad te venio. Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi: ut sint unum, sicut et nos. Cum essem cum eis, ego servabam eos in nomine tuo. Quos dedisti mihi, custodivi, et nemo ex eis periit, nisi filius perditionis, ut Scriptura impleatur. Nunc autem ad te venio: et hæc loquor in mundo, ut habeant gaudium meum imple-

tum in semetipsis. Ego dedi eis sermonem tuum, et mundus eos odio habuit, quia non sunt de mundo, sicut et ego non sum de mundo. Non rogo, ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos à malo. De mundo non sunt, sicut et ego non sum de mundo. Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas est. Sicut me misisti in mundum, et ego misi eos in mundum. Et pro eis ego sanctifico meipsum : ut sint et ipsi sanctificati in veritate. Non pro eis autem rogo tantum; sed pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me; ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint: ut credat mundus, quia tu me misisti. Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis: ut sint unum, sicut et nos unum sumus. Ego in eis, et tu in me, ut sint consummati in unum: et cognoscat mundus, quia tu me misisti: et dilexisti eos, sicut et me dilexisti. Pater, quos dedisti mihi, volo, ut ubi sum ego, et illi sint mecum; ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi: quia dilexisti me ante constitutionem mundi. Pater juste, mundus te non cognovit: ego autem te cognovi: et hi cognoverunt, quia tu me misisti. Et notum feci eis nomen tuum, et notum faciam: ut dilectio, qua dilexisti me, in ipsis sit, et ego in ipsis.

Passio Domini nostri Jesu-Christi secundum Joannem.
Cap. XVIII.

In illo tempore: Egressus est Jesus cum discipulis suis trans torrentem Cedron, ubi erat hortus, in quem introivit ipse, et discipuli ejus. Sciebat autem et Judas, qui tradebat eum, locum: quia frequenter Jesus convenerat illuc cum discipulis suis. Judas ergo cum accepisset cohortem, et à Pontificibus et Pharisæis ministros, venit illuc cum lanternis, et facibus, et armis. Itaque Jesus sciens omnia, quæ ventura erant super eum, processit, et dixit eis: Quem quæritis? Responderunt ei: Jesum Nazarenum. Dicit eis Jesus: Ego sum. Stabat autem et Judas qui tradebat eum cum ipsis. Ut ergo dixit eis: Ego sum, abierunt retrorsum, et ceciderunt in terram. Iterum ergo interrogavit eos: Quem quæritis? Illi autem

dixerunt: Jesum Nazarenum. Respondit Jesus: Dixi vobis, quia ego sum: si ergo me quæritis, sinite hos abire. Ut impleretur sermo, quem dixit: Quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam. Simon ergo Petrus habens gladium, eduxit eum, et percussit Pontificis servum, et abscidit auriculam ejus dexteram. Erat autem nomen servo Malchus. Dixit ergo Jesus Petro: Mitte glaudium tuum in vaginam. Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis, ut bibam illum? Cohors ergo et tribunus, et ministri Judæorum comprehenderunt Jesum, et ligaverunt eum, et adduxerunt eum ad Annam primum; erat autem socer Caiphæ, qui erat pontifex anni illius. Erat autem Caiphas, qui consilium dederat Judæis: Quia expedit, unum hominem mori pro populo. Sequebatur autem Jesum Simon Petrus, et alius discipulus. Discipulus autem ille erat notus Pontifici; et introivit cum Jesu in atrium Pontificis. Petrus autem stabat ad ostium foris. Exivit ergo discipulus alius, qui erat notus Pontifici, et dixit ostiariæ; et introduxit Petrum. Dicit ergo Petro ancilla ostiaria: Numquid et tu ex discipulis es hominis istius? Dicit ille: Non sum. Stabant autem servi, et ministri ad prunas, quia frigus erat, et calefaciebant se: erat autem cum eis et Petrus stans, et calefaciens se. Pontifex ergo interrogavit Jesum de discipulis suis, et de doctrina ejus. Respondit ei Jesus: Ego palam locutus sum mundo: ego semper docui in synagoga, et in templo, quo omnes Judæi conveniunt: et in occulto locutus sum nihil. Quid me interrogas? interroga eos, qui audierunt quid locutus sim ipsis: ecce hi sciunt, quæ dixerim ego. Hæc autem cum dixisset, unus assistens ministrorum dedit alapam Jesu, dicens: Sic respondes Pontifici? Respondit ei Jesus: Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem bene, quid me cædis? Et misit eum Annas ligatum ad Caipham Pontificem. Erat autem Simon Petrus stans, et calefaciens se. Dixerunt ergo ei: Numquid et tu ex discipulis ejus es? Negavit ille, et dixit: Non sum. Dicit ei unus ex servis Pontificis cognatus ejus, cujus abscidit Petrus auriculam: Nonne et ego te vidi in horto cum

illo? Iterum ergo negavit Petrus; et statim gallus cantavit. Adducunt ergo Jesum à Caipha in prætorium. Erat autem mane; et ipsi non introierunt in Prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha. Exivit ergo Pilatus ad eos foras, et dixit: Quam accusationem affertis adversus hominem hunc? Responderunt, et dixerunt ei: Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum. Dixit ergo eis Pilatus: Accipite eum vos, et secundum legem vestram judicate eum. Dixerunt ergo ei Judæi: Nobis non licet interficere quemquam. Ut sermo Jesu impleretur, quem dixit, significans qua morte esset moriturus. Introivit ergo iterum in Prætorium Pilatus, et vocavit Jesum, et dixit ei: Tu es Rex Judæorum? Respondit Jesus: A temetipso hoc dicis, an alii dixerunt tibi de me? Respondit Pilatus: Numquid ego Judæus sum? Gens tua, et Pontifices tradiderunt te mihi: quid fecisti? Respondit Jesus: Regnum meum non est de hoc mundo: si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent ut non traderer Judæis: nunc autem regnum meum non est hinc. Dixit itaque ei Pilatus: Ergo Rex es tu? Respondit Jesus: Tu dicis, quia Rex sum ego. Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati: omnis, qui est ex veritate, audit vocem meam. Dicit ei Pilatus: Quid est veritas? Et cum hoc dixisset, iterum exivit ad Judæos, et dicit eis: Ego nullam invenio in eo causam. Est autem consuetudo vobis, ut unum dimittam vobis in Pascha: vultis ergo dimittam vobis Regem Judæorum? Clamaverunt ergo rursum omnes, dicentes: Non hunc, sed Barabbam. Erat autem Barabbas latro. Tunc ergo apprehendit Pilatus Jesum, et flagellavit. Et milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti ejus: et veste purpurea circumdederunt eum. Et veniebant ad eum, et dicebant: Ave Rex Judæorum; et dabant ei alapas. Exivit ergo iterum Pilatus foras, et dicit eis: Ecce adduco vobis eum foras, ut cognoscatis quia nullam invenio in eo causam. (Exivit ergo Jesus portans coronam spineam, et purpureum vestimentum). Et dicit eis: Ecce homo. Cum ergo vidissent

eum Pontifices, et ministri clamabant, dicentes: Crucifige, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Accipite eum vos, et crucifigite: ego enim non invenio in eo causam. Responderunt ei Judæi: Nos legem habemus, et secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit. Cum ergo audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit. Et ingressus est prætorium iterum; et dixit ad Jesum: Unde es tu? Jesus autem responsum non dedit ei. Dicit ergo ei Pilatus: Mihi non loqueris? nescis quia potestatem habeo crucifigere te, et potestatem habeo dimittere te? Respondit Jesus: Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper. Propterea qui me tradidit tibi, majus peccatum habet. Et exinde quærebat Pilatus dimittere eum. Judæi autem clamabant, dicentes: Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. Omnis enim, qui se regem facit, contradicit Cæsari. Pilatus autem cum audisset hos sermones, adduxit foras Jesum, et sedit pro tribunali, in loco, qui dicitur Lithostrotos, hebraice autem Gabbatha. Erat autem Parasceve Paschæ, hora quasi sexta; et dicit Judæis: Ecce Rex vester. Illi autem clamabant: Tolle, tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Regem vestrum crucifigam? Responderunt Pontifices: Non habemus Regem, nisi Cæsarem. Tunc ergo tradidit eis illum, ut crucifigeretur. Susceperunt autem Jesum, et eduxerunt. Et bajulans sibi crucem exivit in eum qui dicitur Calvariæ, locum, hebraice autem Golgotha: ubi crucifixerunt eum, et cum eo alios duos, hinc, et hinc, medium autem Jesum. Scripsit autem et titulum Pilatus, et posuit super crucem. Erat autem scriptum: Jesus Nazarenus, Rex Judæorum. Hunc ergo titulum multi Judæorum legerunt; quia prope civitatem erat locus, ubi crucifixus est Jesus. Erat scriptum hebraice, græce, et latine. Dicebant ergo Pilato Pontifices Judæorum: Noli scribere, Rex Judæorum: sed quia ipse dixit: Rex sum Judæorum. Respondit Pilatus: Quod scripsi, scripsi. Milites ergo cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta ejus, (et fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem), et tunicam. Erat autem tunica inconsutilis, desuper contexta per

totum. Dixerunt ergo ad invicem: Non scindamus eam, sed sortiamur de illa cujus sit; ut Scriptura impleretur, dicens: Partiti sunt vestimenta mea sibi: et in vestem meam miserunt sortem. Et milites quidem hæc fecerunt. Stabant autem juxta crucem Jesu Mater ejus, et soror Matris ejus Maria Cleophe, et Maria Magdalene. Cum vidisset ergo Jesus Matrem, et discipulum stantem quem diligebat, dicit Matri suæ: Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua. Postea sciens Jesus, quia omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura, dixit: Sitio. Vas ergo erat positum aceto plenum. Illi autem spongiam plenam aceto hyssopo circumponentes, obtulerunt ori ejus. Cum ergo accepisset Jesus acetum, dixit: Consummatum est. Et inclinato capite, tradidit spiritum. Judæi ergo (quoniam Parasceve erat), ut non remanerent in cruce corpora sabbato (erat enim magnus dies ille sabbati), rogaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura, et tollerentur. Venerunt ergo milites; et primi quidem fregerunt crura, et alterius qui crucifixus est cum eo. Ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura: sed unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis, et aqua. Et qui vidit, testimonium perhibuit: et verum est testimonium ejus. Et ille scit, quia vera dicit; ut et vos credatis. Facta sunt enim hæc, ut Scriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo. Et iterum alia Scriptura dicit: Videbunt, in quem transfixerunt. Post hæc autem rogavit Pilatum Joseph ab Arimathæa (eo quod esset discipulus Jesu, occultus autem propter metum Judæorum) ut tolleret corpus Jesu. Et permisit Pilatus. Venit ergo, et tulit corpus Jesu. Venit autem et Nicodemus, qui venerat ad Jesum nocte primum, ferens mixturam myrrhæ, et aloes quasi libras centum. Acceperunt ergo corpus Jesu, et ligaverunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Judæis sepelire. Erat autem in loco, ubi crucifixus est, hortus: et in horto monumentum novum, in quo nondum quisquam positus erat. Ibi ergo propter Parasceven Ju-

dæorum, quia juxta erat monumentum, posuerunt Jesum.

Oratio ad Dominum Jesum-Christum de singulis articulis passionis ejus, dicenda à moriente, vel ab alio pro eo.

℣. Adoramus te, Christe, et benedicimus tibi.

℟. Quia per sanctam Crucem tuam redemisti mundum.

OREMUS.

Deus, qui pro redemptione mundi voluisti nasci, circumcidi, à Judæis reprobari, à Juda traditore osculo tradi, vinculis alligari, sicut agnus innocens ad victimam duci, atque conspectibus Annæ, Caiphæ, Pilati, et Herodis indecenter offerri, à falsis testibus accusari, flagellis, et opprobriis vexari, sputis conspui, spinis coronari, colaphis cædi, arundine percuti, facie velari, vestibus exui, cruci clavis affigi, in cruce levari, inter latrones deputari, felle, et aceto potari, et lancea vulnerari. Tu, Domine, per has sanctissimas pœnas tuas, quas ego indignus recolo, et per sanctam crucem et mortem tuam libera me, *(vel si alius dicit pro eo,* libera famulum tuum N.) à pœnis inferni, et perducere digneris, quo perduxisti latronem tecum crucifixum. Qui cum Patre, et Spiritu Sancto vivis, et regnas in sæcula sæculorum.

℟. Amen.

Dici præterea possunt sequentes Psalmi :

Psalmus cxvii. Confitemini Domino, quoniam bonus, etc.

Psalmus cxviii. Beati immaculati in via, etc. Retribue servo tuo, etc. *ut in Brev. in Prima.*

Tres piæ, et utiles morientibus Orationes cum tribus Pater noster, *et tribus* Ave Maria, *in agone mortis recitandæ.*

Primo dicitur : Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. Ave Maria.

ORATIO.

Domine Jesu-Christe, per tuam sanctissimam agoniam, et orationem, qua orasti pro nobis in monte Oliveti, quando factus est sudor tuus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram: obsecro te, ut multitudinem sudoris tui sanguinei, quem

præ timoris angustia copiosissime pro nobis effudisti, offerre, et ostendere digneris Deo Patri omnipotenti contra multitudinem omnium peccatorum hujus famuli tui N., et libera eum in hac hora mortis suæ ab omnibus pœnis et angustiis, quas pro peccatis suis se timet meruisse. Qui cum Patre, et Spiritu Sancto vivis, et regnas Deus in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Secundo dicitur: Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. Ave Maria.

ORATIO.

Domine Jesu-Christe, qui pro nobis mori dignatus es in cruce, obsecro te, ut omnes amaritudines passionum, et pœnarum tuarum, quas pro nobis miseris peccatoribus sustinuisti in cruce maxime in illa hora, quando sanctissima anima tua egressa est de sanctissimo corpore tuo, offerre, et ostendere digneris Deo Patri omnipotenti pro anima hujus famuli tui N., et libera eum in hac hora mortis ab omnibus pœnis, et passionibus, quas pro peccatis suis se timet meruisse. Qui cum Patre et Spiritu Sancto vivis, et regnas Deus in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Tertio dicitur: Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. Ave Maria.

ORATIO.

Domine Jesu-Christe, qui per os Prophetæ dixisti: In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans tui: obsecro te ut eamdem charitatem tuam quæ te de cœlis in terram ad tolerandas omnium passionum tuarum amaritudines attraxit, offerre, et ostendere digneris Deo Patri omnipotenti pro anima hujus famuli tui N., et libera eum ab omnibus passionibus, et pœnis, quas pro peccatis suis timet se meruisse. Et salva animam ejus in hac hora exitus sui. Aperi ei januam vitæ, et fac eum gaudere cum Sanctis tuis in gloria æterna. Et tu, piissime Domine Jesu-Christe, qui redemisti nos pretiosissimo Sanguine tuo, miserere animæ hujus

famuli tui, et eam introducere digneris ad semper virentia, et amœna loca Paradisi, ut vivat tibi amore indivisibili, qui à te, et ab electis tuis numquam separari potest. Qui cum Patre et Spiritu Sancto vivis, et regnas Deus in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

IN EXPIRATIONE.

Cum vero tempus expirandi institerit, tunc maxime ab omnibus circumstantibus flexis genibus vehementer orationi instandum est. Ipse vero moriens, si potest, dicat; vel si non potest, assistens, sive Sacerdos pro eo clara voce pronuntiet: JESU, JESU, JESU. *Quod, et ea, quæ sequuntur, ad illius aures, si videbitur, etiam sæpius repetat:* In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum. Domine Jesu-Christe suscipe spiritum meum. Sancta Maria ora pro me. Maria mater gratiæ, mater misericordiæ, tu me ab hoste protege, et hora mortis suscipe.

Tunc, ubi viget pia consuetudo, pulsetur campana Parochialis Ecclesiæ aliquibus ictibus, ad significandum fidelibus in urbe, vel loco, aut extra in suburbanis existentibus, instantem mortem expirantis ægroti, ut pro eo Deum rogare possint.

Egressa anima de corpore, statim dicatur hoc

℟. Subvenite Sancti Dei, occurrite Angeli Domini, suscipientes animam ejus, offerentes eam in conspectu Altissimi.

℣. Suscipiat te Christus, qui vocavit te, et in sinum Abrahæ Angeli deducant te.

℟. Suscipientes animam ejus, offerentes eam in conspectu Altissimi.

℣. Requiem æternam dona ei, Domine, et lux perpetua luceat ei. Offerentes eam in conspectu Altissimi.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.

℣. Et ne nos inducas, etc. ℟. Sed libera nos à malo.

℣. Requiem æternam, etc. ℟. Et lux perpetua luceat ei.

℣. A porta inferi. ℟. Erue, Domine, animam ejus.

℣. Requiescat in pace. ℟. Amen.

℣. Domine, exaudi orationem meam, etc.

℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS.

Tibi, Domine, commendamus animam famuli tui N. ut defunctus sæculo tibi vivat: et quæ per fragilitatem humanæ conversationis, peccata commisit, tu venia misericordissimæ pietatis absterge. Per Christum, etc. ℟. Amen.

Nota. *Qui circa assistentiam infirmorum amplius desideret, adeat aureum librum S. M. Alph. de Ligorio cui titulus* Homo Apostolicus, *ubi optimam inveniet doctrinam, quam etiam in hispanum idioma translatam legere quibit in alio opere cui titulus* Manual de Confesores.

APPENDIX II ET ULTIMA.

DE ADJURATIONE ET EXORCISMIS.

DOCTRINÆ ET CANONES.

(Ex Rit. Tarraconensi).

Adjuratio est contestatio rei sacræ, cujus reverentia intendimus alterum promovere ad aliquid præstandum.

Duplex autem est adjuratio, nempe deprecativa, quæ fit deprecando; imperativa, quæ fit præcipiendo, et timorem incutiendo per contestationem rerum sacrarum. Adjuratione imperativa utimur erga subditos, nam vis præceptiva dirigitur ad subditos. Imo graviter peccat, qui ea utitur in non subditos in re gravi, nam usurpat sibi alienam potestatem.

Dæmones non adjurantur adjuratione deprecativa, quia hæc fieri non potest sine subjectione, submissione, et societate, quæ cum dæmone gravissimo humani generis hoste

prorsus est illicita; sed adjurantur adjuratione imperativa, quia Ecclesia specialem habet in dæmones potestatem ei à Christo communicatam (*Luc.* x) ubi cum ejus discipuli dicerent, *Domine, etiam dæmonia subjiciuntur nobis in Nomine tuo*, ait illis: *Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes, et scorpiones, et super omnem virtutem inimici: et nihil vobis nocebit.* Adjuratione vero deprecativa utimur erga Deum, vel Sanctos, vel homines ad aliquid deprecandum, ut patet ex communi Ecclesiæ usu, quæ verbis adjuratoriis finem orationibus imponit, *Per Dominum nostrum, etc.*

Sola rationalis creatura congruenter adjurari potest; quia ipsa sola potest reverentia rerum sacrarum, et amore vel timore Dei compelli ad aliquid agendum: propterea adjurari possunt homines tam viatores quam beati; Angeli tam boni quam mali. Imo Deus ipse potest aliquo modo adjurari, non per modum imperii, sed per modum obsecrationis et deprecationis, ut patet ex usu et praxi Ecclesiæ, quæ semper orare consuevit per Christum.

Creaturæ inanimatæ per se non adjurantur, sed quatenus respiciunt creaturam rationalem; ob id aqua, vel sal exorcizatur, ut in ejus usu Deus assistat, diaboli vires contundat, eumque expellat, ita ut in illius usu nocere nequeat.

Adjurantur etiam locustæ fructibus nocentes, grandines, et nubes, etc., non per se, nec directe, sed per ordinem ad dæmonem, vel ad Deum, à quibus moveri possunt: dum adjurantur per ordinem ad Deum, utimur adjuratione deprecativa; dum adjurantur per ordinem ad dæmonem, utimur imperativa, imperando illi ne moveat, ne noceat, sed desistat.

Non est licitum adjurare dæmones, ut opem ferant ad fugandas grandines, et alia similia: quia non licet beneficium à dæmone expectare, et cum eo societatem habere, Christus enim tantum reliquit potestatem arcendi dæmones tamquam hostes, et consequenter recedendi ab eorum societate.

Facultas adjurandi dæmones, eosque expellendi competit solis Clericis habentibus ordinem exorcistarum, quoties ad-

juratio fit juxta publicam formam ab Ecclesia præscriptam et juxta ritum exorcismorum. Hoc patet ex forma, quæ profertur in collatione ordinis exorcistatus. Et quamvis Parochis et Clericis exorcistis proprie competat potestas expellendi dæmones ex officio (seu publice) per invocationem nominis Dei, et per exorcismos; tamen in Synodo Tarraconensi an. 1668 habita per Ilm. D. D. Fr. Joan. Emmanuel de Spinosa prohibitum fuit Parochis aliisque Clericis habentibus ordinem exorcistatus hanc potestatem exercere, nisi gaudeant licentia expressa ab Ordinario, et fuerint per Ordinarium specialiter ad id approbati et idonei judicati; nam ad hoc munus exercendum, non solum requiritur scientia et prudentia, verum etiam probitas. *Hucusque Rituale Tarraconense.*

Ad rem hic addenda videtur sequens doctrina ex S. Ligorio, Billuart, et aliis desumpta. Est utique officium Exorcistæ adjurare dæmones, verum propter frequentes abusus, qui in exorcismis aliquando irrepsere, aliisque justis de causis, nequidem Presbyteri ex hodierna Ecclesiæ disciplina adjurare possunt dæmones, nisi prius obtenta expressa et speciali Ordinarii licentia: licet enim exorcistatus ordine insignitus revera potestatem habeat exorcizandi, illam tamen habet Superioris voluntati subjectam, ac veluti annexam et ligatam. Et nullum posse exorcizare sine facultate Ordinarii, etiamsi Regularis sit, decrevit *S. Congregatio Episcop. et Regul. in Florentina* 22 februarii 1625, et expresse confirmavit *S. Cong. S. Officii* die 5 julii 1710 per Litteram Encyclicam directam omnibus Archiepiscopis, Episcopis, aliisque Ordinariis Italiæ, et Insularum adjacentium, quam italico idiomate exaratam de verbo ad verbum excripsit P. Luc. Ferr. V. *Exorcizare n.* 10.

Imo in hac Vicensi Diœcesi nullus ministerium Exorcistæ exercere valet sine licentia Ordinarii in scriptis. Ita constat ex Constitutionibus Synodalibus Vicen. in unum collectis, renovatis et auctis sub Ilmo. Episc. D. D. Emmanuele à Muñoz, in quibus cap. VII hæc habentur: «Ideo hac Constitu-«tione decernimus, ne ullus ministerium Exorcistæ exerceat,

« absque Nostra, vel Nostri Vicarii Generalis licentia in scrip-
« tis. » Optime ergo inter regulas exorcismorum in Collectione P. Sannig contentas hæc apponitur, nempe: « Caveat « autem Exorcista, ne ipse hoc munus exerceat, nisi prius « habita in scriptis facultate à Superiori suo Majore. »

Observanda pro praxi exorcizandi obsessos à dæmone.

(Ex Rituali Romano).

Sacerdos, sive quivis alius legitimus Ecclesiæ minister, vexatos à dæmone exorcizaturus, ea, qua par est, pietate, prudentia, ac vitæ integritate præditus esse debet, qui non sua, sed divina fretus virtute, ab omni rerum humanarum cupiditate alienus, tam pium opus ex charitate constanter, et humiliter exequatur. Hunc præterea maturæ ætatis esse decet, et non solum officio, sed etiam morum gravitate reverendum.

Ut igitur suo munere recte fungatur, cum alia multa sibi utilia documenta, quæ brevitatis gratia hoc loco prætermittuntur, ex probatis Auctoribus, et ex usu noscere studeat; tum hæc pauca magis necessaria diligenter observabit:

In primis ne facile credat, aliquem à dæmone obsessum esse, sed nota habeat ea signa, quibus obsessus dignoscitur ab iis, qui vel atrabili, vel morbo aliquo laborant. Signa autem obsidentis dæmonis sunt: ignota lingua loqui pluribus verbis, vel loquentem intelligere; distantia, et occulta patefacere; vires supra ætatis, seu conditionis naturam ostendere; et id genus alia, quæ cum plurima concurrunt, majora sunt indicia.

Hæc autem ut magis cognoscat, post unum, aut alterum exorcismum, interroget obsessum, quid senserit in animo, vel in corpore, ut sciat etiam, ad quænam verba magis diaboli conturbentur, ut ea deinceps magis inculcet, ac repetat.

Advertat, quibus artibus, ac deceptionibus utantur dæmones ad Exorcistam decipiendum: solent enim ut plurimum fallaciter respondere, et difficile se manifestare, ut Exorcista diu defatigatus desistat, aut infirmus videatur non

esse à dæmonio vexatus. Aliquando, postquam sunt manifesti, abscondunt se, et relinquunt corpus quasi liberum ab omni molestia, ut infirmus putet, se omnino esse liberatum; sed cessare non debet Exorcista, donec viderit signa liberationis. Aliquando etiam dæmones ponunt quæcumque possunt impedimenta, ne infirmus se subjiciat exorcismis, vel conantur persuadere, infirmitatem esse naturalem: interdum in medio exorcismi faciunt dormire infirmum, vel ei visionem aliquam ostendunt, subtrahendo se, ut infirmus liberatus videatur. Aliqui ostendunt factum maleficium, et à quibus sit factum, et modum ad illud dissipandum: sed caveat, ne ob hoc ad magos, vel ad sagas, vel ad alios, quam ad Ecclesiæ ministros confugiat, aut ulla superstitione, aut alio modo illicito utatur. Quandoque diabolus infirmum quiescere, et suscipere sanctissimam Eucharistiam permittit, ut discessisse videatur. Denique innumerabiles sunt artes, et fraudes diaboli ad decipiendum hominem, quibus ne fallatur, Exorcista cautus esse debet.

Quare memor, Dominum nostrum dixisse, genus esse dæmoniorum, quod non ejicitur nisi per orationem, et jejunium (*Matth.* XVII), hæc duo potissimum remedia ad impetrandum divinum auxilium, dæmonesque pellendos, exemplo Sanctorum Patrum, quoad ejus fieri poterit, tum per se, tum per alios curet adhiberi.

In Ecclesiam, si commode fieri potest, vel in alium religiosum et honestum locum seorsum à multitudine perductus energumemus exorcizetur, sed si fuerit ægrotus, vel persona nobilis, vel alia honesta de causa, in domo privata exorcizari poterit.

Admoneatur obsessus, si mente et corpore valeat, ut pro se oret Deum, ac jejunet, et sacra Confessione, et Communione sæpius ad arbitrium Sacerdotis se communiat; et dum exorcizatur, totum se colligat, et ad Deum convertat, ac firma fide salutem ab eo deposcat cum omni humilitate. Et cum vehementius vexatur, patienter sustineat, nihil diffidens de auxilio Dei. Habeat præ manibus, vel

in conspectu Crucifixum. Reliquiæ quoque Sanctorum, ubi haberi possint, decenter, ac tuto colligatæ, et coopertæ ad pectus, vel ad caput obsessi reverenter admoveantur: sed caveatur, ne res sacræ indigne tractentur, aut illis à dæmone ulla fiat injuria. Sanctissima vero Eucharistia super caput obsessi, aut aliter ejus corpori non admoveatur, ob irreverentiæ periculum.

Exorcista ne vagetur in multiloquio, aut supervacaneis vel curiosis interrogationibus, præsertim de rebus futuris, et occultis ad suum munus non pertinentibus, sed jubeat immundum spiritum tacere, et ad interrogata tantum respondere, neque ei credatur, si dæmon simularet se esse animam alicujus Sancti, vel defuncti, vel Angelum bonum.

Necessariæ vero interrogationes sunt, ut de numero, et nomine spirituum obsidentium, de tempore, quo ingressi sunt, de causa, et aliis hujusmodi. Cæteras autem dæmonis nugas, risus, et ineptias Exorcista cohibeat, aut contemnat, et circumstantes, qui pauci esse debent, admoneat, ne hæc curent, neque ipsi interrogent obsessum; sed potius humiliter, et enixe Deum pro eo precentur.

Exorcismum vero faciat, ac legat cum imperio, et auctoritate, magna fide, et humilitate, atque fervore: et cum viderit spiritum valde torqueri, tunc magis instet, et urgeat; et quoties viderit obsessum in aliqua corporis parte commoveri, aut pungi, aut tumorem alicubi apparere, ibi faciat signum Crucis, et aqua benedicta aspergat, quam exorcizando in promptu habeat.

Observet etiam, ad quæ verba dæmones magis contremiscant, et ea sæpius repetat; et quando pervenerit ad comminationem, eam iterum, et sæpius proferat, semper pœnam augendo; ac si videat se proficere, in ipsa perseveret per duas, tres, quator horas, et amplius, prout poterit, donec victoriam consequatur.

Caveat proinde Exorcista, ne ullam medicinam infirmo, vel obsesso præbeat, aut suadeat: sed hanc curam medicis relinquat.

Mulierem exorcizans semper secum habeat honestas personas, quæ obsessam teneant, dum exagitatur à dæmonio, quæ quidem personæ sint patienti, si fieri potest, cognatione proximæ ; atque honestatis memor Exorcista caveat, ne quid dicat vel faciat, quod sibi, aut aliis occasio esse possit pravæ cogitationis.

Dum exorcizat, utatur Sacræ Scripturæ verbis potius, quam suis, aut alienis: jubeatque dæmonem dicere, an detineatur in illo corpore ob aliquam operam magicam, aut malefica signa, vel instrumenta, quæ si obsessus ore sumpserit, evomat; vel si alibi extra corpus fuerint, ea revelet, et inventa comburantur. Moneatur etiam obsessus, ut tentationes suas omnes Exorcistæ patefaciat.

Si vero obsessus liberatus fuerit, moneatur, ut diligenter sibi caveat à peccatis, ne occasionem dæmoni præbeat in ipsum revertendi, ne fiant novissima hominis illius pejora prioribus.

FORMA EXORCIZANDI OBSESSOS A DÆMONIO.

(Ex Rit. Rom. Tarr. Vicen. et Col. P. Sannig).

Sacerdos, sive alius Exorcista, rite confessus, aut saltem corde peccata sua detestans, peracto, si commode fieri potest, Sanctissimo Missæ Sacrificio, divinoque auxilio piis precibus implorato, superpelliceo, et stola violacea, cujus extrema pars ad obsessi collum circumponatur, indutus, et coram se habens obsessum ligatum, si fuerit periculum, eum, se, et stantes communiat signo Crucis, et aspergat aqua benedicta, et genibus flexis, aliis respondentibus, dicat Litanias ordinarias usque ad Preces inclusive, ut supra pag. 40.

In fine Antiphona:

Ne reminiscaris, Domine, delicta nostra, vel parentum nostrorum, neque vindictam sumas de peccatis nostris. Pater noster, *secreto.*

℣. Et ne nos inducas, etc. ℟. Sed libera nos, etc.

Psalmus liii. Deus in nomine tuo salvum me fac, etc., *ut supra pag.* 252. Gloria Patri, etc.

℣. Salvum fac servum tuum.
℟. Deus meus sperantem, etc.
℣. Esto ei, Domine, turris fortitudinis.
℟. A facie inimici.
℣. Nihil proficiat inimicus in eo.
℟. Et filius iniquitatis, etc.
℣. Mitte ei, Domine, auxilium, etc.
℟. Et de Sion tuere, etc.
℣. Domine, exaudi, etc. ℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS.

Deus, cui proprium est misereri semper, et parcere : suscipe deprecationem nostram; ut hunc famulum tuum *(vel* famulam tuam) quem *(vel* quam) delictorum catena constringit, miseratio tuæ pietatis clementer absolvat.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, Pater Domini nostri Jesu-Christi : qui illum refugam tyrannum, et apostatam gehennæ ignibus deputasti ; quique Unigenitum tuum in hunc mundum misisti, ut illum rugientem contereret; velociter attende, accelera, ut eripias hominem ad imaginem, et similitudinem tuam creatum à ruina, et dæmonio meridiano. Da, Domine, terrorem tuum super bestiam, quæ exterminat vineam tuam. Da fiduciam servis tuis contra nequissimum draconem pugnare fortissime, ne contemnat sperantes in te, et ne dicat, sicut in Pharaone, qui jam dixit, Deum non novi, nec Israel dimitto. Urgeat illum dextera tua potens discedere à famulo tuo N. *(vel* à famula tua N.) ✠ ne diutius præsumat captivum tenere, quem tu ad imaginem tuam facere dignatus es, et in Filio tuo redemisti : Qui tecum vivit, et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Deinde præcipiat dæmoni hunc in modum :

Præcipio tibi, quicumque es, spiritus immunde, et omnibus sociis tuis hunc Dei famulum obsidentibus, ut per mysteria Incarnationis, Passionis, Resurrectionis, et Ascensionis Domini nostri Jesu-Christi, per missionem Spiritus

Sancti, et per adventum ejusdem Domini nostri ad judicium dicas mihi nomen tuum, diem, et horam exitus tui, cum aliquo signo; et ut mihi Dei ministro, licet indigno, prorsus in omnibus obedias: neque hanc creaturam Dei, vel circumstantes, aut eorum bona ullo modo offendas.

Deinde legantur super obsessum hæc Evangelia, vel unum, aut alterum. Lectio sancti Evangelii secundum Joannem. *Hæc dicens signat se, et obsessum in fronte, ore, et pectore.* In principio erat Verbum., etc., *ut supra pag.* 31.

Lectio sancti Evangelii secundum Marcum.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit condemnabitur. Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur: In nomine meo dæmonia ejicient: linguis loquentur novis: serpentes tollent: et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: super ægros manus imponent, et bene habebunt.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

In illo tempore: Reversi sunt septuaginta duo cum gaudio, dicentes ad Jesum: Domine, etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo. Et ait illis: Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem. Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, et scorpiones, et super omnem virtutem inimici; et nihil vobis nocebit. Verumtamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subjiciuntur: gaudete autem, quod nomina vestra scripta sunt in cœlis.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

In illo tempore: Erat Jesus ejiciens dæmonium, et illud erat mutum. Et cum ejecisset dæmonium, locutus est mutus, et admiratæ sunt turbæ. Quidam autem ex eis dixerunt: In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia. Et alii tentantes, signum de cœlo quærebant ab eo.

Ipse, autem ut vidit cogitationes eorum, dixit eis : Omne regnum in seipsum divisum desolabitur, et domus supra domum cadet. Si autem et Satanas in seipsum divisus est, quomodo stabit regnum ejus? quia dicitis, in Beelzebub me ejicere dæmonia. Si autem ego in Beelzebub ejicio dæmonia : filii vestri in quo ejiciunt? Ideo ipsi judices vestri erunt. Porro si in digito Dei ejicio dæmonia : profecto pervenit in vos regnum Dei. Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea, quæ possidet. Si autem fortior eo superveniens vicerit eum, universa arma ejus auferet, in quibus confidebat, et spolia ejus distribuet.

℣. Domine, exaudi, etc. ℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS.

Omnipotens Domine, Verbum Dei Patris, Christe Jesu, Deus, et Dominus universæ creaturæ ; qui sanctis Apostolis tuis dedisti potestatem calcandi super serpentes, et scorpiones, qui inter cetera mirabilium tuorum præcepta dignatus es dicere, dæmones effugate : cujus virtute motus tamquam fulgur de cœlo Satanas cecidit : tuum sanctum nomen cum timore, et tremore suppliciter deprecor, ut indignissimo mihi servo tuo, data venia omnium delictorum meorum, constantem fidem, et potestatem donare digneris, ut hunc crudelem dæmonem, brachii tui sancti munitus potentia, fidenter, et securus aggrediar, per te, Jesu-Christe Domine Deus noster, qui venturus es judicare vivos, et mortuos, et sæculum per ignem. ℟. Amen.

Deinde muniens se, et obsessum signo Crucis, circumposita parte stolæ ad collum ejus, et dextera manu sua capiti ejus imposita, constanter et magna cum fide dicat ea, quæ sequuntur :

℣. Ecce Crucem Domini, fugite partes adversæ.

℟. Vicit leo de tribu Juda, radix David.

℣. Domine, exaudi, etc. ℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS.

Deus, et Pater Domini nostri Jesu-Christi, invoco nomen

sanctum tuum, et clementiam tuam supplex exposco, ut adversus hunc, et omnem immundum spiritum, qui vexat hoc plasma tuum, mihi auxilium præstare digneris. Per eumdem Dominum.

¶ *Exorcismus.*

Exorcizo te, immundissime spiritus, omnis incursio adversarii, omne phantasma, omnis legio, in nomine Domini nostri Jesu ✠ Christi era dicare, et effugare ab hoc plasmate Dei ✠. Ipse tibi imperat, qui te de supernis cœlorum in inferiora terræ demergi præcepit. Ipse tibi imperat, qui mari, ventis, et tempestatibus imperavit. Audi ergo, et time, Satana, inimice fidei, hostis generis humani, mortis adductor, vitæ raptor, justitiæ declinator, malorum radix, fomes vitiorum, seductor hominum, proditor gentium, incitator invidiæ, origo avaritiæ, causa discordiæ, excitator dolorum: quid stas, et resistis, cum scias Christum Dominum vires tuas perdere? Illum metue, qui in Isaac immolatus est, in Joseph venumdatus, in agne occisus, in homine crucifixus, deinde inferni triumphator fuit.

Sequentes Cruces fiant in fronte obsessi.

Recede ergo in nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti; da locum Spiritui Sancto, per hoc signum sanctæ ✠ Crucis Jesu-Christi Domini nostri: Qui cum Patre, et eodem Spiritu Sancto vivit, et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

℣. Domine, exaudi, etc. ℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS.

Deus conditor et defensor generis humani, qui hominem ad imaginem tuam formasti: respice super hunc famulum tuum N. *(vel* hanc famulam tuam N.) qui *(vel* quæ) dolis immundi spiritus appetitur, quem vetus adversarius, antiquus hostis terræ, formidinis horrore circumvolat, et sensum mentis humanæ stupore defigit, terrore conturbat, et metu trepidi timoris exagitat. Repelle, Domine, virtutem diaboli, fallacesque ejus insidias amove; procul impius ten-

tator aufugiat : sit nominis tui signo ✠ *(in fronte)* famulus tuus munitus, et in animo tutus, et corpore.

Tres cruces sequentes fiant in pectore dæmoniaci.

Tu pectoris ✠ hujus interna custodias. Tu viscera ✠ regas. Tu ✠ cor confirmes. In anima adversatricis potestatis tentamenta evanescant. Da, Domine, ad hanc invocationem sanctissimi nominis tui gratiam, ut qui hucusque terrebat, territus aufugiat, et victus abscedat, tibique possit hic famulus tuus, et corde firmatus, et mente sincerus debitum præbere famulatum. Per Dominum, etc.

¶ *Exorcismus.*

Adjuro te, serpens antique, per Judicem vivorum, et mortuorum, per factorem tuum, per factorem mundi, per eum, qui habet potestatem mittendi te in gehennam, ut ab hoc famulo Dei N. qui ad Ecclesiæ sinum recurrit, cum metu, et exercitu furoris tui festinus discedas. Adjuro te iterum ✠ *(in fronte)* non mea infirmitate, sed virtute Spiritus Sancti, ut exeas ab hoc famulo Dei N. quem omnipotens Deus ad imaginem suam fecit. Cede igitur, cede non mihi, sed ministro Christi. Illius enim te urget potestas, qui te Cruci suæ subjugavit. Illius brachium contremisce, qui devictis gemitibus inferni, animas ad lucem perduxit. Sit tibi terror corpus hominis ✠ *(in pectore)* sit tibi formido imago Dei ✠ *(in fronte)*. Non resistas, nec moreris discedere ab homine isto, quoniam complacuit Christo in homine habitare. Et ne contemnendum putes, dum me peccatorem nimis esse cognoscis. Imperat tibi Deus ✠. Imperat tibi majestas Christi ✠. Imperat tibi Deus Pater ✠, imperat tibi Deus Filius ✠, imperat tibi Deus Spiritus ✠ Sanctus. Imperat tibi Sacramentum Crucis ✠. Imperat tibi fides Sanctorum Apostolorum Petri, et Pauli, et ceterorum Sanctorum ✠. Imperat tibi Martyrum sanguis ✠. Imperat tibi continentia Confessorum ✠. Imperat tibi pia Sanctorum, et Sanctarum omnium intercessio ✠. Imperat tibi Christianæ fidei mysteriorum virtus ✠. Exi ergo transgres-

sor. Exi seductor, plene omni dolo, et fallacia, virtutis inimice, innocentium persecutor; da locum dirrissime; da locum impiissime; da locum Christo, in quo nihil invenisti de operibus tuis, qui te spoliavit, qui regnum tuum destruxit, qui te victum ligavit, et vasa tua diripuit, qui te projecit in tenebras exteriores, ubi tibi cum ministris tuis erit præparatus interitus. Sed quid truculente reniteris? quid temerarie detrectas? Reus es omnipotenti Deo, cujus statuto transgressus es. Reus es Filio ejus Jesu-Christo Domino nostro, quem tentare ausus es, et crucifigere præsumpsisti. Reus es humano generi, cui tuis persuasionibus mortis venenum propinasti.

Adjuro ergo te, draco nequissime, in nomine Agni ✠ immaculati, qui ambulavit super aspidem, et basiliscum, qui conculcavit leonem, et draconem, ut discedas ab hoc homine ✠ *(fiat in fronte)*. discedas ab Ecclesia Dei ✠ *(fiat signum Crucis super circumstantes)*, contremisce, et effuge, invocato nomine Domini illius, quem inferi tremunt, cui Virtutes cœlorum, et Potestates, et Dominationes subjectæ sunt; quem Cherubim, et Seraphim indefessis vocibus laudant, dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth. Imperat tibi Verbum ✠ caro factum. Imperat tibi natus ✠ ex Virgine. Imperat tibi Jesus ✠ Nazarenus, qui te, cum discipulos ejus contemneres, elisum, atque prostratum exire præcepit ab homine; quo præsente, cum te ab homine separasset, nec porcorum gregem ingredi præsumebas. Recede ergo nunc adjuratus in nomine ejus ✠ ab homine, quem ipse plasmavit. Durum est tibi velle resistere ✠. Durum est tibi contra stimulum calcitrare ✠. Quia quanto tardius exis, tanto magis tibi supplicium crescit, quia non homines contemnis, sed illum, qui dominatur vivorum, et mortuorum, qui venturus est judicare vivos, et mortuos, et sæculum per ignem. ℟. Amen.

℣. Domine, exaudi, etc.

℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS.

Deus cœli, Deus terræ, Deus Angelorum, Deus Archangelorum, Deus Prophetarum, Deus Apostolorum, Deus Martyrum, Deus Virginum; Deus, qui potestatem habes donare vitam post mortem, requiem post laborem; quia non est alius Deus præter te, nec esse poterit verus, nisi tu creator cœli, et terræ, qui verus Rex es, et cujus regni non erit finis; humiliter majestati gloriæ tuæ supplico, ut hunc famulum tuum de immundis spiritibus liberare digneris. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

¶ *Exorcismus.*

Adjuro ergo te, omnis immundissime spiritus, omne phantasma, omnis incursio Satanæ, in nomine Jesu-Christi ✠ Nazareni, qui post lavacrum Jordanis, in desertum ductus est, et te in tuis sedibus vicit, ut quem ille de limo terræ ad honorem gloriæ suæ formavit, tu desinas impugnare: et in homine miserabili non humanam fragilitatem, sed imaginem omnipotentis Dei contremiscas. Cede ergo Deo ✠, qui te, et malitiam tuam in Pharaone, et in exercitu ejus per Moysen servum suum in abyssum demersit. Cede Deo ✠ qui te per fidelissimum servum suum David de rege Saule spiritualibus canticis pulsum fugavit. Cede Deo ✠, qui te in Juda Iscariote proditore damnavit. Ille enim te divinis ✠ verberibus tangit, in cujus conspectu cum tuis legionibus tremens, et clamans dixisti: Quid nobis, et tibi Jesu Fili Dei altissimi? Venisti huc ante tempus torquere nos? Ille te perpetuis flammis urget, qui in fine temporum dicturus est impiis: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, et angelis ejus. Tibi enim, impie, et angelis tuis vermes erunt, qui numquam morientur. Tibi, et angelis tuis inextinguibile præparatur incendium, quia tu es princeps maledicti homicidii; tu auctor incestus, tu sacrilegorum caput, tu actionum pessimarum magister, tu hæreticorum doctor, tu totius obscœnitatis

inventor. Exi ergo ✠ impie, exi ✠ scelerate, exi cum omni fallacia tua, qui hominem templum suum esse voluit Deus. Sed quid diutius moraris hic! Da honorem Deo Patri omnipotenti ✠, cui omne genuflectitur. Da locum Domino Jesu-Christo ✠, qui pro homine Sanguinem suum sacratissimum fudit. Da locum Spiritui ✠ Sancto, qui per beatum Apostolum suum Petrum te manifeste stravit in Simone mago; qui fallaciam tuam in Anania, et Saphira condemnavit; qui te in Herode rege, honorem Deo non dante, percussit; qui te in mago Elyma per Apostolum suum Paulum cæcitatis caligine perdidit, et per eumdem de Pytonisa verbo imperans exire præcepit. Discede ergo nunc ✠, discede ✠ seductor. Tibi eremus sedes est. Tibi habitatio serpens est: humiliare, et prosternere. Jam non est differendi tempus. Ecce enim Dominator Dominus proximat cito, et ignis ardebit ante ipsum, et præcedet, et inflammabit in circuitu inimicos ejus. Si enim hominem fefelleris, Deum non poteris irridere. Ille te ejicit, cujus oculis nihil occultum est. Ille te expellit, cujus virtuti universa subjecta sunt. Ille te excludit, qui tibi, et angelis tuis præparavit æternam gehennam; de cujus ore exibit gladius acutus: Qui venturus est judicare vivos, et mortuos, et sæculum per ignem. ℟. Amen.

Prædicta omnia, quatenus opus fuerit, repeti possunt, donec obsessus sit omnino liberatus.

Juvabit præterea plurimum hæc, quæ infra notantur, super obsessum devote dicere, sæpeque repetere.

Pater noster, etc. Ave Maria, etc. Credo, etc.

Canticum: Magnificat, etc., *ut supra pag.* 294. *Canticum:* Benedictus, etc., *ut supra pag.* 177.

Symbolum S. Athanasii.

Quicumque vult salvus esse, * ante omnia opus est, ut teneat Catholicam fidem.

Quam nisi quisque integram, inviolatamque servaverit, * absque dubio in æternum peribit.

Fides autem Catholica hæc est, * ut unum Deum in Trinitate, et Trinitatem in unitate veneremur.

Neque confundentes personas, * neque substantiam separantes.

Alia est enim persona Patris, alia Filii, * alia Spiritus Sancti.

Sed Patris, et Filii, et Spiritus Sancti una est divinitas, * æqualis gloria, coæterna majestas.

Qualis Pater, talis Filius, * talis Spiritus Sanctus.

Increatus Pater, increatus Filius, * increatus Spiritus Sanctus.

Immensus Pater, immensus Filius, * immensus Spiritus Sanctus.

Æternus Pater, æternus Filius, * æternus Spiritus Sanctus.

Et tamen non tres æterni, * sed unus æternus.

Sicut non tres increati, nec tres immensi, * sed unus increatus, et unus immensus.

Similiter omnipotens Pater, omnipotens Filius, * omnipotens Spiritus Sanctus.

Et tamen non tres omnipotentes, * sed unus omnipotens.

Ita Deus Pater, Deus Filius, * Deus Spiritus Sanctus.

Et tamen non tres Dii, * sed unus est Deus.

Ita Dominus Pater, Dominus Filius, * Dominus Spiritus Sanctus.

Et tamen non tres Domini, * sed unus est Dominus.

Quia sicut singillatim unamquamque personam Deum, ac Dominum confiteri Christiana veritate compellimur: * ita tres Deos, aut Dominos dicere, Catholica religione prohibemur.

Pater à nullo est factus, * nec creatus, nec genitus.

Filius à Patre solo est, * non factus, nec creatus, sed genitus.

Spiritus Sanctus à Patre, et Filio, * non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.

Unus ergo Pater, non tres Patres, unus Filius, non tres Filii: * unus Spiritus Sanctus, non tres Spiritus Sancti.

Et in hac Trinitate nihil prius, aut posterius, nihil majus,

aut minus: * sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt, et coæquales.

Ita ut per omnia, sicut jam supra dictum est, * et unitas in Trinitate, et Trinitas in unitate veneranda sit.

Qui vult ergo salvus esse, * ita de Trinitate sentiat.

Sed necessarium est ad æternam salutem, * ut incarnationem quoque Domini nostri Jesu-Christi fideliter credat.

Est ergo fides recta, ut credamus, et confiteamur, * quia Dominus noster Jesus-Christus Dei Filius, Deus, et homo est.

Deus est ex substantia Patris ante sæcula genitus: * et homo est ex substantia matris in sæculo natus.

Perfectus Deus, perfectus homo, * ex anima rationali, et humana carne subsistens.

Æqualis Patri secundum divinitatem, * minor Patre secundum humanitatem.

Qui licet Deus sit, et homo, * non duo tamen, sed unus est Christus.

Unus autem non conversione divinitatis in carnem, * sed assumptione humanitatis in Deum.

Unus omnino non confusione substantiæ, * sed unitate personæ.

Nam sicut anima rationalis, et caro unus est homo, * ita Deus, et homo unus est Christus.

Qui passus est pro salute nostra, descendit ad inferos, * tertia die resurrexit à mortuis.

Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis: * inde venturus est judicare vivos, et mortuos.

Ad cujus adventum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis, * et reddituri sunt de factis propriis rationem.

Et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam: * qui vero mala, in ignem æternum.

Hæc est fides Catholica: * quam nisi quisque fideliter, firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, etc.

Psalmus xc : Qui habitat, etc., *ut supra pagina* 200.
Psalmus lxvii : Exurgat Deus, etc., *ut supra pag.* 242.
Psalmus lxix : Deus in adjutorium, etc., *ut supra pag.* 44.
Psalmus liii : Deus in nomine tuo salvum, etc., *ut supra pag.* 252.

PSALMUS CXVII.

Confitemini Domino, quoniam bonus: * quoniam in sæculum misericordia ejus.
Dicat nunc Israel, quoniam bonus: * quoniam in sæculum misericordia ejus.
Dicat nunc domus Aaron: * quoniam in sæculum misericordia ejus.
Dicant nunc, qui timent Dominum: * quoniam in sæculum misericordia ejus.
De tribulatione invocavi Dominum: * et exaudivit me in latitudine Dominus.
Dominus mihi adjutor: * non timebo quid faciat mihi homo.
Dominus mihi adjutor: * et ego despiciam inimicos meos.
Bonum est confidere in Domino, * quam confidere in homine.
Bonum est sperare in Domino, * quam sperare in principibus.
Omnes Gentes circuierunt me: * et in nomine Domini, quia ultus sum in eos.
Circumdantes circumdederunt me: * et in nomine Domini, quia ultus sum in eos.
Circumdederunt me sicut apes, et exarserunt sicut ignis in spinis: * et in nomine Domini, quia ultus sum in eos.
Impulsus eversus sum, ut caderem: * et Dominus suscepit me.
Fortitudo mea, et laus mea Dominus: * et factus est mihi in salutem.
Vos exultationis, et salutis, * in tabernaculis justorum.
Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me: * dextera Domini fecit virtutem.

Non moriar, sed vivam: * et narrabo opera Domini.
Castigans castigavit me Dominus: * et morti non tradidit me.
Aperite mihi portas justitiæ, ingressus in eas confitebor Domino: * hæc porta Domini, justi intrabunt in eam.
Confitebor tibi, quoniam exaudisti me: * et factus es mihi in salutem.
Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, * hic factus est in caput anguli.
A Domino factum est istud: * et est mirabile in oculis nostris.
Hæc est dies, quam fecit Dominus: * exultemus, et lætemur in ea.
O Domine, salvum me fac, ò Domine, bene prosperare; * benedictus, qui venit in nomine Domini.
Benediximus vobis de domo Domini: * Deus Dominus et illuxit nobis.
Constituite diem solemnem in condensis, * usque ad cornu altaris.
Deus meus es tu, et confitebor tibi: * Deus meus es tu, et exaltabo te.
Confitebor tibi, quoniam exaudisti me: * et factus es mihi in salutem.
Confitemini Domino, quoniam bonus: * quoniam in sæculum misericordia ejus.
Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, etc.

PSALMUS XXXIV.

Judica, Domine, nocentes me, * expugna impugnantes me.
Apprehende arma, et scutum: * et exurge in adjutorium mihi.
Effunde frameam, et conclude adversus eos, qui persequuntur me: * dic animæ meæ, salus tua ego sum.
Confundantur, et revereantur * quærentes animam meam.
Avertantur retrorsum, et confundantur * cogitantes mihi mala.
Fiant tamquam pulvis ante faciem venti: * et Angelus Domini coarctans eos.

Fiat via illorum tenebræ, et lubricum: * et Angelus Domini persequens eos.

Quoniam gratis absconderunt mihi interitum laquei sui: * supervacue exprobraverunt animam meam.

Veniat illi laqueus, quem ignorat: et captio, quam abscondit, apprehendat eum: * et in laqueum cadat in ipsum.

Anima autem mea exultabit in Domino: * et delectabitur super salutari suo.

Omnia ossa mea dicent: * Domine, quis similis tibi?

Eripiens inopem de manu fortiorum ejus: * egenum, et pauperem à diripientibus eum.

Surgentes testes iniqui, * quæ ignorabam, interrogabant me.

Retribuebant mihi mala pro bonis: * sterilitatem animæ meæ.

Ego autem cum mihi molesti essent, * induebar cilicio.

Humiliabam in jejunio animam meam: * et oratio mea in sinu meo convertetur.

Quasi proximum, et quasi fratrem nostrum, sic complacebam: * quasi lugens, et contristatus sic humiliabar.

Et adversum me lætati sunt, et convenerunt: * congregata sunt super me flagella, et ignoravi.

Dissipati sunt, nec compuncti tentaverunt me, subsannaverunt me subsannatione: * frenduerunt super me dentibus suis.

Domine, quando respicies? restitue animam meam à malignitate eorum, * à leonibus unicam meam.

Confitebor tibi in ecclesia magna, * in populo gravi laudabo te.

Non supergaudeant mihi, qui adversantur mihi inique: * qui oderunt me gratis, et annuunt oculis.

Quoniam mihi quidem pacifice loquebantur: * et in iracundia terræ loquentes, dolos cogitabant.

Et dilataverunt super me os suum: dixerunt: * Euge, euge, viderunt oculi nostri.

Vidisti, Domine, ne sileas: * Domine, ne discedas à me.

Exurge, et intende judicio meo, * Deus meus, et Dominus meus in causam meam.

Judica me secundum justitiam tuam, Domine Deus meus, * et non supergaudeant mihi.

Non dicant in cordibus suis: Euge, euge, animæ nostræ, * nec dicant: Devoravimus eum.

Erubescant, et revereantur simul, * qui gratulantur malis meis.

Induantur confusione, et reverentia, * qui magna loquuntuur super me.

Exultent, et lætentur, qui volunt justitiam meam: * et dicant semper: Magnificetur Dominus, qui volunt pacem servi ejus.

Et lingua mea meditabitur justitiam tuam, * tota die laudem tuam.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, etc.

PSALMUS XXX.

In te, Domine speravi, non confundar in æternum: * in justitia tua libera me.

Inclina ad me aurem tuam: * accelera, ut eruas me.

Esto mihi in Deum protectorem, et in domum refugii, * ut salvum me facias.

Quoniam fortitudo mea, et refugium meum es tu: * et propter nomen tuum deduces me, et enutries me.

Educes me de laqueo hoc, quem absconderunt mihi: * quoniam tu es protector meus.

In manus tuas commendo spiritum meum: * redemisti me, Domine Deus veritatis.

Odisti observantes vanitates, * supervacue.

Ego autem in Domino speravi: * exultabo, et lætabor in misericordia tua.

Quoniam respexisti humilitatem meam: * salvasti de necessitatibus animam meam.

Nec conclusisti me in manibus inimici: * statuisti in loco spatioso pedes meos.

Miserere mei, Domine, quoniam tribulor: * conturbatus est in ira oculus meus, anima mea, et venter meus.

Quoniam defecit in dolore vita mea, * et anni mei in gemitibus.

Infirmata est in paupertate virtus mea: * et ossa mea conturbata sunt.

Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium, et vicinis meis valde: * et timor notis meis.

Qui videbant me, foras fugerunt à me; * oblivioni datus sum, tamquam mortuus à corde.

Factus sum tamquam vas perditum: * quoniam audivi vituperationem multorum commorantium in circuitu.

In eo, dum convenirent simul adversum me: * accipere animam meam consiliati sunt.

Ego autem in te speravi, Domine: * dixi: Deus meus es tu, in manibus tuis sortes meæ.

Eripe me de manu inimicorum meorum, * et à persequentibus me.

Illustra faciem tuam super servum tuum: salvum me fac in misericordia tua: * Domine, non confundar quoniam invocavi te.

Erubescant impii, et deducantur in infernum: * muta fiant labia dolosa.

Quæ loquuntur adversus justum iniquitatem, * in superbia, et in abusione.

Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, * quam abscondisti timentibus te!

Perfecisti eis, qui sperant in te, * in conspectu filiorum hominum.

Abscondes eos in abscondito faciei tuæ, * à conturbatione hominum.

Proteges eos in tabernaculo tuo, * à contradictione linguarum.

Benedictus Dominus: * quoniam mirificavit misericordiam suam mihi in civitate munita.

Ego autem dixi in excessu mentis meæ: * Projectus sum à facie oculorum tuorum.

Ideo exaudisti vocem orationis meæ, * dum clamarem ad te.

Diligite Dominum omnes sancti ejus: * quoniam veritatem re-

quiret Dominus, et retribuet abundanter facientibus superbiam.

Viriliter agite, et confortetur cor vestrum, * omnes, qui speratis in Domino.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, etc.

PSALMUS XXI.

Deus meus, Deus meus, respice in me: quare me dereliquisti? * longe à salute mea verba delictorum meorum.

Deus meus clamabo per diem, et non exaudies: * et nocte, et non ad insipientiam mihi.

Tu autem in sancto habitas, * laus Israel.

In te speraverunt patres nostri: * speraverunt, et liberasti eos.

Ad te clamaverunt, et salvi facti sunt: * in te speraverunt, et non sunt confusi.

Ego autem sum vermis, et non homo, * opprobrium hominum, et abjectio plebis.

Omnes videntes me deriserunt me: * locuti sunt labiis, et moverunt caput.

Speravit in Domino, eripiat eum: * salvum faciat eum, quoniam vult eum.

Quoniam tu es, qui extraxisti me de ventre: * spes mea ab uberibus matris meæ: in te projectus sum ex utero.

De ventre matris meæ Deus meus es tu: * ne discesseris à me.

Quoniam tribulatio proxima est: * quoniam non est qui adjuvet.

Circumdederunt me vituli multi: * tauri pingues obsederunt me.

Aperuerunt super me os suum, * sicut leo rapiens, et rugiens.

Sicut aqua effusus sum: * et dispersa sunt omnia ossa mea.

Factum est cor meum tamquam cera liquescens, * in medio ventris mei.

Aruit tamquam testa virtus mea, et lingua mea adhæsit faucibus meis: * et in pulverem mortis deduxisti me.

Quoniam circumdederunt me canes multi: * concilium malignantium obsedit me.

Foderunt manus meas, et pedes meos: * dinumeraverunt omnia ossa mea.

Ipsi vero consideraverunt, et inspexerunt me: * diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.

Tu autem, Domine, ne elongaveris auxilium tuum à me: * ad defensionem meam conspice.

Erue à framea, Deus, animam meam: * et de manu canis unicam meam.

Salva me ex ore leonis: * et à cornibus unicornium humilitatem meam.

Narrabo nomen tuum fratribus meis: * in medio ecclesiæ laudabo te.

Qui timetis Dominum, laudate eum: * universum semen Jacob glorificate eum.

Timeat eum omne semen Israel: * quoniam non sprevit, neque despexit deprecationem pauperis.

Nec avertit faciem suam à me: * et cum clamarem ad eum, exaudivit me.

Apud te laus mea in ecclesia magna: * vota mea reddam in conspectu timentium eum.

Edent pauperes, et saturabuntur, et laudabunt Dominum, qui requirunt eum: * vivent corda eorum in sæculum sæculi.

Reminiscentur, et convertentur ad Dominum * universi fines terræ.

Et adorabunt in conspectu ejus * universæ familiæ gentium.

Quoniam Domini est regnum: * et ipse dominabitur gentium.

Manducaverunt, et adoraverunt omnes pingues terræ: * in conspectu ejus cadent omnes, qui descendunt in terram.

Et anima mea illi vivet: * et semen meum serviet ipsi.

Annuntiabitur Domino generatio ventura: * et annuntiabunt cœli justitiam ejus, populo, qui nascetur, quem fecit Dominus.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, etc.

Psalmus iii: Domine, quid multiplicati, etc. *pag.* 201.

PSALMUS X.

In Domino confido: quomodo dicitis animæ meæ: * transmigra in montem, sicut passer?

Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum; paraverunt sagittas suas in pharetra, * ut sagittent in obscuro rectos corde.

Quoniam quæ perfecisti, destruxerunt: * justus autem quid fecit?

Dominus in templo sancto suo: * Dominus in cœlo sedes ejus.

Oculi ejus in pauperem respiciunt: * palpebræ ejus interrogant filios hominum.

Dominus interrogat justum, et impium: * qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam.

Pluet super peccatores laqueos: * ignis, et sulphur, et spiritus procellarum pars calicis eorum.

Quoniam justus Dominus, et justitias dilexit: * æquitatem vidit vultus ejus.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, etc.

PSALMUS XII.

Usquequo, Domine, oblivisceris me in finem? * usquequo avertis faciem tuam à me?

Quamdiu ponam consilia in anima mea, * dolorem in corde meo per diem?

Usquequo exaltabitur inimicus meus super me? * respice, et exaudi me, Domine Deus meus.

Illumina oculos meos, ne umquam obdormiam in morte, * ne quando dicat inimicus meus: Prævalui adversus eum.

Qui tribulant me, exultabunt, si motus fuero: * ego autem in misericordia tua speravi.

Exultabit cor meum in salutari tuo: cantabo Domino, qui bona tribuit mihi; * et psallam nomini Domini Altissimi.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, etc.

Oratio post liberationem.

Oramus te, Deus omnipotens, ut spiritus iniquitatis am-

plius non habeat potestatem in hoc famulo tuo N. *(vel* famula tua N.) sed ut fugiat, et non revertatur: ingrediatur in eum *(vel* in eam) Domine, te jubente, bonitas, et pax Domini nostri Jesu-Christi, per quem redempti sumus, et ab omni malo non timemus, quia Dominus nobiscum est: Qui vivit, et regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

ALIA FORMA EXORCIZANDI A DÆMONE VEXATOS.

(Ex Rituali Tarraconensi).

Sacerdos conversus ad populum et circumstantes, dicat:

Antiphona: Ne reminiscaris. PSALMUS VI: Domine, ne in furore tuo, etc. *in fine* Gloria Patri, *ut supra pag.* 245. *Antiphona:* Ne reminiscaris, Domine, delicta nostra, vel parentum nostrorum; neque vindictam sumas de peccatis nostris.

Antiphona: Domine Deus. PSALMUS LXIX: Deus in adjutorium meum, etc. Gloria Patri, *ut supra pag.* 44. *Antiphona:* Domine Deus in adjutorium meum intende.

Antiphona: Expugna. PSALMUS XXXIV: Judica, Domine, nocentes me, etc. Gloria Patri, *ut supra pag.* 467. *Antiphona:* Expugna impugnantes me.

Antiphona: Angelis suis. PSALMUS XC: Qui habitat, etc. Gloria Patri, *ut supra pag.* 200. *Antiphona*: Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.

Dum dicitur secreto aspergatur Energumenus aqua benedicta.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos, etc.

℣. Salvum fac servum tuum, *vel* ancillam tuam, etc.

OREMUS.

Deus, qui culpa offenderis, pœnitentia placaris, preces supplicantium propitius respice, et flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis nostris meremur averte.

Hostium nostrorum, quæsumus Domine, elide superbiam, et eorum contumaciam dexteræ tuæ virtute prosterne.

Ne despicias, omnipotens Deus, famulos tuos ad te contra malignum spiritum in afflictione clamantes: sed propter gloriam nominis tui, tribulatis succurre placatus. Per Dominum, etc. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.
℣. Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum.
℟. Gloria tibi Domine.

In illo tempore: Accessit ad Jesum homo genibus provolutus ante eum, dicens: Domine miserere filio meo; qui lunaticus est, et male patitur: nam sæpe cadit in ignem, et crebro in aquam: et obtuli eum discipulis tuis, et non potuerunt curare eum. Respondens Jesus, ait: O generatio incredula, et perversa, quousque ero vobiscum? usquequo patiar vos? Afferte huc illum ad me. Et increpavit illum Jesus. Et exit ab eo dæmonium, et curatus est puer ex illa hora. Tunc accesserunt discipuli ad Jesum secreto, et dixerunt: Quare nos non potuimus ejicere illum? Dixit illis Jesus: Propter incredulitatem vestram. Amen quippe dico vobis, si habueritis fidem, sicut granum sinapis, dicetur monti huic: Transi huc illuc, et transibit: et nihil impossibile erit vobis. Hoc autem non ejicitur, nisi per orationem, et jejunium.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.
℣. Sequentia sancti Evangelii secundum Marcum.
℟. Gloria tibi Domine.

In illo tempore: Recumbentibus undecim discipulis, apparuit illis Jesus: et exprobravit incredulitatem eorum, et duritiam cordis: quia iis qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt. Et dixit eis: Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit. Qui vero non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur: In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis,

serpentes tollent. Et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Super ægros manus imponent et bene habebunt. Et Dominus quidem Jesus, postquam locutus est eis, assumptus est in cœlum, et sedet à dextris Dei. Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.
℣. Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.
℟. Gloria tibi Domine.

In illo tempore: Descendit Jesus in Capharnaum civitatem Galilææ, ibique docebat illos Sabbatis: et stupebant in doctrina ejus, quia in potestate erat sermo ipsius. Et in synagoga erat homo habens dæmonium immundum. Et exclamavit voce magna, dicens: Sine; quid nobis, et tibi Jesu Nazarene? Venisti perdere nos? Scio te, quis sis, Sanctus Dei. Et increpavit illum Jesus, dicens: Obmutesce, et exi ab eo; et cum projecisset illum dæmonium in medium, exiit ab illo, nihilque illum nocuit.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.
℣. Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem.
℟. Gloria tibi Domine.

In illo tempore: Dixit Jesus turbis Judæorum: Nunc judicium est mundi: nunc princeps hujus mundi ejicietur foras. Et ego si exaltatus fuero à terra omnia traham ad me ipsum. Hoc autem dicebat, significans qua morte esset moriturus. Respondit ei turba: Nos audivimus ex lege, quia Christus manet in æternum: et quomodo tu dicis, oportet exaltari Filium hominis? Et quis est iste Filius hominis? Dixit ergo eis Jesus: Adhuc modicum lumen in vobis est: ambulate dum lucem habetis: ut non tenebræ vos comprehendant. Et qui ambulat in tenebris, nescit quo vadat. Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis sitis.

Finitis Evangeliis Sacerdos osculetur librum dicens: Per Evangelia dicta deleantur nostra delicta. ℟. Amen.

Et energumenus dicat Symbolum Apostolorum, præeunte Sacerdote; et dicto, Sacerdos:

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem, etc.

℣. Mitte ei, Domine, auxilium de sancto, etc.

OREMUS.

Omnipotens Domine, Verbum Patris, Christe Jesu, qui sanctis Apostolis tuis dedisti potestatem calcandi super serpentes, et scorpiones, et super omnem virtutem inimici; et cujus virtute victus tamquam fulgur de cœlo Satanas cecidit: tuum nomen tremens, supplexque deprecor, ut mihi indignissimo servo tuo, data venia peccatorum, confidentiam, et virtutem donare digneris, ut crudelem draconem brachii tui potentia securus aggrediar. Qui vivis, et regnas, etc.

℟. Amen.

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, à cujus facie cœli distillant, montes sicut cera liquescunt, terra tremit, cui patent abyssi, quem infernus pavescit, te supplex deprecor, et invocatione tui nominis hujus famuli tui N. *(vel* famulæ tuæ N.) anima à vexatione liberata ad auctorem suæ salutis recurrat, liberatoremque suum, diabolico depulso fœtore, et odore suavissimo Spiritus Sancti præcepto, sequatur Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum. Qui tecum vivit, etc.

℟. Amen.

Postea Sacerdos tenens Crucem manu dextra, et intuens in dæmoniacum, dicat:

Ecce lignum sanctissimæ Crucis *(vel si in ea non sit lignum Crucis):* Ecce Crucem Domini, fugite partes adversæ: vicit enim vos, et mundum Dominus Jesus-Christus Filius Dei imperator summus, Leo de tribu Juda, radix David. *(Et dat Crucem energumeno osculandam, dicendo ambo simul):* Adoramus te, Christe, et benedicimus tibi, quia per sanctam Crucem tuam redemisti mundum.

Deinde imponens extremam partem stolæ super obsessum, dicat:

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini, etc.

Exorcizo te, immunde spiritus, per Pa✠trem, et Fi✠lium, et Spiritum ✠ Sanctum, ut exeas, et recedas ab hoc famulo Dei, N. *(vel* ab hac famula Dei, N,) ipse enim tibi imperat, maledicte damnate, qui pedibus super mare ambulavit, et Petro, ne mergeretur, dexteram porrexit: qui cæco nato oculos aperuit, et quatriduanum Lazarum de monumento suscitavit. Ergo maledicte diabole, recognosce sententiam tuam, et da honorem Deo vivo ✠ et vero: da honorem Jesu ✠ Christo, Filio ejus, et Spiritui ✠ Sancto, et recede ab hoc famulo tuo N. *(vel* ab hac famula tua N). Et hoc signum Sanctæ Crucis ✠ quod nos fronti ejus damus, tu, maledicte diabole, numquam audeas violare: Per eum, qui venturus est judicare vivos, et mortuos, et sæculum per ignem. ℟. Amen.

Audi maledicte Satana, adjuratus per nomen æterni Dei, et Salvatoris nostri Jesu-Christi Filii ejus, cum tua victus invidia, tremens, gemensque discede. Nihil tibi sit commune cum servo Dei, N. *(vel* ancilla Dei, N.). Da igitur honorem advenienti Spiritui Sancto, qui ex summa cœli arce descendens, perturbatis fraudibus tuis, mundum sibi templum, et habitaculum perficiat: ut ab omni penitus vexatione liberatus servus Dei *(vel* liberata ancilla Dei), gratias perenni Deo referat semper, et benedicat nomen ejus in sæcula sæculorum ℟. Amen.

Postea Sacerdos tenens manus super caput energumeni, dicat:

Non te lateat, Satana, imminere tibi pœnas, imminere tibi tormenta, imminere tibi diem judicii, diemque supplicii sempiterni, diem, qui venturus est velut clibanus ardens, in quo tibi, atque universis angelis tuis, æternus superveniet interitus. Proinde damnate, atque damnande, da honorem Deo, vivo, et vero: da honorem Jesu-Christo Filio ejus et Spiritui Sancto, in cujus nomine, et virtute ego præcipio tibi, quicumque es, spiritus immunde, ut exeas, et recedas

ab hoc famulo Dei, N. *(vel* ab hac famula Dei, N.) quem *(vel* quam), Deus, et Dominus noster Jesus-Christus, pretioso sanguine suo redimere dignatus est: Qui venturus est judicare vivos, et mortuos, et sæculum per ignem. ℟. Amen.

Exi, spiritus immunde, ab hac creatura Dei, nec in ea præsumas amplius introire: Ipse tibi imperat, maledicte diabole, qui te de supernis cœlorum in inferiora terræ demergi, qui te retrorsum abire præcepit. Tu ergo, nequissime spiritus, humani generis inimice, mortis adductor, vitæ raptor, justitiæ declinator, malorum radix, seductor hominum, incitator invidiæ, causa discordiæ, pater mendacii: illum metue, qui in Isaac immolatus est, in Joseph venumdatus, in Agno occisus, in homine crucifixus, qui deinde inferni triumphator extitit gloriosus. Recede ergo in nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus ✠ Sancti ab hoc famulo Dei *(vel* ab hac famula Dei), et ne amplius introeas in eum *(vel* eam), in virtute Domini nostri Jesu-Christi, qui venturus est judicare vivos, et mortuos, et sæculum per ignem.

℟. Amen.

℣. Benedicamus Patrem, et Filium cum Sancto Spiritu.

℟. Laudemus et superexaltemus eum in sæcula.

℣. Redde mihi lætitiam salutaris tui.

℟. Et spiritu principali confirma me.

℣. Dignare me laudare te Virgo sacrata.

℟. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

℣. Ora pro nobis beata Thecla, etc.

℣. Omnes Sancti, et Sanctæ Dei, etc.

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis, in confessione veræ fidei, æternæ Trinitatis gloriam agnoscere, et in potentia Majestatis, adorare unitatem: quæsumus, ut ejusdem fidei firmitate ab omnibus muniamur adversis.

Deus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere.

Protege Domine famulos tuos subsidiis pacis, et Beatæ Mariæ semper Virginis patrocinio confidentes à cunctis hostibus, et periculis redde securos.

Da quæsumus, omnipotens Deus : ut qui beatæ Theclæ virginis, et Martyris tuæ commemorationem colimus, et annua solemnitate lætemur, et tantæ fidei proficiamus exemplo.

Omnipotens sempiterne Deus, qui nos omnium Sanctorum tuorum merita sub una tribuisti celebritate venerari : quæsumus, ut desideratam nobis tuæ propitiationis abundantiam multiplicatis intercessoribus largiaris. Per Dominum nostrum, etc.

Benedicat energumeno dicens :

Benedictio Dei Patris ✠ omnipotentis, et Fi ✠ lii et Spiritus ✠ Sancti descendat super te, et maneat semper.

℟. Amen. *Eumque aspergat aqua benedicta.*

ALIA FORMA EXORCIZANDI A DÆMONE VEXATOS.

Præparatio facienda semper flexis genibus initio cujuslibet conjuratiouis.

Pater noster, Ave Maria, et Credo in Deum.

Sancta Maria, ora pro nobis.
Omnes Sancti Angeli, et Archangeli, orate.
Omnes Sancti Spirituum Ordines, orate.
Omnes Sancti Patriarchæ, et Prophetæ, orate.
Omnes Sancti Apostoli, et Evangelistæ, orate.
Omnes Sancti Discipuli Domini, orate.
Omnes Sancti Martyres, orate.
Omnes Sancti Confessores, orate.
Omnes Sanctæ Virgines, et Viduæ, orate.
Omnes Sancti, et Sanctæ Dei, orate.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in, etc. ℟. Sed libera nos à malo.

℣. Salvos fac servos tuos. ℟. Deus meus sperantes in te.

℣. Mitte nobis auxilium de sancto.

℟. Et de Sion tuere nos.

℣. Esto nobis, Domine, turris fortitudinis.
℟. A facie inimici.
℣. Nihil proficiat inimicus in, etc. ℟. Et filius, etc.
℣. Domine, exaudi, etc. ℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS.

Omnipotens, æterne Deus, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, respice in afflictionem nostram, et adjuva nos sperantes in te, et fugientes ad viscera misericordiæ tuæ contrito et humili corde: placare, Domine, ab ira tua, et converte vultum tuum ad nos, et miserere nostri: magna est iniquitas nostra, sed major est bonitas tua, in qua confisi, te invocamus, te adoramus, benedicimus, et obsecramus: ut exterminare, et fugare digneris omnes spiritus malignos vexantes hanc creaturam. Per Christum, etc.

OREMUS.

Deus, qui Beato Zenoni Confessori tuo gratiam expellendi dæmones de quocumque loco tribuisti, præsta mihi indigno famulo tuo, per ipsius merita, et per intercessionem Beatissimæ Virginis Mariæ, et Sancti Josephi sui Sponsi, et Sancti N. et omnium Sanctorum: ut omnis spiritus malignus ab ista, et ab omnibus aliis creaturis fugare valeat.

Intercessio nos, quæsumus Domine, Beati Antonii Abbatis commendet, ut quod nostris meritis non valemus, ejus patrocinio assequamur. Per Christum, etc.

Surgat, dicant omnes Confiteor Deo, et postea Sacerdos:

Misereatur vestri, etc. Indulgentiam, absolutionem, etc. *Omnes:* Credo in Deum.

℣. Benedicamus Patrem, et Filium, cum Sancto Spiritu.
℟. Laudemus, et superexaltemus eum in sæcula.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis, in confessione veræ fidei, æternæ Trinitatis gloriam agnoscere,

et in potentia majestatis tuæ adorare unitatem; quæsumus, ut ejusdem fidei firmitate ab omnibus semper muniamur adversis. Per Christum, etc.

Conversus ad energumenum, dicat:

Exorcizo ✠ te N. in nomine Dei Patris omnipotentis, et in nomine Jesu-Christi ✠ Filii ejus Domini nostri, et in virtute Spiritus ✠ Sancti; ut fiat vas mundum, sanctum, et purgatum ab omni labe iniquitatis, et ab omnibus infirmitatibus, maleficiis, incantationibus, ligaturis, et facturis in corpore tuo, vel circa, in domo, aut in qualibet parte factis; tam per diabolum, quam per quodlibet membrum ejus, quæ omnia maleficia in nomine Sanctissimæ Trinitatis dissolvo, atque dissoluta esse decerno: et ligo te maledicte diabole, ac socios tuos, et ministros, ut amplius non habeatis potestatem manendi in hoc corpore à planta pedis usque ad verticem capitis, sed statim recedere debeatis cum omnibus maleficiis vestris. ℟. Amen.

Aspergat eum aqua benedicta, dicens:

Per aspersionem hujus aquæ, cum Dei adjutorio, destruantur in te omnia maleficia diaboli, et ipse diabolus manifeste exeat à te, et infundatur virtus Spiritus Sancti. ℟. Amen.

Det ei crucem deosculandam, dicens:

Ecce Crucem Domini nostri Jesu-Christi, fugite partes adversæ, vicit Leo de tribu Juda, radix David, Alleluia.

Præcipiat dæmoni ut taceat, dicens:

Immunde spiritus, quicumque es, adjuro ✠ te per Deum vivum, et verum, et omnes socios tuos existentes, obsidentes, et quomodocumque vexantes hanc creaturam Dei, et in honorem sacrorum mysteriorum Incarnationis, Nativitatis, Passionis, Resurrectionis, et Ascensionis Domini nostri Jesu-Christi, præcipio vobis, ne loquamini, nisi quod verum est, et redundare potest in laudem, et gloriam Dei, quod nec contra me, neque contra circumstantes dicatis quidquam; nec creaturam istam noceatis in anima, nec torqueatis in corpore.

Item conjuro ✠ vos, per Sacratissimam Virginem Mariam,

et per Sanctum Joseph ejus Sponsum, et per merita Sancti N., et præcipio vobis, ut major vestrum ascendat ad linguam, et dicat mihi absque fallacia nomen suum, et quot legiones estis, causamque propter quam vexatis creaturam istam, ac diem, et horam exitus vestri, cum signo extinctionis luminis N. sub pœna mittendi vos in stagnum ignis, et sulphuris.

In nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus✠Sancti ligo vos spiritus rebelles, ubicumque sitis in corpore isto, privoque vos ab omni virtute imperandi, et præcipio vobis, ut in continenti verba conjurationis meæ intelligatis, et præcepto nunc vobis facto, ab ista creatura non audeatis, nec possitis recedere: sed sitis ligati, et concatenati, donec à me, aut ab alio Exorcista solvamini.

Eodem modo conjuro ✠, ligo, et præcipio omnibus, et singulis spiritibus immundis existentibus in aere, in terra, in aquis, et in inferno, sive in aliqua alia creatura, quod nullo modo adjuvent, nec obediant vobis, nec accedant ad creaturam istam, sub pœnis supradictis.

Si rebelles fuerint, petat auxilium à Domino dicens:

℣. Exurge Christe, adjuva nos.

℟. Et libera nos propter nomen tuum.

℣. Domine exaudi, etc. ℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS.

Omnipotens Domine, Verbum Patris, Jesu Redemptor noster, qui Sanctis Apostolis tuis dedisti potestatem calcandi super serpentes, et qui inter cetera mirabilium tuorum præcepta, dignatus es dicere: Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, et dæmones ejicite: te humiliter deprecor, ut mihi indigno servo tuo, data venia delictorum meorum, constantem fidem, et virtutem donare digneris, ut hunc crudelem dæmonem cum sociis et comitatu suo brachii tui sancti munitus potentia, fidenter, et securus aggrediar: Per te Jesu Redemptor noster, qui cum Patre, etc.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

℣. Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

℟. Gloria tibi Domine.

In illo tempore: Erat Jesus ejiciens dæmonium, et illud erat mutum, et cum ejecisset dæmonium, locutus est mutus, et admiratæ sunt turbæ.

Per Evangelica dicta, et per impositionem manuum nostrarum, separetur à te omnis infirmitas, et malitia diaboli, et si qui sunt dæmones intra corpus tuum, exeant à te cum signo evidenti, et ingrediatur virtus divina. ℟. Amen.

Adjuratio I.

Exorcizo ✠ te, immunde spiritus, omnis incursio adversarii, omne phantasma, omnis legio in nomine Domini nostri Jesu-Christi; ut exeas, et recedas in sempiternum ab hoc plasmate Dei. Ipse tibi imperat, qui te de supernis cœlorum in inferiora terræ demergi præcepit. Ipse tibi imperat, qui mare, ventos, et tempestates sedavit.

Audi ergo, et time, Satana, inimice fidei, hostis generis humani, mortis adductor, vitæ raptor, justitiæ declinator, malorum radix, fomes vitiorum, seductor hominum, proditor gentium, incitator invidiæ, causa discordiæ, ac denique villane, rustice: quid hic stas, et resistis, cum scias Christum vias tuas perdere? Time illum, qui in Isaac immolatus, in Joseph venumdatus, in agno occisus, in homine crucifixus, inferni triumphator fuit.

Præceptum, quod repeti potest iterum et sæpius post quamlibet conjurationem:

Recede, maledicte diabole, conjuratus ✠ et in æternum expulsus, in nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti. Da locum Spiritui Sancto, per hoc signum ✠ *(in fronte)* sanctæ Crucis Jesu-Christi Domini nostri, cujus virtute sit tibi, et sociis tuis hujus corporis habitatio in confusionem, et augmentum pœnarum infernalium, de instanti ad instans, in centies centena millia, et millies millia millium plusquam pœna eorum, qui in profundo inferni cruciantur. Non re-

quiescas, nec cesses à labore continuo, donec solutis omnibus maleficiis, infirmitatibus et doloribus tam animæ, quam corporis, et porrigens signum verum, discedas in sempiternum à creatura ista, cum omni comitatu tuo. ℟. Amen.

Da honorem Deo vivo, et vero, maledicte diabole, canis rabide, dracoque infernalis. Da honorem Jesu-Christo Domino nostro. Da honorem Spiritui Sancto Paraclito, recede ab hoc famulo Dei, et dum non exieris, hoc signum Sanctæ Cru✠cis, quod nos in fronte ejus facimus, sit tibi, et sociis tuis flagellum durissimum, quo cruciemini. ℟. Amen.

℣. Exurgat Deus, et dissipentur inimici ejus.

℟. Et fugiant qui oderunt eum à facie ejus.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus conditor generis humani, qui hominem ad imaginem tuam formasti, respice super hunc famulum tuum, qui dolis immundi spiritus appetitur, quem adversarius, antiquus hostis terræ formidinis horrore circumvolat, et mentis humanæ sensum stupore defigit, terrore conturbat, et metu trepidi timoris exagitat. Repelle, Domine, virtutem diaboli, fallacesque insidias ejus amove: procul impius tentator effugiat. Sit Sanctæ Crucis✠sigillo famulus tuus munitus in anima, et corpore *(faciat ei tres Cruces in pectore, dicens)*: Tu pectoris hujus✠interna custodias. Tu vis✠cera regas. Tu cor con✠firmes: ut ab anima adversatricis potestatis tentamenta evanescant. Da Domine, ad hanc invocationem tui sanctissimi nominis gratiam, ut qui hucusque terrebat, et territus aufugiat, et victus discedat, tibique possit hic famulus tuus mente sincerus, et corde firmatus, debitum præbere famulatum. Per Christum, etc.

Adjuratio II.

Adjuro✠te, serpens antique, per Judicem vivorum, et mortuorum, per factorem mundi, per eum qui habet potestatem mittendi te in gehennam, et præcipio tibi, ut ab hoc

famulo Dei, qui ad Ecclesiæ sinum recurrit, discedas festinus cum omnibus maleficiis, et operibus tuis. Adjuro ✠ te iterum, atque iterum, non mea infirmitate confisus, sed virtute Spiritus Sancti roboratus: ut exeas sub pœnis supradictis ab hoc famulo Dei, quem omnipotens Dominus ad imaginem suam fecit.

Da honorem Deo, *ut supra.*

Cede igitur, cede, non mihi sed Ministro Christi. Illius te urget potestas, qui te Cru ✠ cis suæ subjugavit imperio. Illius brachium contremisce, qui devictis gemitibus inferni, ad lucem animas perduxit: sit tibi terror *(in pectore)* corpus hominis: sit tibi formido *(in fronte)* imago Dei: non resistas, nec moreris discedere ab homine isto, quoniam complacuit Christo in homine habitare; et non me contemnendum putes, dum peccatorem nimis esse cognoscis. Imperat tibi Deus Pa ✠ ter, imperat tibi Deus Fi ✠ lius, imperat tibi Deus Spiritus ✠ Sanctus, imperat tibi sacramentum Cru ✠ cis. Itaque maledicte spiritus, villane, rustice, bestia scabiosa, sus macra, recede in sempiternum à creatura ista.

Da honorem Deo, *ut supra.*

℣. Adjuva nos Deus salutaris noster.

℟. Et propter gloriam nominis tui libera nos.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui illum refugum tyrannum, et apostatam gehennæ ignibus deputasti, Unigenitumque tuum in hunc mundum misisti, ut illum rugientem contereret, velociter attende, et accelera, ut eripias hominem ad imaginem et similitudinem tuam creatum à ruina et dæmonio meridiano. Da, Domine, terrorem tuum super bestiam, quæ exterminat vineam tuam. Da fiduciam servis tuis: ut possint pugnare et debellare nequissimum hunc dæmonem, ne conterat sperantes in te; et ne dicat, sicut in Pharaone jam dixit: Deum non novi, Israel non dimitto: urgeat illum dextera tua potens dis-

cedere à famulo tuo, nec diutius præsumat captivum tenere, quem tu ad imaginem tuam facere dignatus es, et in Filio tuo redemisti. Qui tecum vivit, etc.

Adjuratio III.

Conjuro ✠ te, seductor spiritus, plene omni dolo et fallacia, virtutis inimice, ingrate tuo Creatori; ut cito exeas à creatura ista. Da locum, impiissime, et spurcissime, da locum Christo, in quo nihil invenisti de operibus tuis; qui te spoliavit, qui regnum tuum destruxit, qui te vinctum ligavit, et vasa tua dirupit, qui te projecit in tenebras infernales, ubi tibi, et sociis erit perpetuus interitus. Quid truculente reniteris, villane, rustice? Quid temerarie detrectas, bestia scabiosa? Reus es omnipotenti Deo, cujus statuta transgressus es. Reus es Filio ejus Jesu-Christo Domino nostro quem tentare ausus es, et crucifigere præsumpsisti. Reus es humano generi, cui cum tuis persuasionibus mortis venenum propinasti. Recede ergo, villane, rustice, et spurcissime, recede.

Da honorem Deo, *ut supra.*

Iterum conjuro ✠ te, draco nequissime, in nomine Agni immaculati, qui ambulavit super aspidem, et basiliscum, et conculcavit leonem, et draconem; ut discedas *(in fronte)* ab hoc homine, discedas *(super circumstantes)* ab Ecclesia ✠ Dei. Fuge ergo villane, audito nomine illius Domini, quem inferni tremunt, cui Virtutes Cœlorum, Potestates, et Dominationes subjectæ sunt, quem Cherubim, et Seraphim indefessis vocibus laudant dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth.

Ecce Crucem, etc.

Exi spurcissime, exi à creatura ista, imperat tibi Deus, imperat tibi Verbum caro factum, Jesus Nazarenus, qui te, cum Discipulos ejus contemneres, elisum, atque prostratum exire præcepit ab homine; quo præsente cum te ab homine separasset, nec in porcorum gregem ingredi præsumebas. Durum est tibi velle resistere, quia quanto tardius exieris,

tanto tibi supplicium crescit, quia non hominem contemnis, sed illum qui es dominator vivorum, et mortuorum, cujus virtute augeantur tibi pœnæ infernales, donec in sempiternum recedas. Insurgat in te spurcissimus ille Lucifer, qui ejectus fuit de cœlo, omni sua indignatione armatus, quem conju✠ro, et præcipio, ut te expellat et præcipitet in fœtidissimum locum Judæ Iscariotes, ubi crucieris usque in diem judicii.

℟. Amen.

Da honorem Deo, *ut supra.*

℣. Domine Deus virtutum exaudi nos.

℣. Propter gloriam nominis tui expelle hinc inimicos nostros.

OREMUS.

Omnipotens Domine cœli et terræ, in adjutorium meum intende; et qui potestatem habes donandi vitam post mortem, et requiem post laborem, quia non est alius Deus præter te, nec verus esse potest, nisi tu Creator omnium, qui verus es Rex, cujus imperii non erit finis; exaudi orationem meam, et confirmare dignare præcepta, et sententiam, quam in tuo nomine, et in nomine dilecti Filii tui, et in virtute Spiritus Sancti protuli, et iterum profero contra hunc spiritum malignum, ut famulus tuus iste à vexatione, quam patitur, liberetur. Qui vivis, etc. *Hic dici potest Canticum:* Benedicite omnia opera Domini Domino.

Adjuratio IV.

Maledicte spiritus, pater obscœnitatis et immunditiæ, mendax, fallaxque, villane, rustice, atque brutalis bestia, qui elatus, et tuo Creatori rebellis, et ingratus, Deum hominem scilicet Jesum-Christum Dominum nostrum adorare renuisti, et Mariam Virginem purissimam Matrem ejus, reginam, et amicam habere noluisti: qui deceptus à superbia tua, assimilari voluisti Deo omnipotenti, sedereque in latere aquilonis, ob quam temeritatem pulchritudinem tuam amisisti, et ejectus de cœlesti Paradiso, æterna gaudia permutasti in damnatio-

nem, et pœnam sempiternam : quid ergo hic stas? Discede, maledicte, discede à facie Ministrorum Dei, et Ecclesiæ sanctæ suæ, discede cum omni comitatu tuo, hirce fœdissime; fuge villane, fuge in sempiternum supplicium, quod tibi paratum est ob temeritatem tuam.

Da honorem Deo, etc.

Exi, maledicte spiritus, expulsus in nomine Sanctissimæ Trinitatis Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti : da locum Christo Domino nostro per hoc sacratissimæ Cru ✠ cis signum : durum est tibi velle resistere, durum est tibi contra stimulum calcitrare : exi villane, exi draco infernalis, imperat tibi ille, qui est dominator vivorum, et mortuorum, et venturus est judicare sæculum per ignem.

Hic dici potest Psalmus LXVII : Exurgat Deus et dissipentur, *ut supra pag.* 242, *et postea :*

℣. Salvos fac servos tuos. ℟. Deus meus sperantes in te.

OREMUS.

Deus Abraham, Deus Isaac, Deusque Parentum nostrorum, piissime consolator clamantium ad te, ostende nobis misericordiam tuam, mitte nobis auxilium de cœlo sancto tuo, sanctos Angelos, qui destruant, et separent ab hac creatura tua omnia opera diaboli, et præcipitent in profundum abyssi hos spiritus malignos, qui vexant, et occupant eam ad decipiendam, et perdendam : non in ejus corpore latere permittat neque in ullo vestimento, aut compagine membrorum suorum quiescere sinat, quin manifeste fugiant à creatura, quam tu Domine, non auro, neque argento, neque gemmis prætiosis comparasti, sed prætioso sanguine Jesu-Christi Filii tui. Qui tecum vivit, etc.

Adjuratio V.

Conjuro ✠ vos spiritus rebelles, qui hanc creaturam Dei occupare, et molestare vestra obstinata rebellione non cessatis, per Deum ✠ Patrem omnipotentem, et per Fi ✠ lium ejus Jesum-Christum D. N. et per Spiritum ✠ Sanctum, per

gloriam, et omnipotentiam divinæ Majestatis suæ; et per viginti quatuor Seniores, qui in conspectu ejus incessabili voce laudant eum, dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus. Exorci ✠ zo vos per sacratissimam Virginem Mariam, Reginam Angelorum bonorum, et per humilitatem, puritatem, et charitatem suam: anathematizo ✠ vos per sanctos Angelos et Archangelos, Thronos et Dominationes, Principatus et Potestates, Virtutes cœlorum, et Cherubim, et Seraphim. Conju ✠ ro vos per sanctos Patriarchas, et Prophetas, Apostolos, Evangelistas, Martyres, et Confessores, Virgines, et Viduas, et per omnes Sanctos, et Sanctas Dei: ut illico exeatis, et recedatis à creatura ista Dei, illam in sua pristina sanitate relinquentes, et numquam ad ipsam redeatis, sed fugiatis in locum desertum, ubi nullam creaturam Dei molestare possitis.

Da honorem Deo, etc.

Iterum conjuro ✠ vos spiritus rebelles, et contumaces per hæc sancta Dei nomina Tetragrammaton, ✠ Alpha, et ✠ Omega, ✠ Soter, ✠ Emmanuel, ✠ Sabaoth, et ligo vos: ut amodo non lædatis, nec lædere possitis, aut molestare hanc creaturam Dei, sed fugiatis ab ea, eo modo, et conditione supradicta: alioquin in nomine Dei Patris, et Filii, et Spiritus Sancti conjuro, et impero Lucifero, et Beelzebub, Satanæ, et omnibus furiis infernalibus, ut statim, et sine mora contra vos insurgant, et ejiciant à creatura ista in sempiternum, et ob inobedientiam vestram, præcipitent vos in profundum abyssi, et in stagnum ignis, et sulphuris, atque indispensabiliter affligant vos, omnibus cum pœnis infernalibus simul, nulla deficiente, usque in diem judicii, quod præstare dignetur Jesus-Christus Dominus noster, qui cum Patre, et eodem Spiritu Sancto vivit, etc.

His adjurationibus addi, et misceri seu interponi possunt, Magnificat, *ut supra pag.* 294. Benedictus Dominus, *pagina* 177. *Symbolum S. Athanasii:* Quicumque, *pag.* 463, *et Psalmi sequentes:*

Psalmus x: In Domino confido, *pag.* 473.

Psalmus xii: Usquequo Domine, *pag.* 473.
Psalmus xxi: Deus meus, Deus meus, *pag.* 471.
Psalmus xxxiv: Judica Domine nocentes, *pag.* 467.
Psalmus lxvii. Exurgat Deus, *pag.* 242.
Psalmus lxix. Deus in adjutorium, *pag.* 44.

Si autem id sufficiens non fuerit, curabit Exorcista per aliquos dies orationi vacare cum devotione et humilitate, multum confidens in summa bonitate Domini, qui Pater est misericordiarum.

Præceptum faciendum omnibus spiritibus remanentibus in corpore, cum necesse fuerint dimittere conjurationem.

Præcipio vobis omnibus spiritibus immundis, qui estis in hoc corpore, in nomine Smæ. Trinitatis Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti, et sub pœna immersionis in stagnum ignis et sulphuris per annos mille statim ab exitu vestro; quatenus non habeatis auctoritatem, seu potestatem ascendendi superius ad caput, vel ad membra hujus creaturæ Dei, N. et ipsam lædendi: sed cogamini manere deorsum N., donec vocati fueritis à me, seu ab aliquo alio Exorcista: vel permissi à Deo ascendere ad honorem ipsius, ad salutem hujus creaturæ Dei, et ad confusionem vestram, vel augmentum pœnarum vestrarum, et sinatis ipsam orare, comedere, bibere, quiescere, et omnia illa agere, quæ spectant ad honorem Dei, et salutem animæ suæ. Et sicut Christus mortuus est, et descendens ad inferos, dixit: Attollite portas principes vestras, et elevamini portæ æternales, et introivit Rex gloriæ, et ibi ligavit superbissimum Luciferum: ita auctoritate, qua fungor, ligo vos in loco vobis assignato. In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti. ℟. Amen.

Aliud præceptum faciendum, cum ad aliam diem suspenditur Exorcismus.

Ergo maledicti diaboli omnes existentes in hac creatura, qui ob vestram superbiam à Deo permissam propter sua justissima judicia non cessatis à vexatione ejus, imperat vobis

Deus per ministerium nostrum, quod statim separemini ab omni loco, et membro corporis ejus, et in pollice sui pedis sinistri vestras vires ponatis, privantes eum omni sensu, indeque discedere nullo modo possitis, donec à me seu ab alio Exorcista solvamini.

(Eos abigat cum stola, dicens) : Ite maledicti in locum vobis assignatum, et date signum reclusionis vestræ levando corpus à terra.

(Cum signum dent, dicat): Frenum vobis pono ✠, cujus virtute fortiter ligo vos, et præcipio, quod non ascendatis superius ad caput creaturæ, nec ad ejus membra, nec terreatis, aut lædatis eam vigilando, dormiendo, sedendo aut stando: sed sinatis eam orare, comedere, bibere, laborare, ambulare, quiescere, et omnia illa agere, quæ spectant ad honorem Dei, et salutem animæ et corporis ejus. In nomine Pa ✠ tris, et Filii, et Spiritus Sancti. ℟. Amen.

Præceptum imponendum egressis.

Præcipio vobis omnibus spiritibus immundis, qui egressi estis ex hoc corpore in nomine Smæ. Trinitatis Pa ✠ tris, et Filii, et Spiritus Sancti, quod ad illum non redeatis, sed sitis ligati et privati à potestate ostendendi vos huic creaturæ, et faciendi illi aliquam illusionem tam phantasticam quam realem; nec possitis eam offendere, nec lædere in corpore aut in anima; nec denuo ad illam vexandam regredi, nec mittere alios dæmones loco vestri, sed sitis constricti supradicto præcepto ire ad sedes infernales, vel ad loca vobis deputata à Deo.

Ecce crucem Domini, fugite partes adversæ: vicit Leo de tribu Juda, radix David, Alleluia.

Gratiarum actio post expulsionem diaboli.

Himnus: Te Deum laudamus, *ut supra pag.* 329.

℣. Confirma hoc Deus. ℟. Quod operatus es in nobis.

℣. Domine exaudi, etc. ℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS.

Gratias agimus tibi, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus; gratias agimus tibi Christe Verbum Patris, gratias agimus tibi Spiritus alme Deus; gratias agimus Sanctis omnibus, tam Angelis, quam hominibus; quia omnipotentis Dei virtute, per nos elisus est draco; Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, miserere famuli tui quem à diabolica potestate liberasti: et in ejus adjutorium sanctum dirige Michaelem, qui eum protegat, visitet, atque defendat ab omnibus inimicis suis. Qui vivis, etc.

Per signum sanctæ Cru ✠ cis, quo signo defendat te Deus ab omnibus malis præteritis, præsentibus et futuris, et liberet te à persecutionibus diaboli, et ipse diabolus fugiat à te prosternatus. ℟. Amen.

Virtus sanctæ Cru ✠ cis sit super te, ante te, circa te, post te, et in omnibus partibus tuis. ℟. Amen. Bene ✠ dicat tibi Deus, et custodiat te; ostendat tibi faciem suam, et misereatur tui; convertat vultum suum ad te, et det tibi salutem et pacem. ℟. Amen.

Benedictio loci in quo dormit Energumenus seu infirmus.

℣. Adjutorium nostrum, etc.

℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS.

Bene ✠ dic, Domine, Deus omnipotens, locum istum, ut sit in eo sanitas, castitas, victoria, fortitudo, humilitas, bonitas, et mansuetudo, plenitudo legis, et gratiarum actio Deo Patri, et Filio, et Spiritui Sancto: et hæc benedictio maneat super hunc locum, et super habitantes in eo, Angeli tuæ lucis eum inhabitent, eumque et ejus habitatores custodiant, et defendant contra omnes insidias inimici, et siquæ adversa et contraria sunt ab eo in hoc loco machinata et fabricata auctoritate Majestatis tuæ expellant. Per Dominum nostrum, etc. ℟. Amen.

OREMUS.

Propitiare, Domine, supplicationibus nostris, et bene✠dicere digneris locum istum dextera tua sancta, et omnes qui in eo commorantur; illumque visitare et inhabitantibus gratiam sanitatis impartiri digneris, sicut benedicere dignatus es cubiculo et loco quo exceptus fuit hospitio Propheta Elisæus, et sicut visitasti et sanasti socrum Petri. Mitte, Domine, sanctum Angelum tuum de cœlis, qui liberet et defendat hunc locum ab imminentibus malis cum omnibus qui in eo commorantur, nullaque eos nequitia contrariæ potestatis infestet, sed virtute Spiritus Sancti fiat hic tibi debitum, et devota libertate securum servitium. Per Dominum, etc.

℟. Amen.

Benedictio Thalami in quo dormiunt Energumeni.

℣. Adjutorium nostrum, etc. ℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS.

Bene✠dic, Domine Thalamum hunc, ut omnes habitantes in eo in tua pace consistant, et senescant, et multiplicentur in longitudinem dierum cum incolumitate mentis et corporis, et ad regna cœlorum perveniant. Per Dominum, etc.

℟. Amen.

OREMUS.

Creator et conservator humani generis, dator gratiæ spiritualis, largitor æternæ salutis: tu, Domine, emitte bene✠dictionem tuam super hunc Thalamum, ut quicumque in eo requiescet in virtute cœlestis defensionis ad vitam æternam proficiat, et à suis languoribus et doloribus, omnibusque insidiis, et machinationibus diaboli et ministrorum ejus liberetur. Per Dominum, etc. ℟. Amen.

Benedictio incensi, ruthæ, et aliarum rerum, quibus Exorcista uti potest in conjurationibus.

℣. Adjutorium nostrum, etc. ℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS.

Domine Deus omnipotens, cui adstat exercitus Angelorum cum tremore, dignare bene ✠ dicere, et sanctificare hanc creaturam incensi (ruthæ, etc.) ut omnes languores spiritus maligni odorem incensi hujus, etc. sentientes fugiant procul, et separentur ab hac creatura N. quam redemisti pretioso sanguine tuo, ut de cetero non lædatur à morsu antiqui serpentis. Per te, Jesu-Christe, Salvator mundi, qui vivis et regnas, etc. ℟. Amen.

Benedictio ignis, quo comburenda sunt instrumenta maleficiorum, quando inveniuntur, et nomen etiam dæmonis in papyro benedicta scriptum, ad eum cogendum ut exeat ab Energumeno.

℣. Adjutorium nostrum, etc. ℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS.

Domine Deus omnipotens, cui assistit exercitus Angelorum cum tremore, quorum servitium spirituale et igneum esse cognoscitur, dignare respicere, bene ✠ dicere, et sanctificare hanc creaturam ignis, ut eo combustis maleficii signis, omnes languores, omnesque infirmitates, atque insidiæ inimici effugiant, et separentur à plasmate tuo. Numquam lædatur à morsu antiqui serpentis, quod pretioso sanguine Filii tui redemisti. Qui tecum vivit, etc. ℟. Amen.

Benedictionem olei cum exorcismo, et alias benedictiones cujuscumque medicinæ, potus, fructuum, etc., vide supra in hoc volumine.

FORMA EXORCIZANDI DOMUM A DÆMONIO VEXATAM.

(Ex Rit. Tarr. Vicen. Urg. et Ger.).

Sacerdos superpelliceo, ac stola violacei coloris indutus, cum aqua benedicta, aspersorio, et incenso, præmissa confessione, aut interna de peccatis contritione, ante domus, vel loci malig-

nis spiritibus infecti ingressum sic se præmuniat signo crucis, et sequenti oratione:

In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti.

℟. Amen.

℣. Adjutorium nostrum, etc.

℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, qui Sacerdotibus tuis tantam gratiam contulisti, ut quidquid in tuo nomine digne, perfecteque ab eis agitur, à te fieri credatur: quæsumus immensam clementiam tuam, ut quomodo visitaturi sumus, visites, et quidquid benedicturi, bene ✠ dicas: et ad ea, quæ acturi sumus, dexteram tuæ potentiæ extendas, sintque ad nostræ humilitatis introitum (Sanctorum meritis) fuga dæmonum. Per Christum Dominum nostrum, etc. ℟. Amen.

OREMUS.

Deus Angelorum, Deus Archangelorum, Deus Prophetarum, Deus Apostolorum, Deus Martyrum, Deus Confessorum, Deus Virginum, et omnium bene viventium: Deus et Pater Domini nostri Jesu-Christi, te invoco, et nomen sanctum tuum, ac præclaræ Majestatis tuæ clementiam supplex deposco, ut mihi auxilium præstare digneris adversus nequissimum spiritum, ut ubicumque sit, audito nomine tuo, velociter exeat, et recedat. Per Christum Dominum, etc.

℟. Amen.

In ingressu domus vel loci infecti dicat: Conjuratio.

Adjuro te, serpens antique, per Judicem vivorum, et mortuorum, per factorem mundi, qui habet potestatem mittere in gehennam; ut ab hac domo festinus discedas. Ipse tibi imperat maledicte diabole, qui ventis, ac mari, et tempestatibus imperavit. Ipse tibi imperat, qui te de supernis cœlorum in inferiora terræ demergi præcepit. Ipse tibi imperat, qui te retrorsum abire præcepit. Audi ergo, Satana, et time, et victus, et prostratus recede, adjuratus in nomine Domini

nostri Jesu-Christi. Qui venturus est judicare vivos, et mortuos, et sæculum per ignem. ℟. Amen.

Postea dicentur sequentes Psalmi, interim undequaque domum aqua benedicta aspergendo:

Psalmus cxix: Ad Dominum cum tribularer clamavi, etc., *ut supra pag.* 227. Psalmus cxx: Levavi oculos meos in montes, etc., *ut supra pag.* 228. Psalmus cxxi: Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, *ut supra pag.* 228.

PSALMUS CXXII.

Ad te levavi oculos meos: * qui habitas in cœlis.

Ecce sicut oculi servorum: * in manibus dominorum suorum.

Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ: * ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.

Miserere nostri, Domine, miserere nostri: * quia multum repleti sumus despectione.

Quia multum repleta est anima nostra: * opprobrium abundantibus, et despectio superbis.

PSALMUS CLXXIII.

Nisi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Israel: * nisi quia Dominus erat in nobis.

Cum exurgerent homines in nos: * forte vivos deglutissent nos.

Cum irasceretur furor eorum in nos: * forsitan aqua absorbuisset nos.

Torrentem pertransivit anima nostra: * forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem.

Benedictus Dominus: * qui non dedit nos in captionem dentibus eorum.

Anima nostra, sicut passer erepta est: * de laqueo venantium.

Laqueus contritus est: * et nos liberati sumus.

Adjutorium nostrum in nomine Domini: * qui fecit cœlum et terram.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, etc.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem, etc.

℣. Domine, exaudi orationem meam, etc.

℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS.

Domum tuam, Domine, clementer ingredere, et in tuorum cordibus fidelium perpetuam tibi construe mansionem: et præsta ut in hac domo nulla malignorum spirituum dominetur nequitia. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Dicuntur etiam sequentes Psalmi, Sacerdote interim aspergente, ut supra:

PSALMUS CXXIV.

Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion: * non commovebitur in æternum, qui habitat in Jerusalem.

Montes in circuitu ejus; et Dominus in circuitu populi sui: * ex hoc nunc et usque in sæculum.

Quia non relinquet virgam peccatorum super sortem justorum: * ut non extendat justi ad iniquitatem manus suas.

Benefac, Domine, bonis: * et rectis corde.

Declinantes autem in obligationes, adducet Dominus cum operantibus iniquitatem: * pax super Israel.

PSALMUS CXXV.

In convertendo Dominus captivitatem Sion: * facti sumus sicut consolati.

Tunc repletum est gaudio os nostrum: * et lingua nostra exultatione.

Tunc dicent inter gentes: * magnificavit Dominus facere cum eis.

Magnificavit Dominus facere nobiscum: * facti sumus lætantes.

Converte, Domine, captivitatem nostram: * sicut torrens in Austro.

Qui seminant in lacrymis: * in exultatione metent.

Euntes ibant, et flebant: * mittentes semina sua.

Venientes autem venient cum exultatione: ˚ portantes manipulos suos.

Psalmus cxxvi: Nisi Dominus ædificaverit domum, etc., *ut supra pag.* 220.

Psalmus cxxvii: Beati omnes qui timent Dominum, etc., *ut supra pag.* 169.

psalmus cxxviii.

Sæpe expugnaverunt me à juventute mea: ˚ dicat nunc Israel.

Sæpe expugnaverunt me à juventute mea: ˚ etenim non potuerunt mihi.

Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores: ˚ prolongaverunt iniquitatem suam.

Dominus justus concidit cervices peccatorum: ˚ confundantur, et convertantur retrorsum omnes, qui oderunt Sion.

Fiant sicut fœnum tectorum: ˚ quod priusquam evellatur, exaruit.

De quo non implevit manum suam, qui metit: ˚ et sinum suum, qui manipulos colligit.

Et non dixerunt, qui præteribant, benedictio Domini super vos: ˚ benediximus vobis in nomine Domini.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, etc.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem, etc.

℣. Domine, exaudi orationem meam, etc.

℣. Dominus vobiscum, etc.

oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui in omni loco dominationis tuæ totus assistis, totus operaris: adesto supplicationibus nostris, ut hujus domus sis protector, nulla hic nequitia contrariæ potestatis assistat, sed virtute Spiritus Sancti et operatione, fiat tibi hic primum servitium, et devota libertas existat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde dicuntur sequentes Psalmi, ut supra interim aspergendo:

Psalmus cxxix : De profundis clamavi ad te Domine, etc., *ut supra pag.* 174.

PSALMUS CXXX.

Domine, non est exaltatum cor meum: * neque elati sunt oculi mei.
Neque ambulavi in magnis: * neque in mirabilibus super me.
Si non humiliter sentiebam: * sed exaltavi animam meam.
Sicut ablactatus est super matre sua: * ita retributio in anima mea.
Speret Israel in Domino: * ex hoc nunc et usque in sæculum.

PSALMUS CXXXI.

Memento Domine David, * et omnis mansuetudinis ejus.
Sicut juravit Domino, * votum vovit Deo Jacob.
Si introiero in tabernaculum domus meæ, * si ascendero in lectum strati mei.
Si dedero somnum oculis meis, * et palpebris meis dormitationem.
Et requiem temporibus meis, donec inveniam locum Domino, * tabernaculum Deo Jacob.
Ecce audivimus eam in Ephrata : * invenimus eam in campis silvæ.
Introibimus in tabernaculum ejus: * adorabimus in loco , ubi steterunt pedes ejus.
Surge Domine in requiem tuam, * tu, et arca sanctificationis tuæ.
Sacerdotes tui induantur justitiam: * et sancti tui exultent.
Propter David servum tuum, * non avertas faciem Christi tui.
Juravit Dominus David veritatem, et non frustrabitur eam: * de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.
Si custodierint filii tui testamentum meum, * et testimonia mea hæc, quæ docebo eos.
Et filii eorum usque in sæculum, * sedebunt super sedem tuam.

Quoniam elegit Dominus Sion: ˚ elegit eam in habitationem sibi.

Hæc requies mea in sæculum sæculi: ˚ hic habitabo, quoniam elegi eam.

Viduam ejus benedicens benedicam: ˚ pauperes ejus saturabo panibus.

Sacerdotes ejus induam salutari: ˚ et sancti ejus exultatione exultabunt.

Illuc producam cornu David: ˚ paravi lucernam Christo meo.

Inimicos ejus induam confusione: ˚ super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea.

Psalmus cxxxii: Ecce quam bonum, et quam jucundum, etc., *ut supra pag.* 320.

PSALMUS CXXXIII.

Ecce nunc benedicite Dominum: ˚ omnes servi Domini.

Qui statis in domo Domini: ˚ in atriis domus Dei nostri.

In noctibus extollite manus vestras in sancta: ˚ et benedicite Dominum.

Benedicat tibi Dominus ex Sion: ˚ qui fecit cœlum et terram.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, etc.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.

℣. Et ne nos, etc. ℣. Domine, exaudi, etc.

℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS.

Deus, qui in omni loco dominationis tuæ custos, et protector assistis, exaudi nos, quæsumus, ut inviolabilis hujus domus permaneat bene✠dictio, et beneficia tui muneris universitas, quæ supplicat, mereatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

His dictis, in principaliori loco domus legatur sequens Evangelium:

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

℣. Sequentia Sancti Evangelii secundum Lucam.

℟. Gloria tibi Domine.

In illo tempore: Ingressus Jesus, perambulabat Jericho. Et ecce vir nomine Zachæus, et hic princeps erat publicanorum, et ipse dives. Et quærebat videre Jesum, quis esset, et non poterat præ turba; quia statura pusillus erat. Et præcurrens ascendit in arborem sycomorum, ut videret eum, quia inde erat transiturus. Et cum venisset ad locum; suscipiens Jesus, vidit illum, et dixit ad eum: Zachæe festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere. Et festinans descendit, et excepit illum gaudens. Et cum viderent omnes, murmurabant, dicentes, quod ad hominem peccatorem divertisset. Stans autem Zachæus, dixit ad Dominum: Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus: et si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum. Ait Jesus ad eum: Quia hodie salus domui huic facta est: eo quod et ipse filius sit Abrahæ. Venit enim Filius hominis quærere, et salvum facere quod perierat. ℟. Laus tibi Christe.

Evangelio finito, benedicat incensum hoc modo:

Per intercessionem beati Michaelis Archangeli, stantis à dextris altaris incensi, et omnium electorum suorum, incensum istud dignetur Dominus bene ✠ dicere, et in odorem suavitatis accipere. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Ponat Sacerdos incensum super ignem, et domum incensabit dicens:

Incensum istud à te benedictum ascendat ad te, Domine, et descendat super nos misericordia tua.

℣. Domine, exaudi orationem, etc.

℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS.

Te Deum Patrem omnipotentem suppliciter exoramus pro hac domo, et pro habitatoribus ejus, ut eam bene ✠ dicere, et sanctificare digneris: ut sint promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud: tribue etiam eis de rore cœli abundantiam, et de pinguedine terræ vitæ subsidium, et desideria eorum ad effectum tuæ miserationis perducas, et ad

introitum nostrum hanc domum bene ✠ dicere, et sancti ✠ ficare digneris; sicut benedicere dignatus es Abraham, Isaac, et Jacob, ut inter parietes ejus, et angulos ejus inhabites. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

OREMUS.

Visita, quæsumus Domine, habitationem istam, et omnes insidias inimici ab ea longe repelle: Angeli tui sancti habitent in ea, qui in pace custodiant: et benedictio tua sit super nos semper. Per Dominum, etc. ℟. Amen.

Postremo domum et habitantes benedicens, dicat:

Benedictio Dei omnipotentis, Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus Sancti descendat super hanc domum, et omnes habitantes in ea, et maneat semper. ℟. Amen.

EXORCISMI PRO TEMPESTATIBUS.

Cum primum viderit Sacerdos nubes atras et turgidas procellam et grandinem minitantes, faciat pulsari campanas, quoniam ex suo sonitu, quia benedictæ sunt et nomine Ecclesiæ pulsantur, possunt et nubes dissolvere, et tempestates sedare, et omnes insidias inimici antevertere. Et mox genuflexus ante SSmæ. Eucharistiæ Sacramentum compunctione et contritione cordis misericordiam Dei imploret: et indutus superpelliceo et stola violacei coloris accipiat in manibus lignum Crucis (si in Ecclesia fuerit) vel aliam Crucem et aliquas Sanctorum reliquias; non autem SS. Sacramentum foras asportet; sed si opus sit, et detur sufficiens populi concursus, accensis luminibus et cæreo paschali ejus tabernaculum aperiat, ut, in tam imminente (ut supponitur) tempestatis periculo, rogationes ab universo populo coram Domino religiosius fiant, dum ipse Sacerdos præparata aqua benedicta cum aspersorio in loco ad id deputato facit exorcismos contra tempestates, fulgura, grandines, turbines, et alias temporum procellas. Sed si vis tempestatis major accessum ad dictum consuetum locum impediat, Sacerdos exorcismos faciat in foribus Ecclesiæ; aut alibi ubi commode poterit.

FORMA EXORCIZANDI IMMINENTES TEMPESTATES FULGURUM ET GRANDINUM.

(Ex Breviario Rom. Rit. Tarr. Vicen. et aliis).

Per signum ✠ Crucis de inimicis ✠ nostris, libera nos ✠ Deus noster. In nomine Patris, et Fi ✠ lii, et Spiritus Sancti. ℟. Amen.

Dicat symbolum fidei : Credo in Deum. *Deinde :* Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.

℣. Et ne nos inducas, etc. ℟. Sed libera nos, etc.
℣. Adjutorium nostrum, etc. ℟. Qui fecit, etc.
℣. Sit nomen Domini, etc. ℟. Ex hoc nunc, etc.
℣. Exurgat Deus, et dissipentur omnes inimici ejus.
℟. Et fugiant qui oderunt eum à facie ejus.
℣. Exurge Christe adjuva nos. ℟. Et libera nos, etc.
℣. Domine, exaudi, etc. ℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS.

Domine Jesu-Christe, qui fecisti cœlum, et terram, mare, et omnia, quæ in eis sunt ; quique flumini Jordani benedixisti, atque in eo baptizari voluisti, et tuas sanctissimas manus, et brachia sacratissima in Cruce ✠ extendisti, quibus aerem sanctificasti, obsecramus immensam pietatis, et bonitatis tuæ abundantiam : quatenus has nubes, quas ante me, et post me, et supra me, à dextris, et à sinistris video aerem perturbare, dissolvere, et annihilare digneris : ut alligata potestas dæmonum impie desævientium deficiat, et turbetur ad laudem tui sanctissimi nominis, et potentissimæ majestatis tuæ. Qui vivis, et regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Postea conversus ad nubes signet eas signo Crucis, dicens :

Circumdet te, nubes, Deus ✠ Pater. Circumdet te Deus ✠ Filius. Circumdet te Deus Spiritus ✠ Sanctus. Destruat te Deus ✠ Pater. Destruat te Deus ✠ Filius. Destruat te Deus ✠ Spiritus ✠ Sanctus. Comprimat te Deus ✠ Pater.

Comprimat te Deus ✠ Filius. Comprimat te Deus Spiritus ✠ Sanctus. ℟. Amen.

Obsecratio.

Sanctus Matthæus, Sanctus Marcus, Sanctus Lucas, Sanctus Joannes Evangelista, qui Christi Evangelium per quatuor mundi partes divulgarunt, ipsi suis meritis, et precibus, hanc tempestatem à termino isto, et ab omnibus Christianorum finibus ab eodem Domino nostro Jesu-Christo obtineant effugari, et depelli.

Exorcismus.

Et ego peccator, et Christi Sacerdos (*seu* minister) licet indignus, auctoritate, et virtute ejusdem Dei, et Domini nostri Jesu-Christi summi Imperatoris, non mea potentia innixus, et confisus, vobis præcipio, immundissimi spiritus, qui has nubes, seu nebulas concitatis, in virtute ejusdem Dei, et Domini nostri Jesu-Christi ✠ per sanctissimam ejus Incarnationem, per sanctam Nativitatem, per baptismum, et jejunium ipsius; per ejus sacratissimam Crucem ✠ et passionem, per sanctam Resurrectionem, per admirabilem Ascensionem, per tremendum adventum ejus ad judicium, per merita intemeratæ, semperque Virginis Mariæ, et Sanctissimi N. et per merita omnium Sanctorum; ut exeatis ab eis; et eas dispergatis in locis silvestribus, et incultis, quatenus nocere non possint hominibus, animalibus, fructibus, herbis, arboribus, aut quibuscumque rebus humanis usibus deputatis: Per eumdem Dominum nostrum Jesum-Christum, qui venturus est judicare vivos, et mortuos, et sæculum per ignem. ℟. Amen.

Ipse vobis imperat, dæmones, qui has nubes commovetis, de quo de nube lucida dictum est: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. ✠ Ipse vobis imperat, qui sua sacratissima Cruce Corporis sui sanctissimi in ea extensione aerem purgavit. ✠ Ipse vobis imperat, qui per mortem suam vos, Principem vestrum, mortemque de-

vicit, atque æternæ gehennæ mancipavit ignibus ✠. Ipse vobis imperat, qui, inferno spoliato, surrexit à mortuis ✠. Ipse vobis imperat, qui post quadraginta dies, nube susceptus virtute sua ascendit in cœlum ✠. Ipse vobis imperat, qui venturus est judicare vivos, et mortuos, et sæculum per ignem. ℟. Amen.

Elevet et ostendat Crucem in aera, dicens :

Ecce lignum sanctissimæ Crucis *(et si non fuerit lignum Crucis, dicat :* Ecce signum sanctissimæ Crucis), fugite partes adversæ : vicit enim vos, et mundum Dominus noster Jesus-Christus, Filius Dei, Imperator summus, Leo de tribu Juda, radix David.

Postea aspergatur aqua benedicta in aerem ad quatuor partes in modum Crucis : et si tempestas nondum sedata fuerit, dicantur sequentes

LITANIÆ.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Christe audi nos. Christe exaudi nos.

Pater de cœlis Deus,	℟. Miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus,	miserere nobis.
Spiritus Sancte Deus,	miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus,	miserere nobis.
Sancte Sanctorum Deus,	miserere nobis.

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione veræ fidei æternæ Trinitatis gloriam agnoscere, et in potentia majestatis adorare unitatem, quæsumus, ut ejusdem fidei firmitate à fulgure, et tempestate, et ab omnibus muniamur adversis. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Sancta Maria,	℟. Ora pro nobis.
Sancta Dei Genitrix,	ora.
Sancta Virgo Virginum,	ora.

OREMUS.

O pie, et misericors Deus, qui non vis perdere hominem, sed salvare, oramus clementiam tuam : ut meritis Beatissimæ Virginis Mariæ, miserearis nobis, et à fulgure, et vi procellarum, omnique aerea tempestate, nos, et terminos nobis commissos defendas. Per Christum, etc.

Sancte Michael, ℟. Ora pro nobis.
Sancte Gabriel, ora.
Sancte Raphael, ora.
Sancte Angele Custos, ora.
Omnes sancti Angeli, et Archangeli Dei, orate.
Omnes sancti Beatorum spirituum ordines, orate.

OREMUS.

Omnipotens, et misericors Deus, qui Angelicam custodiam homini, et hominum regnis, provinciis, et civitatibus contulisti, concede propitius : ut nostri regni, et termini præsul, et custos Angelus tuus sanctus ipsum, totumque regnum ab instantis tempestatis periculo, et ab omnibus adversitatibus protegat, et defendat. Per Christum, etc.

Sancte Joannes Baptista, ℟. Ora pro nobis.
Omnes sancti Patriarchæ, et Prophetæ, orate.

OREMUS.

Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, Deus qui Moysi famulo tuo in monte Sinai apparuisti, et Filios Israel de terra Ægypti eduxisti deputans eis Angelum pietatis tuæ, qui custodiret eos die, ac nocte, te quæsumus : ut mittere digneris sanctum Angelum tuum de cœlis, qui ab omni tempestatis incursu nos, et terminum nostrum custodiat. Per Christum, etc.

Sancte Petre, ℟. Ora pro nobis.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andræa, ora.
Sancte Jacobe, ora.

Sancte Joannes, ora.
Sancte Luca, ora.
Sancte Marce, ora.
Omnes sancti Apostoli, et Evangelistæ, orate.
Omnes sancti Discipuli Domini, orate.
Omnes sancti Innocentes, orate.

OREMUS.

Quæsumus, omnipotens Deus, ut beati Apostoli tui, et Evangelistæ, tuum pro nobis implorent auxilium: ut à nostris reatibus absoluti ab imminentis procellæ periculo, et à cunctis adversitatibus eruamur. Per Christum, etc.

Sancte Stephane, ℟. Ora pro nobis.
Sancte Laurenti, ora.
Sancte Vincenti, ora.
Sancte Petre Martyr, ora.
Sancti Fabiane, et Sebastiane, orate.
Sancti Cosma, et Damiane, orate.
Sancti Luciane, et Marciane, orate.
Omnes sancti Martyres, orate.

OREMUS.

Deus, qui nos concedis omnium sanctorum Martyrum commemorationem agere, da nobis eorum meritis, et precibus in præsenti vita à fulgure, et grandine, et ab omni malo liberari, et in æterna beatitudine de eorum societate gaudere. Per Christum, etc.

Sancte Silvester, ℟. Ora pro nobis.
Sancte Gregori, ora.
Sancte Ambrosi, ora.
Sancte Augustine, ora.
Sancte Hyeronime, ora.
Sancte Nicolae, ora.
Sancte Benedicte, ora.
Sancte Bernarde, ora.
Sancte Dominice, ora.

Sancte Francisce, ora.
Sancte Raymunde, ora.
Sancte Juste, ora.
Omnes sancti Confessores, orate.

OREMUS.

Deus, qui nos omnium sanctorum Confessorum tuorum confessionibus gloriosis circumdas, et protegis: da nobis eorum imitatione proficere, et intercessione ab omni aereæ tempestatis impetu, et nocumento liberari. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Sancta Maria Magdalena, ℟. Ora pro nobis.
Sancta Agatha, ora.
Sancta Barbara, ora.
Sancta Lucia, ora.
Sancta Cæcilia, ora.
Sancta Felicitas, ora.
Sancta Perpetua, ora.
Sancta Catharina, ora.
Sancta Eulalia, ora.
Sancta Thecla, ora.
Sancta Birgitta, ora.
Sancta Christina, ora.
Sancta Scholastica, ora.
Omnes sanctæ Virgines, Viduæ, et Continentes, orate.

OREMUS.

Deus, qui nos beatarum Virginum tuarum commemoratione lætificas: concede propitius, ut earum adjuvemur meritis, quarum castitatis irradiamur exemplis. Per Christum, etc.

Omnes Sancti et Sanctæ Dei, ℟. Intercedite pro nobis.

OREMUS.

Omnes Sancti tui, quæsumus, Domine, nos ubique adjuvent: ut dum eorum merita recolimus, patrocinia sentia-

mus,et pacem tuam nostris concede temporibus, et ab Ecclesia tua cunctam repelle nequitiam, iter, actus et voluntates nostras, et omnium famulorum tuorum in salutis tuæ prosperitate dispone, et fructus terræ ab omni tempestatis ira defende: benefactoribus nostris sempiterna bona retribue, et omnibus fidelibus defunctis requiem æternam concede. Per Christum, etc.

Propitius esto, ℟. Parce nobis Domine.
Propitius esto, exaudi nos Domine.
Ab insidiis diaboli, libera nos Domine.
A fulgure, et tempestate, libera.
Ab imminentis tempestatis periculo, libera.
Ab omni malo, libera.
Per Passionem, et sanctam Crucem tuam, libera.
Per gloriosam resurrectionem tuam, libera.
Per gratiam Spiritus Sancti paracleti, libera.
In die judicii, libera.
Peccatores, ℟. Te rogamus audi nos.
Ut nobis parcas, te rogamus.
Ut nobis indulgeas, te rogamus.
Ut ad veram pœnitentiam nos perducere digneris, te rog.
Ut fructus terræ dare, et conservare digneris, te rog.
Ut aeris temperiem salutarem nobis donare digneris, te rog.
Ut locum istum visitare, et custodire digneris, te rog.
Ut nos exaudire digneris, te rog.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi. ℟. Parce nobis Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi. ℟. Exaudi nos Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi. ℟. Miserere nobis.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem, etc.

℣. Esto nobis, Domine, turris fortitudinis.

℟. A facie inimici.

℣. Domine, exaudi, etc. ℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS.

Pie, et exaudibilis, Domine Jesu-Christe, clementiam tuam cum omni supplicatione deposcimus: ut per interventum Beatæ, et gloriosæ, semperque Virginis Mariæ, et omnium sanctorum Angelorum, Archangelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, Monachorum, et omnium civium supernorum, Ecclesiæ tuæ sanctæ Catholicæ fidei augeas pacem, tribuas rectoribus nostris, et nobis remissionem, et indulgentiam peccatorum concedas; infirmis salutem, lapsis reparationem, aeris commoditatem; ab omni fulguris, grandinis, et tempestatis impetu liberationem; navigantibus, atque iter agentibus fidelibus iter prosperum, ac salutis portum; tribulatis gaudium, oppressis relevationem, captivis vinctis, et peregrinis peccatorum omnium remissionem, absolutionem, et ad patriam reversionem largiaris. Angelum tuum sanctum nobis hic, et ubique custodem, et defensorem adhibeas. Mutuam discordantibus charitatem concedas; infidelibus veram fidem, ac fidelibus defunctis requiem propitius donare digneris sempiternam. Et ad beneficia colenda, quibus nos instaure dignatus es, tribue venire gaudentes. Qui cum Deo Patre, et Spiritu Sancto vivis, et regnas, etc.

Benedicat nubes cum Cruce, dicens:

Benedictio Dei omnipotentis Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti descendat super has nubes, et omnem vim inimici ab eis repellat. ℟. Amen.

Si nondum sedata fuerit tempestas, dici possunt: Symbolum S. Athanasii, *ut supra pag.* 463. Salve Regina, Mater misericordiæ, etc. Sub tuum præsidium, etc., *et deinde Canticum trium puerorum:* Benedicite omnia opera Domini Domino, etc. *et in fine,* Gloria Patri, etc.

℣. Benedicamus Patrem et Filium cum Sancto Spiritu.

℟. Laudemus, et superexaltemus eum in sæcula.

℣. Ora pro nobis sancta Dei genitrix.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

℣. Exurge Christe adjuva nos.

℟. Et libera nos propter nomen tuum.

℣. Domine exaudi, etc. ℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione veræ fidei æternæ Trinitatis gloriam agnoscere, et in potentia majestatis tuæ adorare unitatem; quæsumus: ut ejusdem fidei firmitate ab omnibus semper muniamur adversis.

Protege, Domine, famulos tuos, subsidiis pacis, et Beatæ Mariæ semper Virginis patrocinio confidentes à cunctis hostibus, et periculis redde securos.

A domo tua, quæsumus, Domine, spirituales nequitiæ repellantur, et aerearum discedat malignitas tempestatum.

Ad te nos Domine, clamantes exaudi, et aeris serenitatem nobis tribue supplicantibus; ut qui juste pro peccatis affligimur, misericordia tua præveniente clementiam sentiamus.

Largiri, et conservare fructus terræ dignare, Domine Deus noster: ut temporalibus gaudeamus auxiliis, et proficiamus spiritualibus incrementis. Per Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

Potest dici et oratio S. Patroni vel illius Sancti, in cujus honore constructa est Ecclesia, et aliorum Sanctorum de quorum intercessione propter specialem devotionem nostram magis confidimus.

Possunt dici et aliæ devotæ orationes cum compunctione, et cordis contritione, implorando semper misericordiam Dei. Et si adhuc tempestas perseveraverit, poterunt supradicta pluries repeti.

PRECES DICENDÆ IN GRATIARUM ACTIONE PRO TEMPESTATE QUOCUMQUE TEMPORE SEDATA.

(Ex Rituali Vicensi).

Omni tempore et quotiescumque cessant tempestates, Clerus et populus pro collatis donis gratias Domino Deo nostro agere

debent: ac proinde Sacerdos antequam è loco, ubi exorcismos fecerit, proficiscatur, id exequetur efformando cum eadem cruce signum Crucis versus quatuor mundi partes, dicens:

✠ Pax in cœlo. ✠ Pax sit in terra. ✠ Pax sit in loco isto, per Jesum-Christum Dominum nostrum, cui omne genu flectitur cœlestium, terrestrium, et infernorum. ℟. Amen.

℣. Adjuva nos, Deus salutaris noster.

℟. Et propter gloriam nominis tui libera nos.

Intonabit vel dicet Hymnum: Te Deum laudamus, *ut supra pag.* 329, *et illum prosequetur submissa voce ad Ecclesiam regrediendo, et genuflexus ante altare majus illum finiet dicens versiculum, responsorium et orationes sequentes:*

℣. Suscepimus, Deus, misericordiam tuam.

℟. In medio templi tui.

OREMUS.

Gratias tibi agimus, Domine, quia tu gratia et clementia nos consolari dignatus sis, et contra diabolicas fraudes, et nubes nocivas virtutem tuæ defensionis nobis impenderis: te deprecamur, Domine Deus noster: ut animæ et corporis prosperitatem nobis conferas, et sancta cœli participatione nos dignos efficias. Per Christum Dominum, etc.

℟. Amen.

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, majestati tuæ gratias agimus, quia precibus nostris præstiteris auditum, et infestationem immundi spiritus abjeceris, tuam clementiam exoramus: ut nos semper et ubique protegas, et à periculis omnibus exuas, ac nobis dexteram invictæ potentiæ tuæ ad depulsionem nocivorum, et defensionem proficuorum semper et ubique propitius ostendas. Per Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

ALIA FORMA EXORCIZANDI IMMINENTES TEMPESTATES FULGURUM ET GRANDINUM.

Sacerdos genuflexus ante altare, dicat:

Per signum Cru✠cis, de inimicis✠nostris, libera nos✠ Deus, etc. Credo in Deum, etc.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem, etc.

℣. Ostende nobis Domine misericordiam tuam, etc.

℣. Exurge Christe adjuva nos.

℟. Et libera nos, etc.

℣. Domine, exaudi, etc.

℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS.

Domine Jesu-Christe, qui flumen Jordanis benedixisti, atque in eo baptizari voluisti, et tuas sacratissimas manus, et brachia in Cruce extendisti, quibus aerem purificasti, obsecramus pietatem tuam, ut has nubes, quas ante me, et post me, et supra me, à dextris, et à sinistris video aerem perturbare, dissolvere, et annihilare digneris: ut alligata potestas dæmonum impie desævientium deficiat, et turbetur ad laudem, et gloriam nominis tui, qui cum Patre, et Spiritu Sancto vivis, etc.

Surgat et intra portas Ecclesiæ dicat contra nubes:

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini, etc.

Exorcizo✠te, creatura nubes, in nomine Dei Patris✠ omnipotentis, et in nomine Jesu✠Christi Filii ejus Domini nostri, et in virtute Spiritus✠Sancti, ut fias nubes exorcizata, et benedicta, et fugiat à te omnis malitia, et omnis spiritus malignus, adjuratus, et expulsus, per eum qui venturus est judicare vivos, et mortuos, et sæculum per ignem. ℟. Amen.

Aspergatur nubes in forma Crucis, et postea dicatur:

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Exaudi nos Deus salutaris noster, et mittere digneris sanctos Angelos tuos, qui nos et terram nostram defendant à cunctis periculis, et dissipent, et destruant hanc tempestatem. Per Christum, etc.

Faciat sequentes cruces contra nubem dicendo:

Circumdet te Deus ✠ Pater, circumdet te Deus ✠ Filius, circumdet te Deus ✠ Spiritus Sanctus. Comprimat te Deus ✠ Pater. Comprimat te Deus ✠ Filius. Comprimat te Deus ✠ Spiritus Sanctus. Destruat te Deus ✠ Pater, destruat te Deus ✠ Filius, destruat te Deus ✠ Spiritus Sanctus.

℟. Amen.

Sanctus Matthæus, Sanctus Marcus, Sanctus Lucas, Sanctus Joannes Evangelista, qui Christi Evangelium per quatuor mundi partes divulgaverunt, ipsi suis meritis, et precibus hanc tempestatem à termino isto, et ab omnibus Christianorum finibus, ab eodem Domino nostro Jesu-Christo obtineant effugari, et expelli. ℟. Amen.

Et ego peccator, et Christi Sacerdos, seu Minister, licet indignus, præcipio vobis, immundissimi spiritus, siqui has nubes, seu nebulas concitatis, non mea potentia innixus et confisus, sed in virtute ejusdem Dei, et Domini nostri Jesu-Christi, et per sanctissimam ejus Incarnationem, Nativitatem, Baptismum, et Jejunium; et per ejus sanctissimam Cru ✠ cem, et Passionem, per sanctam Resurrectionem suam, et admirabilem Ascensionem, ac per tremendum adventum ejus, et judicium, ut exeatis ab eis, et eas dispergatis in locis silvestribus, et incultis, quatenus nocere non possint hominibus, animalibus, fructibus, herbis, arboribus, aut quibuscumque rebus humanis usibus deputatis: præstante eodem Domino nostro Jesu-Christo, qui cum Patre, etc.

Ostendat eis Crucem dicens:

Ecce lignum Crucis, fugite partes adversæ, vicit Leo de tribu Juda, Jesus-Christus Dominus noster, radix David, Alleluia.

Christus Rex venit in pace, et Deus homo factus est, et Verbum caro factum est, Christus de Virgine natus est, Christus per medium illorum ibat in pace, Christus crucifixus est, mortuus, et sepultus, resurrexitque à mortuis, et ascendit in cœlum, Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat, Christus ab omni malo, et fulgure, et tempestate nos defendat. Deus nobiscum est.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Sequentia Sancti Evangelii secundum Joannem.

℟. Gloria tibi Domine.

In principio erat Verbum, etc., *ut supra pag.* 31.

OREMUS.

Domine Jesu-Christe, qui in hunc mundum venisti, ut salvos faceres peccatores, exaudi nos clamantes ad te pro fructibus terræ: ut non deleantur tempestate hac, sed per interventum Beatissimæ Virginis Mariæ, et omnium Sanctorum conserventur illæsi. Qui cum Patre, etc.

Adjuro te ✠, maligna tempestas, et vos dæmones, siqui eam concitatis, et ligo vos cum omni malitia vestra, per Deum ✠ vivum, per Deum ✠ verum, per Deum ✠ sanctum, per Deum, qui omnia ex nihilo creavit; ut non possitis jactare in termino isto, nec in terris Christianorum fulmina, grandines, neque aquas infectas, et calamitosas; sed retrahatis eam, vel transeatis cum illa in eremum, ubi solvat malitiam suam, absque læsione hominis, animalis, et loci. ℟. Amen.

Ecce lignum Crucis, *ut supra.*

OREMUS.

Domine Jesu-Christe Fili Dei vivi, qui pro nobis peccatoribus, sanguinem tuum pretiosissimum in Cruce, ex nimia charitate tua effundere voluisti, quæsumus clementiam tuam, ut nubem istam bene ✠ dicere, et sancti ✠ ficare, digneris, et facias eam converti in aquam sanctificatam, et pluviam

benedictam, atque placitam nostris agris, et fructibus. Qui cum Patre, etc.

Conjuro ✠ vos, nubes, et vos, dæmones, eas concitantes, in nomine Sanctissimæ Trinitatis, et vos, venti orientales, meridionales, occidentales, et australes, et omnes quicumque venti; ut absque læsione nostra, agrorum, fructuum, et omnium aliarum rerum ducatis hanc tempestatem in montes incultos, ubi nemini nocere possint. ℟. Amen.

Iterum conjuro ✠ vos, immundissimi spiritus, nubes, et aera, per virtutem sanctissimæ Cru ✠ cis, cujus signum vobis ostendo, et præcipio, ut in honorem, et ✠ gloriam Dei transeatis cum hac tempestate in eremum, et ibi dispergatis eam, absque læsione hominis, animalis, et fructuum.

℟. Amen.

OREMUS.

Domine Jesu-Christe, qui languores nostros in ligno Crucis ipse portasti, ne respicias ad delicta nostra; sed per ineffabilem bonitatem tuam libera nos, et terram istam, cum messibus, vineis, pratis, arboribus, et fructibus ab hac tempestate. Qui cum Patre, etc.

Conjuro ✠ te, sævissima et tenebrosa tempestas, per quinque vulnera, quæ Dominus noster Jesus-Christus in manibus, pedibus, et latere passus est; et per sanctissimum sanguinem, et aquam, quæ de latere exivit: ut sicut separatur cœlum à terra, justum ab injuste, et infernus à paradiso, sic fias remota ab omni labore nostro, et terra transiens indivisa, et absque læsione rerum nostrarum. ℟. Amen.

Ecce Crucem Domini, *ut supra.*

Sancta Maria Virgo immaculata Dei Genitrix, intercede pro nobis: ora Patrem, Verbum, Spiritum Sanctum, sponsum exora, sub tuum præsidium confugimus, in tua protectione speramus: consolatrix afflictorum, refugiumque peccatorum: sentiamus omnes tuum juvamen, qui in hac tribulatione tuum auxilium imploramus. ℟. Amen.

Adjuro te, grandinosa et tenebrosa tempestas, et vos, dæmones, concitantes eam, per Beatissimam Virginem Mariam,

et per charitatem, humilitatem, et puritatem suam; et ligo vos, ut non possitis jactare super agros, vineas, arbores, et fructus hujus termini, fulgura, grandinem, aquam noxiam, nec nebulam, quæ nocere possit eis. ℟. Amen.

Ecce Crucem Domini, *ut supra.*

Iterum conjuro vos ✠ nubes, et dæmones, per Sanctos Angelos, et Archangelum Michaelem, Gabrielem, Raphaelem, et per omnes Choros Angelorum: ut in nullo noceatis nobis, nec terminis nostris; proinde exite maledicti dæmones ab istis nubibus, ante me, et retro positis, ut fiat in eis aqua bene ✠ dicta, sanctificata, et placita nobis, agris, et fructibus, præstante Domino Deo nostro, qui vivit, et regnat cum Angelis, et Archangelis, cum Thronis, et Dominationibus, cum Virtutibus, et Potestatibus, cum Cherubim, et Seraphim, qui quotidie incessabili voce laudant eum, dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth, qui est, et qui erat, et qui venturus est judicare vivos, et mortuos, et sæculum per ignem. ℟. Amen.

Ecce Crucem Domini, *ubi supra.*

OREMUS.

Domine sancte, Pater omnipotens, Adonai, Sabaoth, salva nos à malignitate diabolica: et sicut liberasti Danielem de lacu leonum, et Moysem de manu Pharaonis; ita nos, et terram istam, cum messibus, et vineis, et fructibus liberare dignare ab hac tempestate. Per Christum, etc.

Conjuro te ✠, maligna tempestas, et vos, spiritus tartarei, et per potestatem, quam Dominus noster Jesus-Christus dedit Discipulis suis, et successoribus eorum ligandi, atque solvendi, ligo vos; ut non possitis retineri hic, sed celeriter transeatis cum hac tempestate in montes incultos, ubi absque læsione nostra, solvat malitiam suam. ℟. Amen.

Ite maledicti spiritus, imperat vobis Deus ✠ Pater, imperat vobis Deus ✠ Filius, imperat vobis Deus ✠ Spiritus Sanctus. Imperat vobis Je ✠ sus, de quo de nube lucida dictum est: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene compla-

cui. Ipse vobis imperat ✠, qui morte sua vos, et principem vestrum devicit, et ligavit, atque æternæ gehennæ mancipavit ignibus. Ipse vobis imperat ✠, qui inferno spoliato, surrexit à mortuis. Ipse vobis imperat ✠, qui post quadraginta dies nube susceptus, virtute sua ascendit in cœlum. Ipse vobis imperat ✠, qui venturus est judicare vivos, et mortuos, et sæculum per ignem. ℟. Amen.

Ecce Crucem Domini, etc.

OREMUS.

Protege Domine populum tuum istum, cum rebus suis, et fructibus agrorum, vinearum, et arborum, quos dedisti ei, subsidiis pacis, et Beatæ Mariæ semper Virginis intercessione, et Beati ✠ N. et omnium Sanctorum patrocinio libera nos ab omni malo.

Omnipotens sempiterne Deus, qui electos Sanctos tuos Georgium, Blasium, Pantaleonem, Margaritam, Barbaram specialibus decorasti privilegiis; ut omnes qui in tribulationibus suis eorum implorant auxilium, salutis consequantur effectum; da nobis quæsumus, ut ipsorum intercedentibus meritis, ab hac tempestate liberemur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Vos Sancti Angeli Dei Michael, Gabriel, Raphael, cum militibus vestris, custodite quæsumus terram istam cum agris, messibus, vineis, pratis, arboribus, et fructibus, atque animalibus, et defendite eam ab omni malo. ℟. Amen.

Bene ✠ dictio Dei omnipotentis Patris, et Filii, et Spiritus Sancti descendat super terminos istos, et maneat semper. ℟. Amen.

Si tempestas nondum cessaverit, repetantur conjurationes omnes, vel in particulari, ut Exorcistæ placuerit, vel dicantur Litaniæ Sanctorum, ut supra pag. 40.

GRATIARUM ACTIO.

Hymnus: Te Deum laudamus, etc.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Offerimus tibi gratias, omnipotens Deus, et laudamus nomen tuum, pro concessis, et concedendis beneficiis tuis humiliter deprecantes veniam peccatorum nostrorum. Per Christum, etc.

ALIA FORMA EXORCIZANDI IMMINENTES TEMPESTATES DÆMONIBUS VALDE FORMIDABILIS.

(Ex Rit. Vicen.).

Parochus sive Sacerdos paratus eo modo quo dictum est supra pag. 503, *et constitutus in loco ad exorcismos faciendos deputato, præmuniet se signo Crucis, dicens:*

Per signum sanctæ Crucis ✠ de inimicis ✠ nostris libera nos ✠ Deus noster. In nomine Patris ✠, et Filii, et Spiritus Sancti. ℟. Amen.

Potentia Patris conforta me. Sapientia Filii doce me. Amor Spiritus Sancti illumina mentem meam. Benedicta sit sancta, et individua Trinitas nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Confitebimur ei, quia fecit nobiscum misericordiam suam eripiens nos à potestate tenebrarum, et à tyrannica dæmonum servitute.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum et terram.

℣. Sit nomen Domini benedictum.

℟. Ex hoc nunc et usque in sæculum.

℣. Domine, exaudi, etc. ℣. Dominus vobiscum, etc.

Genuflexus dicet sequentem orationem:

OREMUS.

Domine Deus omnipotens, Pater, Filius, et Spiritus Sanctus, una Trinitas ineffabilis in tribus personis, qui es, qui eras, et qui venturus es: te deprecor, majestas incomprehensibilis, et inestimabilis, sempiternaque virtus, ut exiguitatis meæ precibus clementissimæ misericordiæ tuæ au-

res inclines, et ab omni dæmonum incursu terminum istum, et reliquos Christianorum fines tua potentia custodias. Per Christum Dominum nostrum, etc. ℟. Amen.

Finita oratione, surgat et manu dextera elevet lignum Crucis vel aliam Crucem versus nubes dicens:

Ecce Crucem Domini, fugite partes adversæ, vicit Leo de tribu Juda, radix David.

Postea assumat manu sinistra lignum Crucis vel aliam Crucem, et manu dextera aspergat nubes aqua benedicta in modum Crucis, dicens:

Fuge, maledicte diabole, ad aspersionem hujus aquæ, recognosce ejus sanctam benedictionem.

Aspersione facta, stans Sacerdos cum magna in Deum D. N. fiducia, animi constantia, et contra dæmones imperio, majori qua possit efficacia dicet sequentem conjurationem, tenens manu dextera Crucem elevatam versus nubes:

Conjuratio.

Audite, rebelles, et iniquissimi spiritus, qui ob maximam, et inauditam temeritatem vestram ante conspectum sanctissimæ Crucis persistere præsumitis, qui semper Deo conditori vestro obstinata mente obedire reluctatis in nomine, ac virtute ejusdem Dei omnipotentis, cujus auxilium invoco. Conjuro vos ✠ dæmones infernales, spiritus immundissimos, et iniquissimos per sanctam, et individuam ✠ Trinitatem: per Jesu-Christi Domini nostri ✠ Passionem, qua vos immundissimos spiritus debellavit, et ad cavernas inferni, ubi cum perpetuo interitu exulatis, detrusit, ut fugiatis cum hac horribili tempestate, et nulli creaturæ noceatis ✠. Conjuro vos, spurcissimi dæmones, per purissimam Virginis Mariæ integritatem: ut damnum non afferatis hominibus, fructibus terræ, vel alteri creaturæ hominum usui deputatæ. Per ✠ civitatem illam novam, quam beatus Joannes vidit in cœlo, in qua incomprehensibilis Deus se ipsum omnibus Sanctis suis manifestat. Adjuro vos, nefandissimi spiritus: ut memores perditionis vestræ cum hac tempestate

mala deficiatis. ✠ Confundat vos, perditissimi spiritus, damnum irrecuperabile, quod contigit vobis propter vestram superbiam, quando perdidistis summum, infinitum, et incommutabile bonum, quod est Deus. ✠ Atterat vos, miserabilissimi spiritus, dolor desperationis, quæ ex æternitate pœnarum in vobis oritur; pœna illa interminabilis, qua propter vestram elatam temeritatem à justissimo Deo donati estis, carentia omnium bonorum, quibus in illa justissima sententia propter inflexibilem malitiam promulgatam fuistis spoliati, non persistatis, non diutius obedire differatis; recedite, miseri, declinate à nobis, minaces has et turgidas nubes deserite, quatenus nobis imbriferæ fiant, ac fructibus terræ salutaris. Quid reluctatis sceleratissimi? crescit enim ex vestra contumacia vestra damnatio. Videte, omni dolo, et iniquitate repleti, damnationis vestræ statum, recognoscite, qualiter Deus benedictus puniat vestram sceleratam voluntatem. Timete augmentum punitionis, desinite has nubes occupare, et aerem perturbare. Nec audeatis ultra nobis infestos esse, præcipiente Domino nostro Jesu-Christo, qui venturus est judicare vivos, et mortuos, et sæculum per ignem. ℟. Amen.

Si tempestas perseveret, sæpius repetere poterit Sacerdos supradicta, vel uti aliis exorcismorum formulis.

Tempestate sedata, dicet in gratiarum actionem preces supra pagina 512 *positas.*

ALIA FORMA EXPELLENDI TEMPESTATES A S. VINCENTIO FERRERIO, *serm.* 2, *in feria* 2 *Rogationum* COMMENDATA.

Paratus Sacerdos, prout supra pag. 503 *notatum est, et genuflexus in loco suo dicat Litanias cum omnibus suis orationibus, ut pag.* 506, *vel pag.* 40. *Mox dicat symbolum S. Athanasii, pag.* 463, *crucem Cruce, quam manibus tenebit, efformando ad singulos versiculos. Deinde dicat:*

✠ Credo in Deum. ✠ Patrem omnipotentem. ✠ Creatorem cœli, et terræ. ✠ Et in Jesum-Christum Filium ejus

unicum Dominum nostrum. ✠ Qui conceptus est de Spiritu Sancto. ✠ Natus ex Maria Virgine, passus sub Pontio Pilato. ✠ Crucifixus, mortuus, et sepultus. ✠ Descendit ad inferos. ✠ Tertia die resurrexit à mortuis. ✠ Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis. ✠ Inde venturus est judicare vivos, et mortuos. ✠ Credo in Spiritum Sanctum, sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem. ✠ Remissionem peccatorum, carnis resurrectionem. ✠ Vitam æternam. ℟. Amen.

Postea ter invocet SSm. Nomen. ✠ Jesus. ✠ Jesus. ✠ Jesus.

Demum dicat Evangelium S. Joannis: In principio erat Verbum, etc., *ut supra pag.* 31, *repetendo multoties genuflexus* et Verbum caro factum est.

Etiam repeti possunt iidem Exorcismi supra dispositi.

Sedata tempestate, dicantur preces pro gratiarum actione, ut supra pag. 512.

PRECES AD REPELLENDAM TEMPESTATEM CORAM SANCTISSIMO EUCHARISTIÆ SACRAMENTO.

(Ex Rit. Rom. et Vicen.).

Exponat Parochus sive Sacerdos SSm. Sacramentum dicendo: Tantum ergo Sacramentum, etc. *Postea flexis genibus in superiori gradu altaris dicat Litanias ordinarias, ut supra pag.* 40, *in quibus bis dicitur:* A fulgure et tempestate, *et in fine:* Pater noster, etc. ℣. Et ne nos, etc. ℟. Sed libera nos, etc. *Postea dicat orationem Dominicæ currentis, et prosequetur hunc in modum:*

Psalmus cxlvii. Lauda Jerusalem Dominum, *ut supra pág.* 258, cum Gloria Patri, etc., *in fine. Deinde:*

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum et terram.

℣. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam.

℟. Et salutare tuum da nobis.

℣. Adjuva nos Deus salutaris noster.

℟. Et propter gloriam nominis tui, Domine, libera nos.
℣. Nihil proficiat inimicus in nobis.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.
℣. Fiat misericordia tua, Domine, super nos.
℟. Quemadmodum speravimus in te.
℣. Salvum fac populum tuum, Domine.
℟. Et benedic hereditati tuæ.
℣. Non privabis bonis eos, qui ambulant in innocentia.
℟. Domine Deus virtutum, beatus homo, qui sperat in te.
℣. Domine, exaudi, etc.
℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS.

Deus, qui culpa offenderis, pœnitentia placaris: preces populi tui supplicantis propitius respice; et flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis nostris meremur averte.

A domo tua, quæsumus Domine, spiritales nequitiæ repellantur; et aerearum discedat malignitas tempestatum.

Omnipotens sempiterne Deus, parce metuentibus, propiciare supplicibus: ut post noxios ignes nubium, et vim procellarum in misericordiam transeat laudis comminatio tempestatum.

Domine Jesu, qui imperasti ventis, et mari, et facta fuit tranquillitas magna, exaudi preces familiæ tuæ, et præsta; ut à nobis discedat omnis sævitia tempestatum.

Omnipotens et misericors Deus, qui nos et castigando sanas, et ignoscendo conservas: præsta supplicibus tuis, ut et tranquillitatibus optatæ consolationis lætemur, et dono tuæ pietatis semper utamur. Per Dominum nostrum.

℟. Amen.

His finitis, si tempestas nondum cessaverit, dicatur Symbolum S. Athanasii, ut supra pag. 463, *Psalmi ex pœnitentialibus, vel repetantur Litaniæ cum supradictis precibus.*

PRECES DICENDÆ IN GRATIARUM ACTIONE PRO TEMPESTATE REPULSA, SANCTISSIMO EUCHARISTIÆ SACRAMENTO NONDUM RESERVATO.

(Ex Rituali Vicensi).

Sedata tempestate, antequam reservetur SSmum. Sacramentum, Clerus et populus gratias referent Domino Deo nostro pro beneficiis acceptis; et Parochus vel Sacerdos intonabit vel dicet Hymnum, Te Deum laudamus, *ut supra pag.* 329. *Finito Hymno, dicet Sacerdos:*

℣. Benedicamus Patrem, et Filium cum Sancto Spiritu

℟. Laudemus et superexaltemus eum in sæcula.

℣. Panem de cœlo præstitisti eis. *Tempore paschali additur alleluia.*

℟. Omne delectamentum in se habentem.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus, cujus misericordiæ non est numerus, et bonitatis infinitus est thesaurus: piissimæ majestati tuæ pro collatis donis gratias agimus, tuam semper clementiam exorantes: ut qui petentibus postulata concedis, eosdem non deserens, ad præmia futura disponas.

Deus qui nobis sub Sacramento mirabili passionis tuæ memoriam reliquisti: tribue quæsumus; ita nos Corporis et Sanguinis tui sacra mysteria venerari; ut redemptionis tuæ fructum in nobis jugiter sentiamus. Qui vivis et regnas per omnia sæcula sæculorum.

℟. Amen.

Finitis orationibus, subeat Sacerdos ad altare et genuflexione facta accipiet cum tobalea ex humeris pendente Sanctissi-

mum Sacramentum, et conversus ad populum impertiet ei benedictionem in modum Crucis quin aliquid dicat, et cum magna reverentia reservabit SSmum. Sacramentum dicendo submissa voce: Tantum ergo Sacramentum.

SSmo. reservato, dicat Parochus vel Sacerdos absolutionem generalem cum versiculis et responsoriis pro animabus purgatorii.

CONCLUSIO

ET

OBSERVATIO VALDE OPPORTUNA.

Duabus hisce præcedentibus appendicibus de visitatione et cura infirmorum, ac de exorcismis huic volumini finis imponitur. Invenies in eo, venerande Sacerdos, quidquid desiderare potueris, quidquid in proemio promissum est: in hac enim Collectione benedictiones habere tibi licebit pro quacumque re, quæ benedicenda possit offerri. Earum formulæ Rituali Romano conformes sunt, utpote fideliter ad litteram transcriptæ (ut in principio cujusque illarum notatur) ex Rituali, Pontificali et Missali Romanis, ex Ritualibus Tarraconensi, Vicensi et aliis, quæ juxta Romanum Pauli V, Pont. Max., novissime reformatum à respectivis Episcopis, ita sunt ordinata, ut de ipsis jure merito dici possit quod in Vicensi legitur, nempe: «Om«nia tamen ita Romano Rituali cohærentia, ut Ritua«le hoc nostrum (Vicense) Romanum in omnibus fere «videatur.» Insuper in hac Collectione, quam judicio Censoris D. D. Jacobi Soler, Canonici Magistralis (postea Episcopi Terulensis) subjecit Ordinarius Vicensis, eamque prælo dandam coordinatorem adegit idem Censor, præ oculis habitæ et servatæ sunt regulæ in Bullis Summorum Pontificum Sancti Pii V, Clementis VIII, et Urbani VIII indictæ; propter quæ omnia eam approbare non dubitavit præfatus Ordinarius seu Peril-

lustris Vicarius Gen. Capitularis D. D. Lucianus Casadevall, qui postea creatus fuit Episcopus Vicensis; illamque prævio consensu Capituli die vigesima Januarii anni 1844 typis mandari permisit. Ullo ergo absque dubio et timore in eis adhibendis procedi posse videtur.

Verum cum dubium fortasse alicui suboriri posset ex eo, quod inter dubia Sacrorum Rituum Congregationi proposita [1] à R. P. Fr. Mariano ab Arimino, Or-

[1] **Num. 4532. ARIMINEN.**

Desiderio motus eliminandi nonnullos abusus, qui sensim introducuntur super sacris Ritibus R. P. Fr. Marianus ab Arimino, Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia, Sacrorum Rituum Congregationi sequentia Dubia proposuit:

1. An in Matutino Noctis Nativitatis Dominicæ duo Assistentes Sacerdotes parati cantaturi primas Homilias, deferre debeant sub Pluviali Stolam diaconalem, vel à collo pendentem, vel in modum Crucis ante pectus? Et quid si duo Assistentes essent unus simplex Diaconus, Subdiaconus alter?

2. An in primo anni die Hymnus: *Veni Creator:* qui cantatur in Ecclesiis ad invocandum Sanctum Divinum Spiritum, debeat habere pro conclusione: *Jesu, tibi sit gloria:* ratione Octavæ Nativitatis Domini, vel ista: *Deo Patri... ejusque soli Filio?*

3. Quæritur: An quum in Choro nostro, tempore Missæ solemnis, vel Vesperarum adsit Episcopus non Diœcesanus, simul cum Patre nostro Provinciali Visitatore sit turiphicandus solus Episcopus, aut ambo? Et quid si Episcopus esset Diœcesanus?

4. An sub Reliquia alicujus Sancti exposita publicæ venerationi inter Candelabra, debeat adhiberi Palla, sicuti in pluribus faciunt Ecclesiis?

5. Utrum liber, cui titulus: *Collectio, sive apparatus Absolutionum, Benedictionum, Conjurationum, etc.:* auctore Bernardo Sannig, sit prohibitus vigore Decreti, seu regulæ generalis Indicis? aliqui enim affirmant, alii negant, immo omnes fere Sacerdotes hic, et alibi adhibent, quamvis omni prorsus approbatione careat? Et quid de aliis libris Benedictionum habentibus quidem aliquam approbationem, ast non illam istius S. R. C.?

Ea Sacra eadem Congregatio in Ordinario Cœtu ad Vaticanum sub

dinis Minorum S. Francisci de Observantia, istud legatur, scilicet: «5. Utrum liber, cui titulus: *Collectio «sive apparatus Absolutionum, Benedictionum, Conju-«rationum, etc.*, auctore Bernardo Sannig, sit prohibi-«tus vigore decreti, seu regulæ generalis Indicis? ali-«qui enim affirmant, alii negant, immo omnes fere «Sacerdotes hic et alibi illum adhibent?... Et quid de «aliis libris Benedictionum habentibus quidem aliquam «approbationem, ast non illam istius S. R. C.?» Ad quod dubium ab eadem S. R. C. responsum fuit his verbis: «*Ad 5. Illi soli libri adhibendi, et in illis tan-«tum Benedictionibus, quæ Rituali Romano sunt con-«formes.*» Aliqua observanda hic opportunum erit, ad omne dubium circa præsentem Collectionem deponendum.

Prudens sane responsum! Ex eo enim minime deduci videtur, prohibitum esse, nec prohiberi, benedictionum collectiones efformari posse, dummodo in eis formandis serventur regulæ in Constitutionibus Pontificiis præscriptæ, dummodo Ordinarii approbationem habeant, dummodo *Rituali Romano conformes sint*, et multo minus si in ipsis collectionibus inve-

infrascripta die coadunata, audita relatione ab me infrascripto Secretario facta, omnibus mature perpensis rescribendum censuit:

Ad 1. *Negative juxta Generale Decretum die 7 Septembris* 1816, *et juxta Cæremoniale Episcoporum Subdiaconum se abstineat à cantando Evangelio cum Lectione.*

Ad 2. *Concludendus cum Stropha Deo Patri... ejusque soli...*

Ad 3. *Servetur Cæremoniale Episcoporum.*

Ad 4. *Negative.*

Ad 5. *Illi soli libri adhibendi, et in illis tantum Benedictionibus, quæ Rituali Romano sunt conformes.*

Atque ita respondit, et servari mandavit. Die 7 Aprilis 1832.

niantur fideliter transcriptæ ipsissimæ Ritualis Romani benedictiones : vox enim *conformis* non sibi vult identitatem omnimodam, sed quod una res sit *juxta, secundum*, vel *ad tenorem alterius*. Hæc autem omnia, ut dictum manet, servata sunt in præsentis benedictionum Collectionis coordinatione, earumque formulæ in illa contentæ sunt eædem Ritualis, Pontificalis et Missalis Romani, aliorumque Ritualium, quæ propriam à respectivis Ordinariis approbationem secum adferunt. Relate vero ad librum P. Sannig confitendum est, omni prorsus approbatione carere (saltem exemplar quod vidi nullam adfert), verumtamen negari non potest, quamplures ex benedictionibus in ejus libro contentas nedum conformes Rituali Romano, sed etiam ipsissimas esse ejusdem Ritualis, ut patet ex contextu præsentis Collectionis, et ex comparatione libri P. Sannig cum Rituali Romano facta; et ita esse, facile quisque poterit videre, si laborem sibi assumat illam efficiendi. Alias, si ex verbis responsionis S. R. C. omnes collectiones seu libros prohibitos esse deduceretur, quia plures ex benedictionibus, quas continent, in Rituale Romano non inveniuntur, proscribendum esset (quod dici nequit utpote valde alienum à mente S. R. C.) Pontificale et Missale Romanum, proscribenda essent quamplurima alia Ritualia, ut Vicense, Tarraconense, Barcinonense, Urgellense, Gerundense, etc., Ordinum etiam Religiosorum, et alia Sanctæ Catholicæ Romanæ Ecclesiæ privilegiis munita, quæ quidem varias continent benedictiones, quæ in Rituali Romano non leguntur. Proscribendæ essent variæ sca-

pularium et coronarum benedictiones, quas habent à Summis Pontificibus approbatas plures confraternitates, et tamen non inveniuntur in Rituali Romano. Proscribendæ tandem essent benedictiones, quæ continentur in canonicis Benedicti XIV institutionibus, quæ non inveniuntur in Rituali Romano, ut ipsemet Pontifex asserit de benedictione animalium in die S. Antonii Abbatis, cujus benedictionis formam à Regularibus obtinere curavit, hancque adhibendam præcepit. *Vide instit. 47, § 1, n. 12.*

Quapropter, cum præsens compilatio à proprio Ordinario fuerit approbata judicio Censoris interveniente, et benedictiones, quæ in ea continentur, non solum conformes sint Rituali Romano, sed etiam ipsissimæ Ritualis, Pontificalis et Missalis Romani, et aliorum, quæ juxta Romanum efformata sunt, quæque aliunde suam adferunt approbationem, non est timendum, hæsitandumque in eis adhibendis. Quæ tamen omnia libentissime submitto correctioni S. Matris Ecclesiæ Catholicæ, Apostolicæ, Romanæ; et ad majorem Dei gloriam, proximique utilitatem dicta sint, et scripta.

FINIS.

Licencia que dió el Ordinario, y se omitió poner en la primera edicion.

Vich 14 de enero de 1844.
Puede imprimirse.—Luciano Casadevall, *Vic. Gen. Cap.*

Barcelona 30 de octubre de 1853.
Reimprímase.—Dr. Ezenarro, *Vicario General.*

INDEX RERUM.

PAG.

Ad Lectorem. 5
Doctrina de benedictionibus. 9
Decreta scitu digna. 15
Regulæ generales. 19

TITULUS I.

DE VARIIS BENEDICTIONIBUS RERUM NON RATIONABILIUM.

Ordo ad faciendam aquam benedictam. 21
Aspersio aquæ benedictæ super populum per annum facienda. 24
Benedictio et aspersio salis et aquæ per domos in hebdomada sancta, *vulgo sal-pas*. 26
Benedictio domorum in Sabbato Sancto Paschæ. 27
Alia benedictio domorum alio tempore, seu intra annum facienda cum aspersione aquæ benedictæ. 29
Benedictio Termini in die Sanctæ Crucis mensis maii. 30
Litaniæ majores. 40
Benedictio aeris ad petendam pluviam. 48
Benedictio pro aeris serenitate. 50
Benedictio pulveris tormentarii, seu jaculatorii. Item globorum plumbeorum, vel ferreorum cum exorcismo. 52
Benedictio candelarum extra diem Purificationis B. V. M. 54
Benedictio candelarum in festo S. Blasii Ep. et Mart. 55
Alia benedictio candelarum et cereorum. 56
Benedictio crucum. 57
Alia benedictio crucum. 58
Benedictio loci vel domus. 58
Benedictio domus novæ. 59
Benedictio thalami seu cameræ. 60
Benedictio maris. 60
Benedictio novæ navis. 61
Alia benedictio novæ navis. 62
Benedictio navis, retium, et reliqui apparatus ad piscandum. 74
Benedictio retis. 77
Benedictio ignis. 79
Benedictio ignis in fornace laterum, vel calcis ardentis. 79
Benedictio incensi. 80
Benedictio auri, thuris et myrrhæ in Epiphania Domini. 80

Benedictio sepulturæ novæ. 82
Benedictio muneris seu voti quod offertur Ecclesiæ. 82
Benedictio annuli ordinaria. 83
Benedictio tintinnabuli seu campanæ. 84
Benedictio novi putei. 85
Benedictio baptisterii. 85
Benedictio salis in os baptizandi imponendi. 86
Benedictio fontis Baptismi extra Sabbatum Paschæ et Pentecostes, cum aqua consecrata non habetur. 87

TITULUS II.

DE BENEDICTIONIBUS ANIMALIUM.

Benedictio equorum aliorumque animalium in festo S. Antonii Abbatis. 91
Benedictio pro animalibus infirmantibus. 92
Benedictio tempore pestis animalium. 93
Benedictio animalium morbo contagioso, vel maleficio laborantium. 93
Benedictio medicinarum pro animalibus infirmis. 95
Benedictio ciborum pro animalibus infirmis. 96
Benedictio stabuli animalium. 97
Benedictio salis quod datur animalibus. 97
Benedictio contra mures, locustas, bruchos et vermes noxios. 98
Benedictio aquæ contra mures, locustas, bruchos et alia animalia nociva quæ reptant super terram. 102
Benedictio agrorum ut ab eis locustæ, bruchi, et alia animalia noxia expellantur. 103
Benedictio armentorum equorum, boum, ovium, etc. 105
Benedictio columbariorum, pullariorum, et ejusmodi locorum in quibus conservantur aves. 107
Benedictio avium. 109
Benedictio piscinæ et piscium. 109

TITULUS III.

DE BENEDICTIONIBUS AGRORUM, VINEARUM, ARBORUM, ET SEMINUM.

Benedictio agrorum, vinearum, et arborum cum novis fructibus. 111
Alia benedictio agrorum, vinearum, et arborum cum novis fructibus. 113
Benedictio pro vinea sola. 113
Benedictio herbarum. 114
Benedictio ruthæ. 114
Benedictio seminis serici seu bombycum. 115

Alia benedictio seminis serici. 116
Benedictio horrei ad ponendum triticum. 117
Benedictio tritici et aliorum ad seminandum. 117
Benedictio frumenti et aliorum seminum in die Sancti Rupi. 118
Benedictio arborum et fructuum earum. 119
Benedictio ramorum contra tempestates grandinis, etc., in die S. Petri Mart. die 29 aprilis facienda. 120
Alia brevis benedictio ramorum in festo S. Petri Mart. 29 aprilis. 125
Alia benedictio palmarum vel aliorum ramorum in eodem festo S. Petri Mart. 126
Benedictio olivarum in festo S. Petri Mart. in die 29 aprilis. 127
Benedictio ramorum, rosarum, etc., in honorem S. Pontii Martyris ad expellendos cimices è domibus, cubiculisque, etc., die 11 maii facienda. 128
Alia brevis benedictio ramorum, rosarum, etc., in die S. Pontii Mart. 11 maii. 129
Benedictio fœniculi in die S. Ægidii. 129
Benedictio rosarum sanctæ Ritæ. 130

TITULUS IV.

DE BENEDICTIONIBUS ESCULENTORUM ET POCULENTORUM.

Benedictio agni paschalis. 131
Benedictio ovorum. 132
Benedictio caseorum et ovorum. 133
Benedictio carnium. 133
Benedictio lacticiniorum. 134
Benedictio lactis et mellis. 135
Benedictio olei simplicis. 135
Benedictio vini. 137
Alia benedictio vini. 137
Benedictio vasorum vini, etc. 138
Benedictio cellæ vinariæ. 139
Benedictio uvarum et ficorum. 140
Benedictio novorum fructuum. 140
Benedictio panis in diebus dominicis post offertorium Missæ facienda. 141
Alia benedictio panis. 141
Alia benedictio panis omnibus diebus dominicis facienda, qui vulgo dicitur panis benedictus. 142
Benedictio panis in eleemosynas distribuendi. 143
Benedictio panis, et aliorum fructuum in die S. Blasii Mart. et Pontif. die 3 febr. 145
Benedictio panis, et aliarum rerum contra gutturis infirmita-

tem in die S. Lupi post missam facienda, die 1 septembr. 147
Benedictio panis et aquæ in festo S. Agathæ contra periculum ignis. 148

TITULUS V.

DE VARIIS BENEDICTIONIBUS COMMUNIBUS.

Benedictio generalis ad quæcumque volueris. 149
Benedictio communis super fruges et vineas. 149
Benedictio seminum communis. 150
Benedictio terræ seminatæ seu plantatæ. 151
Benedictio ad quodcumque comestibile. 152
Benedictio cujuscumque medicinæ. 152
Benedictio communis ad quorumcumque potus. 153
Benedictio ad initium alicujus operis boni. 153
Benedictio super aquas infectas, vel aquarum et fluminum, et etiam aquæ pro usu. 154
Benedictio fructuum quorumcumque. 155
Benedictio carnium quarumcumque, ovorum et comestibilium omnium. 156
Benedictio cujuscumque cibi, potus, aut medicinæ. 157
Benedictio vestium seu indumenti. 158
Benedictio indumentorum, lecti, vel similium. 158
Benedictio pro qualibet re, quæ specialem benedictionem non habet. 159

TITULUS VI.

DE BENEDICTIONIBUS RATIONABILIUM IN DUO CAPITA DISTRIBUTIS.

CAPUT PRIMUM.

Benedictio infantis. 160
Benedictio puerorum et puellarum. 161
Benedictio habitus ad induendum puerum sive puellam pro devotione seu voto. 162
Benedictio ad exuendum puerum seu puellam, cum portaverit habitum pro devotione seu voto. 163
Benedictio chlamydis. 164
Benedictio corrigiæ vel chordæ. 165
Benedictio veli. 166
Benedictio vestium et cinguli, quæ deferuntur in honorem Beatæ Mariæ Virginis. 167
Benedictio cilicii. 168
Benedictio mulieris sterilis pro liberis impetrandis. 168

Benedictio mulieris prægnantis, et fœtus de cujus periculo dubitatur. 170
Benedictio pro infirmis. 173
Benedictio panis pro infirmis. 176
Benedictio peregrinorum ad loca sancta abeuntium. 177
Benedictio peregrinorum post reditum. 181
Benedictio peregrinari volentium. 183

CAPUT SECUNDUM.

Benedictio seu ritus et cæremoniæ benedictionis nuptialis, sive Missæ pro sponso et sponsa, quæ observantur in diœcesi Vicensi. 184
Exhortatio ad sponsum et sponsam. 189
De secundis nuptiis. 190
Benedictio annuli sponsalitii. 191
Benedictio mulieris post partum. 193
Alia benedictio mulieris post partum, quæ in usu est in diœcesi Urgellensi. 196
Benedictio pro conjugibus arte dæmonis seu maleficio ligatis. 198
Benedictio vexillorum. 204
Benedictio exercitus. 207
Benedictio armorum. 212
Benedictio ensis. 213
Benedictio et traditio vexilli bellici. 214

TITULUS VII.

DE BENEDICTIONIBUS ECCLESIÆ, ORATORII, ET COEMETERII, DE IPSORUM RECONCILIATIONE, ET DE BENEDICTIONE SIGNI VEL CAMPANÆ.

Benedictio seu ritus benedicendi, et imponendi primarium lapidem pro Ecclesia ædificanda, servandus à Sacerdote facultatem habente ab Episcopo. 216
Benedictio seu ritus benedicendi novam Ecclesism, seu Oratorium publicum, ut ibi SS. Missæ Sacrificium celebrare possit. 224
Ritus reconciliandi Ecclesiam violatam, si nondum erat ab Episcopo consecrata. 229
Nota ex eodem Rit. Rom. desumpta. 233
Reconciliatio Ecclesiæ et Cœmeterii. 233
Ritus benedicendi novum Cœmeterium per Sacerdotem ab Episcopo delegatum. 247
Ordo reconciliandi cœmeterium violatum sive Ecclesiæ contiguum sit, sive separatum, ubi Ecclesia non est polluta. 249
Benedictio signi vel campanæ. 251

TITULUS VIII.

DE BENEDICTIONIBUS INDUMENTORUM SACERDOTALIUM ET IMAGINUM IN DUO CAPITA DIVISIS.

CAPUT PRIMUM.

Benedictio sacerdotalium indumentorum in genere. 264
Benedictio specialis cujuslibet ornamenti. 266
Benedictio amictus. 267
Benedictio albæ. 268
Benedictio cinguli. 269
Benedictio manipuli. 269
Benedictio stolæ. 270
Benedictio planetæ seu casulæ. 271
Benedictio strictæ seu tunicellæ. 272
Benedictio dalmaticæ. 272
Benedictio pluvialis. 273
Benedictio mapparum et tobalearum seu linteaminum sacris altaris. 274
Benedictio corporalium et pallarum. 275
Benedictio linteaminis quo tegendum et servandum est corpus dominicum. 276
Benedictio pallarum, corporalium et linteaminum sacrorum post eorum ablutionem. 277
Benedictio sacrorum vasorum et aliorum ornamentorum in genere. 278
Benedictio tabernaculi sive vasculi pro sacrosancta Eucharistia conservanda et conferenda. 279
Benedictio thuribuli. 279
Benedictio capsarum pro reliquiis, et aliis sanctuariis includendis. 280
Benedictio novæ crucis. 283
Benedictio imaginum Jesu-Christi Domini Nostri, Beatæ Mariæ Virginis et aliorum Sanctorum. 289
Alia benedictio iconis seu imaginis. 290
Alia benedictio imaginis B. Mariæ Virginis. 291

CAPUT SECUNDUM.

Benedictiones Crucis, Coronæ vel Rosarii, numismatis vel Imaginis D. N. J. C., B. V. Mariæ et aliorum Sanctorum, quæ fiunt cum applicatione indulgentiarum D. Birgittæ nuncupatarum, et earum

quæ à Summo Pontifice sunt concessæ et continentur in elencho ex tip. R. C. A. anno 1813 *edito.*

Pro Cruce et etiam pro cruce nova. 296
Pro Corona vel Rosario. 297
Pro imagine vel numismate. 298

TITULUS IX ET ULTIMUS.

DE BENEDICTIONIBUS SCAPULARIUM, DE FORMULIS ADMITTENDI IN CONFRATERNITATES ET EMITTENDI PROFESSIONEM, ATQUE DE APPLICATIONE INDULGENTIÆ IN ARTICULO MORTIS.

Benedictio rosariorum. 300
Benedictio rosarum in festo Rosarii B. Mariæ Virginis (vulgo del Rosario). 301
Benedictio cereorum et candelarum Societatis SS. Rosarii cum indulgentia plenaria pro confratribus in articulo mortis constitutis. 302
Benedictio putei, vel aquæ in vigilia S. Dominici ord. PP. Prædicat. 303
Absolutio seu applicatio indulgentiæ plenariæ confratribus SS. Rosarii in articulo mortis constitutis, cujus participes sunt tertiarii, sive confratres sint, sive non, propter communicationem indulgentiarum concessam à Summis Pontificibus. 304
Benedictio cinguli D. Thomæ Aquinatis. 305
Modo de recibir el hábito de la Tercera Órden titulada primeramente de la milicia de Jesucristo, y después de la penitencia del Padre Santo Domingo de Guzman. 306
Benedictio habitus et Scapularis B. Mariæ Virginis Rosarii. 307
De la profesion. 309
Absolucion é indulgencia concedida por Sixto IV, que se aplica á los Terciarios moribundos. 310
Benedictio sacri Scapularis B. Mariæ V. de Monte Carmelo. 311
Alia benedictio scapularis S. V. Mariæ de Monte Carmelo. 312
Benedictio aquæ S. Alberti. 313
Forma y ceremonias de dar el santo hábito en la Tercera Órden de la Vírgen del Cármen. 315
Alia formula ad benedicendum et conferendum parvum habitum B. M. V. de Monte Carmelo. 325
Modo y forma de profesar los novicios y novicias de la Tercera Órden de Nuestra Señora del Cármen. 327
Forma de aplicar la indulgencia plenaria ó absolucion á los Terciarios y Terciarias del Cármen constituidos en el artículo de la muerte, por privilegio a ellos concedido. 330

Forma de la absolucion, que debe dar cuatro veces al año á los Terciarios y Terciarias del Cármen el Padre Director ó confesor carmelita en el mismo acto de la confesion. 335
Benedictio Scapularis septem dolorum B. V. Mariæ. 336
Alia benedictio Scapularis S. Mariæ septem dolorum. 338
Benedictio Coronæ septem dolorum B. V. Mariæ. 339
Rito y ceremonias para dar el santo hábito de la Vírgen de los Dolores. 340
Rito y ceremonias para profesar en la Congregacion de la Vírgen de los Dolores. 343
Absolucion en el artículo de la muerte para los congregantes y los que visten el hábito de los Dolores de María santísima, la cual dará el Padre Corrector, ú otro religioso que tenga comision del Superior. 345
Absolucion cuando se concede indulgencia plenaria en los dias festivos. 346
Benedictio sacri habitus, seu scapularii B. V. Mariæ de Misericordia seu de Mercede. 347
Benedictio indumentorum imaginum B. V. Mariæ de Mercede. 351
Benedictio aquæ in honorem S. Raymundi Nonnati. 352
Benedictio candelarum in honorem S. Raymundi Nonnati, quæ vulgo appellantur (del buen alumbramiento). 354
Benedictio mensurarum (vulgo de midas) S. Raymundi Nonnati et B. Mariæ Virginis de Mercede. 355
Benedictio mirabilis olei Sancti Serapionis Martyris. 356
Benedictio habitus pro parvulis ad induendum eos pro devotione vel voto. 358
Formula conferendi indulgentiam plenariam fratribus, confratribus, et sororibus Ordinis B. M. V. de Mercede in articulo mortis constitutis. 360
Bendicion y recepcion del santo escapulario de la ilustre esclavitud de la Merced. 361
Forma absolutionis generalis. 364
Forma absolutionis in articulo mortis. 367
Ritus benedicendi et imponendi scapulare cæruleum Conceptionis B. Mariæ V. Inmaculatæ, quod à clericis Regularibus, Teatinis nuncupatis, ex speciali privilegio distribuitur; à SS. D. N. Clemente Papa XI approbatus anno 1710. 368
Ordo applicandi indulgentiam plenariam in articulo mortis. 371
Forma imponendi et benedicendi S. Habitum et chordam confratribus et sororibus Tertiariis sancti Patris nostri Francisci. 372
Benedictio crucum pro stationibus Viæ Crucis. 377
Benedictio Coronæ sanctissimæ Virginis Mariæ. 380
Absolucion y bendicion papal, que puede dar el Padre Comisa-

rio á los Terciarios en cuatro dias del año, los que quiera. 380
Forma para dar esta absolucion y bendicion. 381
Absolucion que puede dar el confesor (semel in vita et in articulo mortis) en virtud de la Bula de la Santa Cruzada. 385
Benedictio habitus Ordinis seraphici S. Francisci pro defunctis. 389
Benedictio Coronæ camaldulensis (vulgo coronæ Domini nuncupatæ), cum annexis indulgentiis concessis à Summis Pontificibus contentis in summario, quod videri est in *Divoti Metodi per recitare fruttuosamente la corona del Signore.* 390
Benedictio sacri scapularii seu habitus Ordinis SS. Trinitatis. 391
Absolutio generalis, sive indulgentiæ plenariæ applicatio pro mortis articulo. 392
Benedictio Trisagiorum sanctissimæ Trinitatis. 394
Benedictio Coronæ à beato Simone de Roxas dispositæ seu ordinatæ. 395
Benedictio cingulorum Ordinis Minimorum Sancti Francisci de Paula. 396
Benedictio vestimentorum, pro devotis sæcularibus. 396
Modus induendi puerum vel puellam habitum religionis pro dedevotione. 397
Modus exuendi puerum vel puellam post annum cum portaverit habitum devotionis. 399
Modo de admitir á la Congregacion de la Buena Muerte. 400
Absolucion ó aplicacion de la indulgencia plenaria para los moribundos congregantes de la Buena Muerte. 404
Benedictio corrigiæ Beatæ Virginis Mariæ Matris Consolationis, et cincturatorum S. P. Augustini. 406
Benedictio habitus Ordinis S. P. Augustini, quem deferunt sæculares pro voto seu devotione. 407
Modo de dar el hábito á los que lo quieren por devocion. 408
Formula præscripta à SS. D. Benedicto Papa XIV in Bulla incipiente *Pia Mater* pro impertienda benedictione cum indulgentia plenaria his, qui in articulo mortis sunt constituti. 410

APPENDIX I.

De visitatione et cura infirmorum. 413
Variæ sententiæ SS. Patrum, quibus Sacerdos in visitatione infirmorum pro opportunitate uti poterit, juxta dispositionem eorumdem. 417
Modus benedicendi infirmos. 422
Modus juvandi morientes. 431
Benedictio Apostolica in articulo mortis à Sacerdotibus ad id delegatis impertienda. 433

Ordo commendationis animæ. 434
In expiratione. 448

APPENDIX II ET ULTIMA.

De adjuratione et exorcismis. 449
Observanda pro praxi exorcizandi obsessos à dæmone. 452
Forma exorcizandi obsessos à dæmonio. 455
Alia forma exorcizandi à dæmone vexatos. 474
Alia forma exorcizandi à dæmone vexatos. 480
Præceptum, quod repeti potest iterum et sæpius post quamlibet conjurationem. 484
Præceptum faciendum omnibus spiritibus remanentibus in corpore, cum necesse fuerit dimittere conjurationem. 491
Aliud præceptum faciendum, cum ad aliam diem suspenditur exorcismus. 491
Præceptum imponendum egressis. 492
Gratiarum actio post expulsionem diaboli. 492
Benedictio loci in quo dormit energumenus seu infirmus. 493
Benedictio thalami in quo dormiunt energumeni. 494
Benedictio incensi, ruthæ, et aliarum rerum, quibus Exorcista uti potest in conjurationibus. 494
Benedictio ignis quo comburenda sunt instrumenta maleficiorum, quando inveniuntur, et nomen etiam dæmonis in papyro benedicta scriptum, ad eum cogendum ut exeat ab energumeno. 495
Forma exorcizandi domum à dæmonio vexatam. 495
Exorcismi pro tempestatibus. 503
Forma exorcizandi imminentes tempestates fulgurum et grandinum. 504
Preces dicendæ in gratiarum actione pro tempestate quocumque tempore sedata. 512
Alia forma exorcizandi imminentes tempestates fulgurum et grandinum. 514
Gratiarum actio pro tempestate sedata. 519
Alia forma exorcizandi imminentes tempestates dæmonibus valde formidabilis. 520
Alia forma expellendi tempestates à S. Vincentio Ferrerio *sermone* 2, in feria 2 *Rogationum* commendata. 522
Preces ad repellendam tempestatem coram SSmo. Eucharistiæ Sacramento. 523
Preces dicendæ in gratiarum actione pro tempestate repulsa, SSmo. Eucharistiæ Sacramento nondum reservato. 525
Conclusio et observatio valde opportuna. 526

INDEX ALPHABETICUS PSALMORUM.

		PAG.
Psalmus CXIX.	Ad Dominum cum tribularer, clamavi, etc.	227
Psalmus CXXII.	Ad te levavi oculos meos, etc.	497
Psalmus XXVIII.	Afferte Domino filii Dei, etc.	67
Psalmus CXXVII.	Beati omnes qui timent Dominum, etc.	169
Psalmus I.	Beatus vir qui non abiit in consilio, etc.	203
Psalmus CXLIII.	Benedictus Dominus Deus meus qui, etc.	204
Psalmus CXLIX.	Cantate Domino canticum novum: laus, etc.	259
Psalmus CVI.	Confitemini Domino quoniam bonus, etc.	62
Psalmus CXVII.	Confitemini Domino quoniam bonus, etc.	466
Psalmus XV.	Conserva me Domine quoniam speravi, etc.	427
Psalmus CXXIX.	De profundis clamavi ad te Domine, etc.	174
Psalmus XLIII.	Deus auribus nostris audivimus, etc.	99
Psalmus LXIX.	Deus in adjutorium meum intende, etc.	44
Psalmus LIII.	Deus in nomine tuo salvum me fac, etc.	252
Psalmus XXI.	Deus meus, Deus meus, respice in, etc.	471
Psalmus LXVI.	Deus misereatur nostri et benedicat, etc.	51
Psalmus XLV.	Deus noster refugium et virtus, etc.	71
Psalmus VI.	Domine ne in furore tuo arguas me, etc.	425
Psalmus CXXX.	Domine non est exaltatum cor meum, etc.	500
Psalmus III.	Domine quid multiplicati sunt qui, etc.	201
Psalmus XXIII.	Domini est terra et plenitudo ejus, etc.	194
Psalmus CXXXIII.	Ecce nunc benedicite Dominum, etc.	501
Psalmus CXXXII.	Ecce quam bonum, et quam, etc.	320
Psalmus XIX.	Exaudiat te Dominus in die, etc.	428
Psalmus LXVII.	Exurgat Deus, et dissipentur inimici, etc.	208
Psalmus LXXXVI.	Fundamenta ejus in montibus sanctis, etc.	223
Psalmus LXXXV.	Inclina Domine aurem tuam, etc.	254
Psalmus CXXV.	In convertendo Dominus captivitatem, etc.	498
Psalmus X.	In Domino confido quomodo, etc.	473
Psalmus LXVII.	In Ecclesiis benedicite Deo Domino de fontibus, etc.	231
Psalmus XXX.	In te Domine speravi non confundar, etc.	469
Psalmus XXXIV.	Judica Domine nocentes me, etc.	467
Psalmus XLII.	Judica me Deus, et discerne causam, etc.	241
Psalmus CXLV.	Lauda anima mea Dominum, laudabo, etc.	257
Psalmus CXLVII.	Lauda Jerusalem Dominum, etc.	258
Psalmus CXLVIII.	Laudate Dominum de cœlis, etc.	258
Psalmus CL.	Laudate Dominum in sanctis ejus, etc.	260

Psalmus CXLVI. Laudate Dominum quoniam bonus est psalmus, etc. 48
Psalmus CXXI. Lætatus sum in his, quæ dicta sunt, etc. 228
Psalmus CXX. Levavi oculos meos in montes, etc. 228
Psalmus XLVII. Magnus Dominus et laudabilis, etc. 319
Psalmus CXXXI. Memento Domine David, etc. 500
Psalmus LVI. Miserere mei Deus, miserere mei, etc. 252
Psalmus L. Miserere mei Deus secundum, etc. 221
Psalmus CXXVI. Nisi Dominus ædificaverit domum, etc. 220
Psalmus CLXXIII. Nisi quia Dominus erat in nobis, etc. 497
Psalmus LXXXIII. Quam dilecta tabernacula tua, etc. 217
Psalmus CXXIV. Qui confidunt in Domino, etc. 498
Psalmus XC. Qui habitat in adjutorio Altissimi, etc. 200
Psalmus CXXVIII. Sæpe expugnaverunt me, etc. 499
Psalmus LXXVI. Viderunt te aquæ Deus, viderunt, etc. 262
Psalmus LXXVI. Voce mea ad Dominum clamavi, etc. 69
Psalmus XII. Usquequo, Domine, oblivisceris, etc. 473

CANTICORUM.

Canticum Zachariæ. Benedictus Dominus Deus, etc. 177
Canticum B. Mariæ V. Magnificat anima mea, etc. 294
Hymnus. Te Deum laudamus, etc. 329
Symbolum S. Athanasii. Quicumque vult, etc. 463

ERRATA CORRIGENDA.

Pagina.	Linea.	Errata.	Corrige.
39	9	Gaudeæ	Gaude
46	21	dirigi	dirige
48	ultima.	cithara	citthara
53	23	sin	sint
148	20	beati	beatæ
159	4	non positis	nŏn possitis
277	20 et 21	ne quid inessent	ne quid inesset
333	15	ad	ab
340	25	veneratio	generatio
353	20	attingerint	attigerint
394	17	fidelis	fideli
411	19 et 20	commenda	commendat
412	14	Filius	et Filius
433	28	dediderint	dederint
437	34	audiant	audeant
461	9	statuto	statuta
491	11	fuerint	fuerit
511	20	instaure	instaurare

264-058 P73

~~Nova Collectio Benedictinum~~

AUTHOR

Puigllat, Marianno

264-058
P73